BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
7 F
11

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

47. 3. 31.

12-10 f 16

47
e
31

47
e
27

b 60

Digitized by Google

Digitized by Google

THOMAE GIANNINII FERRARIENSIS

IN PATRIO GYMNASIO

primi Philoſophiæ Doctoris

De Subſtantia Cæli, & Stellarum Efficientia

DISPVTATIONES ARISTOTELICÆ,

In quibus non ſolùm natura in Cælis ſubiecta. Anima cęleſtis, & Syderum v[illegible] conſideratur; verùm etiam Aſtrologorum diuinatio accuſatur; de motu Ignis in orbem, de Stellis recens in Cælo viſis, de occultis mixtorum proprietatibus, de Anno Climaterico, & de numeris Pythagoricis diſſeritur, & diſputatur;

Cauſſæque inquiruntur dierum Criticorum, æſtus marini, infelicitatis partus octimeſtris, & ſtygmatum, quibus in vtero fœtus obſignatur; atque de Dei intelligentia, de contingentia, & de fato quid Ariſtoteles ſenſerit, diſquiritur, atque enucleatur.

Cum duplici Indice Capitum, & Rerum Notabilium locupletiſſimo.

AD CAROLVM EMANVELEM PIVM

de Sabaudia S. R. E. Cardinalem Ampliſſimum.

DE LICENTIA SVPERIORVM, ET CVM PRIVILEGIIS.



VENETIIS, M DC XVIII.

Apud Robertum Meiettum.

BIBLIOTECA N. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

AMPLISSIMO

S. R. E. Cardinali

CAROLO EMANVELI PIO

DE SABAVDIA

THOMAS GIANNINIVS

felicitatem.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

HAs diſputationes, quibus Cæli naturam, & Stellarum efficientiam, quantum in me fuit, ſum perſequutus, Tuo ſplendidiſſimo nomini, Princeps Ampliſſime, inſcriptas volui apparere, quoniam tot ſunt egregia Tua in me merita; tanta eſt Tua ſingularis in me tuendo, & ornando animi alacritas, vt grauis, & iuſta mihi ſubeunda ſit vituperatio, niſi aliquod à me ſignum detur, quo & gratus in Te animus meus, & ſumma, qua Te vnicè proſequor, obſeruantia ſignificetur. Et cùm hæ Diſputationes in Cælo, & in Stellis contemplandis abſumantur, non indignæ poſſunt videri, quæ illius nomine ob-

Digitized by Google

ſignatæ conſpiciantur, ad cuius animum omnibus heroicis virtutibus cumulandum videri poſſunt cælum, ſtellæq; omnes conſpiraſſe. Nec verò id quemquam inducat in admirationem, nam Tibi ex nobiliſſima, ac vetuſtiſſima Piorum familia naſci contigit, quę à Saxonum Principibus, & à Conſtantio Imperatore Conſtantini Magni Filio originem ducens non ſolùm Mutinæ celeberrimi nominis vrbi imperauit, Carpumq; & alia præclariſſima Italiæ oppida poſſedit, verùm etiam tot edidit viros belli paciſq; artibus præſtantiſſimos, vt in ea mirabilis omnium virtutum fuerit in omni ætate exercitatio. Et ne meam nunc memoriam excutiam, vt veterum Tuorum maiorum laudes hiſtorijs mandatas reminiſcar, patrum noſtrorum memoria Rodulphus Cardinalis Carpenſis ſic prudentia, iuſtitia, & ſanctitate omnes ſui ſeculi præclariſſimos viros anteiuit, vt & Paulus Tertius Pontifex Maximus Roma diſcedens ei rerum vrbanarum adminiſtrationem crediderit; & digniſſimus fuerit habitus, qui in ſede Pontificia ſedens Rempublicam Chriſtianam magno tunc periculo fluctuantem gubernaret: Et Albertus huius patruus ſic eloquentia enituit, vt orationis vehementia, quò vellet, hominum animos nunquam non impulerit; ſic doctrina valuit, vt libris à ſe doctiſſimè conſcriptis Martino Luthero, & Eraſmo Roteradamno fauces & os obturauerit; ſic fide, diligentia, prudentia, & perſpicacitate excelluit, vt quatuor Summis Regibus, totidemq; Maximis Pontificibus magna cum laude illuſtrem Le-

gationis

gationis operam tribuerit: qui Summi Reges, Maximiq; Pontifices cùm in eo ingenium in omni rerum humanarum actione valde mirificum, & ſolertem quandam mentis aciem ad omnia quamuis ardua, & implicata expedienda, & ad exitum perducenda cognouiſſent, nulla res magna fuit, quam non eius geſſerint conſilio. Plures non commemorabo, mittamq; & Æneam patrem Tuum, qui ob animi magnitudinem, rei bellicæ ſcientiam, & ciuitatum adminiſtrandarum cognitionem Magnis Ducibus, Maximis Pontificibus, & Celſiſſimis Galliarum, & Hiſpaniarum Regibus fuit acceptiſſimus; & Aſcanium, atque Gibertum fratres Tuos, quorum hic ſuo præſtanti ingenio, ſingulari morum ſuauitate, & mira naturæ comitate ad ſe omnium hominum animos, & voluntates trahit; ille ſummo ſplendore præditus, & ad omnem gloriam natus, vt rebus præclarè geſtis inſitæ generoſæq; virtutis famam quam latiſſimè extendat, nihil humile, nihil anguſtum ingenti animo concipit, ſed ampla, illuſtria, plena decoris, & dignitatis complectitur, ad quæ ſemper à ſua prima pueritia fuit incitatus. Hos, inquam, & alios mittam, quòd horum nomina nulla ſeculorum obliuione interitura longè lateq; vagentur. Ex his verò omni laude affluentibus quamquam multum ad Te ornandum poſſit hauriri, attamen admirabile eſt, quantum in Te ſit, quod ad illos redundat: atque huius teſtis optimus fuit Clemens Octauus Pontifex verè Maximus, qui ne heroicas excelſi animi Tui virtutes debiti honoris luce carerent, Te in

ſummo

ſummorum Antiſtitum collegium cooptauit; qua Tu dignitate ornatus nequaquam commiſiſti, quod plerumque ſolet accidere, vt cæleſtis ingenij Tui vim purpuræ ſplendor præſtringeret, ſed veræ, immortalisq; gloriæ ſtudium arctiſſimè complexus in id omnibus ingenij neruis, & tota animi contentione ſic incumbis, vt nihil præter illud in hoc mortali vitæ curriculo magnopere expetendum putes. Accipe igitur, & aſpice Cardinalis Illuſtriſſime has meas Diſputationes, in quibus ſi operam benè à me poſitam eſſe cognoueris, quòd in eas aliquid temporis, & laboris impenderim, me nunquam pænitebit. Viue Felix.

Ferrariæ Kal. Maij. M DC XVIII.

Digitized by Google

INDEX CAPITVM
PRIMAE PARTIS,
QVAE EST DE NATVRA, & Subſtantia Cœli.

Caeli vocabulum in quot, & quas diſtinguatur ſignificationes. Cap. 1 4
Opinio eorum, qui cælum ex quatuor elementorum naturis compoſuerunt. Cap. 2 6
Cælum eſt corpus ſimplex; & motus ſimplex cur ſit corporis ſimplicis. Cap. 3 10
Xenarchi dubitationes aduerſus id, quod eſt, motus ſimplex eſt corporis ſimplicis, diſcutiuntur. Cap. 4 13
Illorum opinio, qui cæli motum non eſſe naturalem ſunt arbitrati. Cap. 5 17
Motus circularis eſt cælo naturalis, & quo modo naturalis. Cap. 6 18
Nonnullæ difficultates explicantur, argumentaque tolluntur, quibus motum in orbem non eſſe cælo naturalem fuit perſuaſum. Cap. 7 22
Confutatio argumentorum, quibus cælum ex quatuor elementis fuit compoſitum. Cap. 8 26
Expenduntur argumenta, quibus Philoponus perſuaſit cælum habere naturam fragilem, & caducam. Cap. 9 30
Cælum eſſe ignem quorum ſit opinio, & quibus argumentis confirmetur. Cap. 10 38
Cælum non eſſe ignem quibus argumentis conficiatur ab Ariſtotele. Cap. 11 42
Argumentorum Ariſtotelicorum accuſatio, & defenſio. Cap. 12 44
Confutatio argumentorum, quibus cælum eſſe ignem fuit perſuaſum. Cap. 13 54
Motus ignis in orbem neque ſimplex eſt, neque ineſt, aut ſecundum naturam.

turam, aut ſupra naturam. Cap. 14 59
Motus ſphærarum erraticarum ab ortu in occaſum cuius modi ſit. Cap. 15 62
Motus ignis in orbem non eſt partim ſecundum naturam, & partim non ſecundum naturam. Cap. 16 66
Motus ignis in orbem eſt contra ipſius naturam, difficultateſque tolluntur contrarium perſuadentes. Cap. 17 69
Cælum non eſſe compoſitum ex forma, & materia quibus argumentis ab Auerroe, & alijs fuerit confirmatum. Cap. 18 72
Cælum non eſt forma ſimplex ſine materia conſiſtens. Cap. 19 76
Cælum non eſt materia ſimplex per ſe actu exiſtens. Cap. 20 79
Cælum eſt ſubſtantia ex forma, & materia compoſita. Cap. 21 86
Confutantur argumenta, quibus cælum fuit poſitum expers compoſitionis, quæ ſit ex forma, & materia. Cap. 22 92
Quicunque ſtatuunt inter materiam cæleſtem, & materiam ſublunarem nullum eſſe naturæ diſcrimen, quibus argumentis ſe tueantur, & quibus exagitentur. Cap. 23 96
Sententes materiam cæleſtem eſſe diuerſam a materia elementali, quibus argumentis defendantur, & quibus accuſentur. Cap. 24 101
Materię cæleſtis, & elementalis ſunt partim ſimiles, & partim diſſimiles; & quo modo ſimiles. Cap. 25 106
Quibus diſſimilitudinibus materia cęleſtis ab elementali diſiungatur. Cap. 26 110
Refelluntur ea, quæ materias cæleſtem, & elementalem natura, & eſſentia differre videntur perſuadere. Cap. 27 115
De cæli forma opiniones variæ. Cap. 28 122
Cælum eſſe animatum ex multis Ariſtotelicæ doctrinæ locis colligitur. Cap. 29 125
Cęlum eſſe animatum quibus argumentis confecerint veteres Peripatetici. Cap. 30 127
Platonici ex quibus intellexerint cælum anima vti; & de hac re quid ſenſerint Chriſtianæ religionis proceres. Cap. 31 133
Refutantur argumenta, quibus de ſententia Ariſtotelis anima eripitur cælo. Cap. 32 137
In Cęlo non eſt anima vegetalis, & cuiuſmodi ſit ſenſus in eo poſitus a Platonicis. Cap. 33 143
Reprehenſio illorum, qui de ſententia Ariſtotelis cęlum ſenſibus ornarunt. Cap. 34 146
Refutantur ea, quæ de ſententia Ariſtotelis videntur cęlo tribuere ſenſum. Cap. 35 150
Vis imaginatrix nunquid cęlo ſit tribuenda. Cap. 36 154
Cęlum eſt animatum anima mente, appetituque prædita. Cap. 37 156

Anima

Digitized by Google

Anima cæli nunquid ſit tantum motrix. an prӕterea vera, ac propria cęli forma. Cap.38 162
Anima cæli nunquid animet cælum, cum ſit ſubſtantia integra per ſe conſtans, & manens immota. Cap.39 169
Cæleſtis anima ſic cælum informat, ut ab eo non ſit ſeparata, & ut eius motione cieatur. Cap.40 173
Profligantur ea, quę ſuperiori dogmati uidentur infeſta. Cap.41 176

Finis Indicis Capitum primæ Partis.

Digitized by Google

INDEX CAPITVM
ALTERIVS PARTIS,
QVAE EST DE STELLARVM Efficientia.

Cælum agere in hanc rerum caducarum vniuerſitatem argumentis perſuadetur. Cap. 1 183
Argumenta nonnulla afferuntur, & refelluntur, quæ dubiam, incertamque efficiunt cæleſtis corporis efficientiam. Cap. 2 186
Opinio illorum explicatur, qui cæleſtes influxus, arcanasq. ſtellarum virtutes adamarunt. Cap. 3 191
Aduerſus ſtellarum influxus, virtuteſq. arcanas diſputatio. Cap. 4 194
Refelluntur argumenta, quibus arcanæ ſtellarum virtutes fuerunt inductæ. Cap. 5 201
Admirabiles mixtorum corporum virtutes non fluunt ab arcanis ſtellarum viribus; & vnde exiſtant. Cap. 6 205
Incantationes vanæ ſunt, nec in vocibus, & verbis vlla ineſt uis, aut propria, aut aliunde immiſſa. Cap. 7 212
Imagines Aſtrologicæ uanæ ſunt, nec habent momentum ad perſuadendas uirtutes ſtellarum occultas. Cap. 8 215
Dierum criticorum, æſtuſque marini cauſæ non ſunt in Luna poſitæ: & de criticis diebus quid ſit ſentiendum. Cap. 9 219
Multiplices maris motus conſiderantur, horumq. cauſſæ exquiruntur. Cap. 10 222
Illorum opinio conſideratur, qui putarunt Cælum motu, & lumine agere in rerum mortalium uniuerſitatem. Cap. 11 227
Cælum motu tantùm agit in mortalem uniuerſitatem: huiuſque actionis modi explicantur. Cap. 12 230
Aſtrologorum opinio caduca omnia cælorum, ſtellarumque efficientiæ ſubijci

ſubijci aſſeuerantium recitatur.Cap.13 232
Afferuntur argumenta,quibus omnia caduca ſubijci ſtellarum efficientię, neceſſarioque fieri ab Aſtrologis perſuadetur.Cap.14 238
De quæſtione propoſita quid iuxta Ariſtotelis doctrinam ſit ſentiendum. Cap.15 241
Ex cœli,& ſtellarum inſpectione non poteſt intelligi quid in rerum mortalium vniuerſitate ſit euenturum.Cap.16 246
Signa eorum,quæ ſunt futura,in cœlis non ſunt impreſſa.Cap.17 251
Refuntantur ea,quæ multos induxerunt,vt crederent in cęlis ſigna eſſe poſita eorum,quæ eueniunt.Cap.18 255
Aſtrologicę prædictiones ſunt,aut inanes, aut impoſſibiles; & vnde exiſtant,quod quandoque ſint vera. Cap.19 259
Aſtrorum motus non affert vim ijs, quæ naturam fiunt, ſic ut aliter fieri non poſſint.Cap.20 264
Quæ hominum mente,& conſilio geruntur, non ita fiunt, vt aſtrorum vi ſecus fieri prohibeantur.Cap.21 268
Stellæ non ſunt cauſſæ propriæ effectrices eorum, quæ fiunt in caduca uniuerſitate,nullaſque nobis tribuunt propenſiones ad animi commotiones, ad uirtutes,& ad uitia.Cap.22 271
Diluuntur ea,quibus Aſtrologi omnia ſtellarum efficientiæ ſubijci confecerunt.Cap.23 380
De cauſis ſtygmatum, quibus in utero fœtus ſignatur, opiniones uariæ recitantur,& confutantur.Cap.24 384
Vnde exiſtant ſtygmata,quæ fœtibus in utero imprimuntur.Cap.25 391
Partus octimeſtris cur non ſit uitalis,confutata Aſtrologorum, & Pythagoreorum opinione ex Hippocrate,& Ariſt. declaratur.Cap.26 394
Annus Climatericus cur non ſine aliquo uitæ incommodo tranſmittatur. Cap.27 399
Pythagoreorum opinio de numerorum uirtute explicatur, & refutatur. Cap.28 402
Defenſio prima opinionis Pythagoricę de numerorum uirtute, eiuſque confutatio.Cap.29 406
Altera defenſio Pythagoricæ opinionis de numerorum uirtute,& eius confutatio.Cap. 30 408
Tertia defenſio eorum,quę de numeris a Pythagora,& a Pythagoricis tradita ſunt,eiuſque reprobatio.Cap.31 412
Confutatio argumentorum, quibus Aſtrologi fuerunt inducti, ut dicerent,quę fiunt a ſtellis,fieri neceſſariò. Cap.32 420
Ariſtotelem noluiſſe,quæ fiunt, ea fieri fatali neceſſitate, quibus argumentis inducti aliqui putauerint.Cap.33 422
Quid ſit contingens,quot eius genera, & quibus ex cauſſis profluat contingentia.Cap.34 425

Ariſtoteles poſuit in rebus, quę natura fiunt, contingentiam, & in nobis liberam agendi facultatem. Cap. 35 429

Nunquid ſi Deus ageret ex naturæ neceſſitate, futurum ſit, ut quę fiunt, neceſſario fiant. Cap. 36 431

Conſideratio argumenti ex Dei cognitione deſumpti, quo Stoici omnia fieri neceſſariò conati ſunt perſuadere. Cap. 37 437

Deus ſe ipſum intelligendo nunquid alia a ſe intelligat, variæ, & inter ſe diſſidentes Peripateticorum opiniones. Cap. 38 441

Ariſtotelem in quæſtione propoſita quid ſenſiſſe ſit exiſtimandum. Cap. 9 446

Deus quo modo ea, quę ſunt futura, antequam fiant cognoſcat. Cap. 40. 452

Cognitio diuina eorum, quę fiunt, antequam fiant non tollit è rebus contingentiam, neque hominib. eripit liberam agend. facultatem. Cap. 41. 457

Fatum quam varie a Poetis, Chaldæis, Stoicis, & aliis fuerit explicatum. Cap. 42 460

De fato quid ſenſerit Plato, varia explicatio. Cap. 43 466

De fato quid Ariſtoteles ſenſerit. Cap. 44 474

Fatum quo modo eiectum, & admiſſum a noſtris Theologis. Cap. 45. 479

Finis Indicis Capitum alterius Partis.

INDEX MEMORABILIVM IN PRIMA PARTE

de Subſtantia Cæli contentorum.

A

Academici Cælos ſenſibus donarunt. 144
quo argumento perſuaſerint cælos habere ſenſus. ibid. huius confutatio. 150
quot & quos gradus ſenſuum poſuerint. 144
in quot partes diuiſerint prouidentiam. ibid.
quid ſenſerint de modo cæli animationis. 162
Achillini opinio de cæli animatione confutata. 170
Actio illius modi cuius ſubſtantia. 159
Actus bifariam vſurpatur. 88
eſt id, quod ſeparat, & diuidit. 160
ſeparat, & diſtinguit, vt intelligendũ. 109
receptione, & in vnam coniunctionẽ impedit 104
ſimplex extremum vnius maximæ diſtantiæ. 106
Actum corporis eſſe quid. 174
eſſe corporis inſtrumentarij eſt ſolius anima corporis caduci. 138
Aegyptij animam vt deſcripſerint. 159
Aer an ſurſum in locum ignis vi feratur. 49
cælo contiguus de ſententia veterum. 58
cur cæli nomine ſignificatus. 6
proprio in loco non habet grauitatẽ. 49
ſua natura frigidus de ſententia veterum. 58
Aeternis, & caducis nihil commune, vt intelligendum. 28
Aetheris nomen vnde. 40. 55
Albumaſar. 28
Albertus magnus cælum ex forma, & materia compoſuit 92
formam cæli ſtatuit infra animã. 122
quibus argumentis cælum eſſe animatum docuerit. 130
Alexander cælum ex forma, & materia compoſuit. 90
eamdem eſſe materiam cæli, & elementorum putauit. 110
in quibus cauſis audiuerit: Quicquid fit, a ſimili fit. 33
putauit amorem eſſe rerum animatarum, & cognitionem ſequi. 127
putauit animam eſſe naturã cæli. 123

qua

qua ratione induxerit mentem a materia ſeparatam. 25
quid ſenſerit de modo, quo animat anima cæli. 174
quo argumento docuerit cælum eſſe animatum. 127
ſenſit animam cæli non poſſe præbere motionem infinitam. 180
voluit animas cæleſtes moueri per accidens. 174
voluit idem eſſe corpus ſimplex, quod corpus ſimilare, & corpus compoſitum, quod inſtrumentarium. 139
voluit cælum ex ſe habere motum finitum. 24
Alexandri reſponſio caſtigata. 179
Alexander enarrator lib poſtnat. quid ſenſerit de modo, quo animat anima cæli 174
quid uoluerit a natura, & ab anima cælo tribui. 122
Algazelis opinio, quòd cælum ſit corpus compoſitum. 92
de cæli animatione. 175.122.130
quòd cæli motus non ſit naturalis. 17
Alpharabij argumentum, quod cęlum ſit animatum. 130
Alphonſus Rex. 5
Alpatiagus. 37.& 6
Alterans tangendo alterat. 32
D Ambroſius, vt fuerit interpretatus nomen οὐρανός 5
Ammonius cælum ex forma, & materia compoſuit. 90
de cęli materia quid ſenſerit. 102.111
Anaxagoras impietatis accuſatus. 167
Amor rerum animatarum appetitus. 127
Anima actus corporis, quia huius forma, & principium functionum. 172
ex indiuidua, & diuidua ſubſtantia conſtat: quid Platoni. 134
in quot partes a Platone diſtributa. 160
inter mentem & corpus media interiecta. 134
non eſt cauſa efficiens motus. 179
non eſt cauſa efficiens motus cæleſtis. 125
non eſt in cælo, vt gubernator in naui. 164
non tribuit motum cælo. 25
omnis principium alicuius motus. 159
verè ac propriè forma cæli. 168
vt deſcripta ab Aegyptiis. 160
vt ſit actus corporis naturalis. 124
caducorum corporum cur poſtulet materiam primis qualitatibus affectam. 124
Animæ expers vitam, & ſenſum non largitur. 131
Anima cæleſtis actiones duas habet. 17
aſſidet cęlo, vt nauta nauigio de ſententia Academicorum, & horum argumenta. 162
aſſidens non eſt. 169
cur in libris de anima non fuerit conſiderata. 181
cur materiæ iungatur. 178
cur non ſit corporis actus inſtrumentarij. 140
non eſt illius rationis, cuius eſt anima hominis. 181
ſic cælum informat, vt non ſit ſeparata, & huius motione agatur. 178
ut differat a noſtra. 163
vtitur alia intelligendi ratione, ac ſit ea, quæ data eſt animæ hominis. 181
Animæ cęleſtis contemplatio eſt philoſophi naturalis. 161
facultates duæ. 135
functiones impellunt nos credere cā vere animare cælum. 178
Animam cæli ſic animare, ut per ſe cōſtat, nec moueatur motu cæli quibus nonnulli ſunt adducti, ut crederent. 170
Anima concupiſcibilis quo motu creatur. 160
Anima iraſcibilis qua ratione mouetur. ibid.
Anima rationalis in orbem mouetur. ibidem
Animæ uegetalis officia quæ, & quib.

animalibus conceſſa. 143
Animalia inſtrumenta cur deſiderent ad incedendum. 178
Animalia caduca ſenſu conſtituuntur. 151
ſenſu & imaginatione cur indigue-rint. 81
Animantium caducorum uolũtas mutabilis 143
Animantibus caducis cur integrum a motu ceſſare 142
Animantes cæleſtes cur nunquam ceſſent a ſuis motibus. 142
voluntatem habent immutabilem. 143
Animatum præſtabilius inanimo. 166
anima ſenſuali non eſt corpus ſimplex. 140
Arabum opinio, quòd corpus humanum poſſit fieri immortale, & quo modo. 45
quod motus cæli non ſit naturalis. 17
Ariſtoteles cur poſuerit mentem a materia ſeparatam. 23
cur poſuerit primum motorem mouere per modum efficientis. 24
Ariſtotelis locus a nemine obſeruatus 75
progreſſus in lib. 8. phyſ. 141
Artes extinguuntur, & redeunt. 30
Auenaſar cælum compoſuit ex forma & materia. 92
de cæli animatione quid ſenſerit. 175
Auerroes poſuit cælum eſſe uinculum, quo caduca, & æterna copulantur. 22
quid ſenſerit de cæli animatione controuerſum. 163
ſcripſit materiam in ſolis caducis ſubſtantiis reperiri. 115
voluit traductionẽ eius, quod eſt poteſtate in actum non largiri multitudinem. 113
quibus inductus poſuerit cælum eſſe materiam ſimplicem per ſe exiſtentem. 80
Auerrois argumenta quod cælum non ſit compoſitum ex forma, & materia. 73. confutata. 93. 117
argumenta, quod cælum ſit animatum. 128
argumentum quòd cæli ſint animati anima intelligente. 159
explicatio refutata. 173
locus in lib. 12. poſtnat. 41. explicatus. 175
opinio quòd cælum ſit ueluti animal magnum confutata. 63
Auicennas animam dedit cælo. 122
cælo conceſſit imaginationem 154
putauit hominem ui Solis poſſe e terra oriri. 136
Eiuſdem opinio de cæli animatione. 175
de cæli materia. 96. confutata. 98
quòd cęlum ſit animatum. 130
quòd motus cęli ſit naturalis. 17
quòd cęlum ſit corpus compoſitum. 92
D. Auguſtinus dubius, an ſtellę ſint animatæ. 135
Aureolus animam dedit cęlo. 136
a Capreolo caſtigatus. ibid.
Author lib. de mundo ad Alexandrũ vnde putauerit ὑράνον dici. 5
Authoris libri de cauſis opinio de anima cęli. 160

B

D. BAſilius 40. 96. 136
Bannes ſtatuit materiam cælorum non eſſe unius rationis. 108
Bernardinus Teleſius ex quibus Ariſtotelicæ doctrinæ locis perſuaſerit cælum eſſe ignem. 41. horum explicatio. 57
Boethius nomen prouidentiæ unde dictum putauerit. 156
Beſſario ut fuerit interpretatus ſententiam Pharaonis de natura cæli. 9
Boni proprij appetitio omnibus inſita. 19

Cadu-

C

CAducum ſua natura non poteſt fieri immortale munere alterius. 45
Cæſar Cremoninus. 182
Caietanus ſtatuit cælorum materiam eſſe rationis diuerſæ. 108
cęlos eſſe animatos. 157
Caliditas igni cur data. 58
Capreolus Aureolum ſentientem cælum eſſe animatum caſtigauit. 136
quid ſentiat de modo, quo materia cęleſtis & materia caducorum inter ſe diſtinguantur. 107
putauit materiam in cęlis unius rationis eſſe. ibid.
Cauſa conſeruans quibus data. 68
efficiens per emanationem nulla. 21
efficiens quo modo effectum in ſe cõtineat. 27
efficiens tempore anteit id cuius eſt cauſa. 21
Cauſæ rerum principes tribus gradib. diſtinctæ. 162
Calcidij interpretatio nominis οὐρανός 5
Clauij argumenta, quod ſtellæ recens genitæ fuerint firmamento, horumque reprehenſio. 36
Cęleſtia corpora minorem, quam caduca, habent compoſitionem. 92
leuiter attingere potius, quam caduca explicate cognoſcere. 3
Cæleſtes orbes ſingulos moueri ab occaſu in ortum, & totam ipſorum uniuerſitatē ab ortu in occaſum quorumdam opinio. 63
Cæleſtes motus hominibus incogniti. 37
Cælum a mente motrice ſeparatum ex forma, & materia compoſitum. 93
a mente motrice diſiunctum uere, ac propterea animatum. 165
æther cur dictum. 30. 40
an poſſit quieſcere. 142
an ſit ueluti animal magnum. 65
caducis corporibus animatis præſtabilius. 128
conſideratur per ſe a naturali. 84
conuenientius ſtatuitur medium inter mentes beatas, & corpora caduca, quam inter materiam, & mentes beatas. 85
Dei inſtrumentum. 22
Dei nomine nuncupatum. 1
diſiunctum a mente motrice anima præditum. 89
eſt æternum, quia cauſa efficiens caducorum. 32
eſt animatum anima intelligente. 159
eſt corpus ſimplex. 10
ex forma & materia conſtat. 86
ex ſe mouetur, & quo modo. 129
grecè οὐρανός, & huius origo. 5
hebraice Shamaim, huiuſque origo. 55
hominibus dignitate cedit. 137
in eorum numero, quæ ſe ipſa mouēt. 128
in ſe continet modo quodam ſingulari corporum caducorum perfectiones. 153
locus mentium beatarum. 30
mortalitatis aliquo pacto particeps. 28
motum finitum ſua natura habet. 24
motum infinitum vnde conſequatur. ibidem
naturæ Deorum incorporeæ ſimile. 28
nobilius cunctis corporibus caducis. 166
non eſt caducum, quia ipſius effecta ſint caduca. 32
non eſt corpus inſtrumentarium. 139
non eſt materia. 76
non eſt materia per ſe actu exiſtens. 82
non eſt ſimplex forma. 77
præter animam, an habeat aliam formam. 123
quia regit elementa, ab his diuerſum. 26
quo modo moueatur a mente ſeparata. 67
quo modo non habeat materiam, a

ſi ha

ſi habeat, hæc diuerſa ſit a mortaliũ materia. 120
quo pacto ſua conuerſione imitetur mentem. 50
ſine motu non conſequitur ſuum ultimum finem. 26
ſedes diuinitatis habitum. 5
veluti liber, in quo ſcripta eſt Dei uis, gloria, & maieſtas. 2
vinculum, quo æterna & caduca iunguntur. 22
vt inſtrumentum cauſæ principis regit rerum caducarum vniuerſitatẽ. 137
Cæli accidentia nunquid diuerſa ab ijs, quę ſunt in corporibus caducis. 27
anima non eſt vegetalis. 143
appetitus non eſt naturalis. 127
contemplatio iucunda & vtilis. 1
maieſtas. 1
motus eſt naturalis. 18
motus naturaliſne ſit ratione principii actiui. 19
motum non eſſe naturalem quorum opinio, & quibus argumentis confirmetur. 17
motus non habet cauſam effectricem 20
pars nulla ſurſum, aut deorſum moueтur. 60
poteſtas an ad eſſe ſit. 103
vocabuli ſignificationes. 5
Cęlo pręter animam pręſidet mens de ſententia Platonis & Platonicorũ 50
quid natura, & quid anima pręſtet, opiniones uariæ. 122
pręter vires intelligendi, & appetendi nulla alia uis tribuenda, quę ſit principium motus. 161
Cęlum animatum eſſe ex quibus Ariſtot. locis intelligatur. 125
animatum eſſe quib. argumentis conficiatur. 127
animatum non eſſe quæ uideantur perſuadere. 137
ex quatuor elementis conſtare Platoni a quibus tributum. 7
formam eſſe qua rõne ſuadeatur. 76
ignem eſſe qui ſenſerint. 40
ignem eſſe ſuadere quæ videantur. 40
horumque confutatio. 54
ignem non eſſe quib. argumentis conficiatur ab Ariſto. 42. horumque accuſatio, & defenſio. 44
moueri ſolum ab occaſu in ortũ quorumdam opinio. 63
moueri ſolum ab ortu in occaſum opinio quorumdam. ibid.
non moueri appetitu naturali, vt intelligendum. 128
pręter animam habere aliam formã non neceſſe. 124
qui cõtemplatur, eſſe diuinum quoddam numen a quo cuncta reguntur intelligit. 2
ſempiternum ponere multo probabilius, quam factum ex materia Deo coęterna. 31
ſimplicem naturam eſſe, non compoſitam ex forma, & materia quib. argumentis confirmetur. 73
Cæli qua anima animati. 156
ſenſibus donati ab Academicis. 144
ſine ſenſibus in his adminiſtrandis uerſantur. 150
Cęlorum numerus uarius. 37
Cælos animatos eſſe anima mentis rationiſque compote quib. argumentis confecerint Academici. 160
Cęlos factos eſse in intellectu quid. 158
mente præditos eſſe ex quib. Ariſtot. locis intelligatur. ibi.
non eſſe animatos quib. argumentis oſtenſum a Theologis. 137
Compoſitio ęternis adempta, quæ. 95
ex forma & materia nõ ex ſola mutatione in ſubſtantia intelligitur. 93
per accidens poſterior compoſitione per ſe. 89
proprie ex quibus. 11
Compoſitionum tres ſpecies. 73
Compoſitum ex multis quot modis ex his conſtet. 163
omne diſſolubile. 75
omne eſſe diſſolubile, in quo cõpoſito

c &

& quomodo intelligendum. 94
principium primum non eſt, ex quo pendent omnia. 94
Conciliator confutatus. 71
Conimbricenſes caſtigati. 33.108.126. 168
Continuum a ſeipſo non patitur. 12
Cor cum facile poſſit pati,cur rarò patiatur. 29
Corpus compoſitum quale. 11
Corpus diuiduum eſſe in infinitum, vt intelligendum. 95
inſtrumentarium ex quibus partibus exiſtat. 139.140
inſtrumentarium idem, quod compoſitum. 11.139
inſtrumentarium non fit a diuerſitate in raritate, & denſitate. 139
naturale quid. 18
naturale ſubſtantia compoſita. 88
poteſtate vitam habens cur in inſtrumentarium fuerit mutatum in anima finienda. 140
quod verſatur in orbem, cur inceſſanter moueatur. 26
ſimilare idem, quod ſimplex. 139
ſimplex quid. 12
vt agat vniuerſa ui ſua, non oportet ſuis omnibus partibus tangere patiens. 52
Corporis circulo lati partes pari celeritate cientur. 56
præſtantiſſimi natura prçſtantiſſima. 127
ſimplicis vnius vnus eſt motus ſecundum naturam. 47
ſimplicitas non euertitur, ſi pars vna celeriter, & altera tarde moueatur. 16
Corpora an maneant vi ibi, quo vi feruntur. 48
ſimplicia cum naturam mouentur, cur quo longius progrediuntur, eò moueantur incitatius. 57
ſimplicia prius ſunt, ſuamque formã habent, quam moueantur. 15
ſimplicia ſola habent in ſe principiũ motus omnino ſecundum naturam. 15
Corporibus ſimplicibus figuræ a Platone tributæ. 39
Crantor Solenſis quam ob cauſam voluerit Platonem mundum, qui nullum habuit ortum, vti generatum propoſuiſſe. 32
Creatio priſcis philoſophis incognita. 31
Cuius materia eſt, illius eſt ortus, & interitus. 76

D

DEfatigationis cauſæ materia, & poteſtas. 98
Definitiones per actiones, & officia quo modo accipiendæ. 56
Deus cognoſcitur ex operibus. 2
mouet cælos, vt id quod amatur. 132
non eſt proprius motor orbis alicuius 133
Dei nomen cælo tributum. 1
voluntas non eſt aduerſa naturæ rei a ſe conditæ. 95
voluntatem pluris facere, quam id, quod ſuæ naturæ commodum eſt, omnibus inſitum. 25
Deo quæ ſunt propinquiora, non minorem, & quæ ſunt remotiora non maiorem habent compoſitionem. 92
Differentia ſecundum numerum diuerſitas ſpeciei. 119
Differentia omnia non aliqua differentia differunt. 110
ſecundum naturam non æque diſtãt a primo principio. 108
Difficultas non tollit, quod rei naturã neceſſariò comitatur. 30
D. Dionyſius. 31

E

EGidius cæli formam poſuit infra animam. 122
Egidij argumenta, quod cælum ſit animatum. 131

diſpu-

Digitized by Google

diſputatio contra aſſeuerantes materiam cæli eſſe diuerſam a materia caducorum. — 103
opinio de materia cæli. 96. caſtigata. 98
Efficiens vniuocum, & æquiuocum. 131
Elementa media cum ſurſum & deorſum mouentur, an motibus contrarijs cieantur. 48
ſuis in locis apta quieſcere. 49
vt ſint animata. 143
Elementorum qualitates ſtellis diſtributæ. 9
virtus ſumitur bifariam. 27
Elementis tribuitur motus, quatenus grauia, & leuia ſunt. 44

F

Ficini argumentum, quod in cælo ſint qualitates elementorum. 7. huius confutatio. 26
argumenta, quibus perſuadetur, unā eſſe totius uniuerſi materiam. 97
& horum refutatio. 100
Figura comes formæ in corporib. perfectis. 46
comitatur ſolas formas perfectas. 129
prima primi corporis. 129
quando efficiat corpus inſtrumentarium. 140
Finis ante ſtat ijs, quæ ſunt gratia finis. 18
Flamma Lucernæ cur extinguatur ſtilla aquæ infuſa. 52. &
cur non extinguatur ab aeris frigiditate. ibid.
Forma æterna non tollit id, quod naturæ legibus ſancitum eſt. 99
cæleſtis an anima. 122
cæleſtis non poteſt prohibere, ne poteſtas materiæ exeat in actum. 99
in caducis materia ſcit. 79
in eo, quod forma, nunquam a materia ſeparata. 85
in materia non ſemper contrarium habet. 93
non eſt cauſa efficiens proprietatis. 21
non ſic format, ut ſit ab eo, quod format ſeparata. 171
principium motus paſſiuum. 94
quid. 85
quo pacto oriatur in materia. 111
ſola vere ac proprie natura. 88
Formæ alias alia materia. 105
& materiæ coniunctio ſine uinculo. 153
& materiæ quid commune. 170
natura propria in quo ſita. 171
officium cui adimitur, eidem forma eripitur. 155
operationes aperiunt ipſius vim & eſſentiam. 176
vnitas actionem & paſſionem tollit. 100
Formam in materiam reperiri mutatio in ſubſtantia docuit. 74
quod tribuit, id ſemper non eſt particeps ſimilis formæ. 56
Formæ cælorum, & formæ caducorū, ut ſimiles, & ut diſſimiles ex Auerroe. 82
tripartitò diuiſæ. 169
Formarum genus duplex. 96. 169
genus unum ſolum ponendum. 85
Functio ſimplex fluit a forma ſimplici. 11
non neceſſariò demonſtrat ſubſtantiam eſſe ſimplicem. 10

G

Georgij Raguſei opinio, quod natura cæleſtis non pertineat ad ullam ſcientiam 83. confutata. 84
Generans alterando generat. 32
corpus eſt. ibid.
Generatio cur non ſine materia. 116
Generis diuerſitas eſt differentia, qua genus in ſpecies diuiditur. 118
Græci Ariſtotelis interpretes cælum ex forma, & materia compoſuerunt. 90
Grauia & leuia a quib. moueantur. 129

Digitized by Google

non mouentur abſque motore extrinſecus poſito. 129
Gregorius Nyſſenus. 96

H

HErminius quid naturam, & quid animam cælo tribuere voluerit. 122
caſtigatus. 180
D. Hieronymus cælum poſuit expers animæ. 136
Origenem caſtigauit. 157
Hipparcus. 37.60
Homines geniti ad Deum contemplãdum. 2
Hominibus ratiocinatio cur data. 158

I

IAmblicus de natura cœli quid ſcripſerit. 78
naturam animæ diuiduam quid eſſe arbitratus ſit. 134
Ignis an ſua natura moueatur in orbẽ. 47
cæleſtis cur in orbem agatur. 50
duobus modis ſpectatur. 47
elementalis non comburit. 51
in concauo Lunæ poſitus non indiget cauſa conſeruatrice. 68
læditur a motu cæli: & cum lædatur, cur petat ſupera. 69
mouetur in orbem. 59
non lucet perpetuo. 56
non mouetur partim ſecundum naturam, & partim præter naturam. 66
non omnibus ſupereminẽs non eſt leuiſſimus. 57
Ignis motus circularis ſimplex ne an mixtus. 59
motus in orbem cuiuſmodi ſit. 69
Motus in orbem non eſt vnus, & continuus. 72
tres ſpecies poſitæ a Platone. 39
Ignem moueri in orbem, neque ſecundum naturam, neque præter naturã opinio multorum. 61
moueri in orbem ſupra naturam opinio quorumdam, huiuſque confutatio. ibid.
Imaginatio quid. 155
Imaginatricem in cælo eſſe ponendã quæ videantur perſuadere. 154
Imaginatrix in cælo non eſt ponenda: 155
non ſine ſenſibus externis. ibid.
Indi voluerunt animantes omnes vi ſolis e terra fuiſſe genitas. 135
Ioannis Damaſceni rationis duæ interpretandi quoſdam ſcripturæ locos. 157
Iudicium de ſubſtantia ex propria operatione ferendum. 10
Iulianus quid ſenſerit de eo, quod natura, & anima tribuunt cælo. 122

L

LEuiſſimum quid. 41
Leuiſſimi definitio, vt intelligenda. 56
Lineæ vniuerſo naturales quæ. 71
Locus Ariſtotelis explicatus in calce lib. 1. phyſ. 116
lib. 8 phyſ. 52. 173
lib. 1 de cælo. 20. 116
lib. 1. de cælo. 92. 77
lib 1. de gen. & int. 54. 119
lib. 2. de gen & int. 46 120
lib. 2. de gen. & int. 51. 105
lib. 1. meteor c. 4. 57
lib. 1. de anima. 50. 174
lib. 2. de anima. 11. 171
lib. 3 de anima. 4. 181
lib 3. de anima. 61 151
lib. 8 poſtnat. 12. 120
lib. 10. poſtnat. 26. 118
lib. 12. poſtnat. 10. 121
lib. 12. poſtnat. 30. 118. 181
Locus ſupetus qui. 33
Loci ſcripturæ, ex quibus nonnulli intellexerunt cælos eſſe animatos; & horum interpretatio. 157
Lumen non fundit calorem ex ſe. 28
quid. 41

M

MAteria abeſt a primo ente quã quod maxime. 104
ab omni forma vacua quid. 113
apta excipere terminos contradicentes quibus data. 93
cauſa generationis,& interitus. 98
cauſa ipſius eſſe,& non eſſe. ibid.
Materia cęleſtis,an poteſtatem habeat. 113
cur formam non expetat. 97
loco dumtaxat mobilis. 121
& materia caduca bifariam poſſunt conſiderari. 106
& materia caduca quomodo diſtinguantur de ſententia Capreoli. 107
& materia elementalis, vt diuerſæ. 111
ortui & interitui non ſubiicitur. 114
poteſtatem excipiendi nouam formã non habet. 111
ſubiectum rectius dicitur, quàm materia. 115
Materia in cælis,& in caducis quomodo eadem. 106
in cælis formaſcit. 79
in corporibus caducis aptius materia, quam ſubiectum nominatur. 115
non exiſtit actu ſine forma. 83
non propter ſe, ſed propter compoſitum. 111
prima cur vocetur prima. 101
quæ in compoſito eſt, non eſt propriè huius materia. 115
quid ſit. 98
quando ſubiectum, & quando materia dicatur. 114
vbi eſt, ibi contrarium, quo pacto intelligendum. 117
vt ſit cauſa, cur res poſſit eſſe, & non eſſe. ibid.
Materiæ cæleſtis,& materiæ caducæ ſimilitudo & diſſimilitudo. 102
cæli, & materiæ corporum caducorum diſſimilitudo, & ſimilitudo ex Auerroe. 81
conditiones duæ. 80
diſtinctio ex Auerroe. 86
Finis. 111
natura. ibid.
nomina duo. 114
poteſtates duæ. 113
vocabuli notiones duæ. 120
Materiam non eſſe actu hoc aliquid, ſed poteſtate quid. 116
Melius quod eſt, id ſemper in natura eſt. 19
Mens,& ſenſus cæleſtis, vt differunt in ſubſtantia comprehendenda. 145
in cælo non eſt principium motus. 134
motrix cæli non eſt huius anima. 89
non poteſt cælo tribuere motum. 130
penitus indiuidua & ſtabilis. 134
Mens ſeparata ſine [illegible]. 158
propter quid poſita. 140
Mentis eſt dirigere, & prouidere. 156
Mercenarius caſtigatus. 12.109
perperam accepit ſententiam Platonis. 167
quo argumento ſit vſus ad perſuadendum cæli materiam ſimplicem eſſe. 82.&
huius confutatio. 85
Mixta corpora, vt mixta non mouentur motu ſimplici, aut mixto. 12
vt ſint per ſe loco mobilia. ibid.
ſecundum totam ſuam naturam non ſunt loco mobilia. ibid.
Mole creſcente totum fit magis actuoſum. 51
Mortale & immortale genere ſunt diuerſa, vt exponendum. 118
Motus aut ſecundum naturam, aut pręter naturam. 61
cæleſtis, quod ſit æternus & quod finito tempore abſoluatur, vnde. 179
circularis animæ proprius. 129
circularis animam ſequitur. 141
circularis ab anima ſola cur proficiſcatur. 130
circularis natura prior,& præſtantior motu recto. 19
circularis non eſt vltimus finis corporis cæleſtis. 26

cir-

circularis quo pacto naturalis cælo. 20
corporibus æternis cur datus. 26
corporibus caducis cur tributus. ibid.
in loco vt oſtendat ex materia, & forma compoſitionem. 93
mixtus ademptus corporibus ſimplicibus qui. 60
mixtus corporum compoſitorum. 11
mixtus duplex. 60
mixtus naturalis quibus concertus. 12
mixtus, vt ſit corporibus compoſitis naturalis, & non naturalis. 13
mixtus qui. 11
naturalis a quo, & cui tributus. 131
naturalis an ſit, nõ intelligitur ex principio actiuo. 21
naturalis cur impertitus. 132
naturalis inæqualis. ibid.
naturalis quid. 19
præſtantiſſimus corporis præſtantiſſimi. 58
rectus vt elementis naturalis. 20
ſimplex cur non corporis compoſiti. 11
ſimplex cur ſimplicis corporis. ibid.
ſimplex naturalis qui 70
ſimplex non eſt idem, quod motus unus. 14
ſpontaneus vitæ argumentum. 134
veluti vita. 19
Motus æternitas duplex. 23
cæleſtis principium, non eſt anima. 131
principium in ſe continens magis cauſa princeps motus, quam quod mouetur ab alio. 133
ſimplicitas ſequitur ſpacij ſimplicitatem. 60
Motu ſimplici corpus compoſitum, vt moueatur. 11
Mouens diuiſum ab eo, quod mouetur. 123
immobile cauſa æternitatis motus cæleſtis. 179
immobile mouet cælum per modum finis. 23
primum nullius globi cæleſtis anima. 180
primum immobile duobus modis poteſt induci. 141
primum immobile mouere per modum efficientis cur poſitum ab Ariſtotele. ibid.
Moueri ex ſe præſtabilius, quam moueri extrinſecus. 132
ex ſe, vt ſit corporis animati, vt non conueniat inanimo. 129
Multifariam dictum primum diſtinguendum. 4
Mundus cæli nomine ſignificatus. 40
cur appelletur uniuerſum. 73
quid. 5
vnde dictus. 75

N

Natura integra per ſe exiſtens non eſt forma alicuius. 170
non idem, quod habeas naturam. 88
non eſt principium ut id, in quo ineſt moueatur perpetuò. 15
non poteſt motum tribuere cælo. 130
Naturæ ordo. 77
Naturæ tribuendum quod ſemper fit, & maiore ex parte. 72
Natura quæ differunt, non æquè diſtant a primo principio. 103
Naturas diuerſas habentia non mouẽtur eodem motu. 44
Nicolaus Copernicus. 57.63
Nox non omnibus eodem tempore oritur, & occidit. 57

O

Ocellus. 31.55
Omne, quod mouetur, ab aliquo moueri, in quibus audiendum. 22
Operis gratia ſunt, quorum eſt opus aliquod. 19
Opiniones extinguuntur, & redeunt. 30
Orbis ſtellarum fixarum cur cæli nomine nuncupatus. 5

Or-

Digitized by Google

Orbium cæleſtium compages cur cæli nomine obſignata. 6
Orontius quid de cęleſtium corporum moribus ſenſerit. 63
Olympiodorus caſtigatus. 52.53
cælum ex forma, & materia compoſuit. 91
Origenes putauit cælos, & ſtellas anima uti. 135
a D.Hieronymo caſtigatus. 157

P

PArs inſtrumentaria. 139
non eſt idonea totius uicem ſuſtinere. 100
Pendaſius. 142
reprehenſus. 179
Perfectio quod eſt in caducis, id in æternis quandoque imperfectio. 153
Perpetuitas ſola non eſt argumentum ſeparationis a materia. 181
Phœnices putarunt omnes animantes vi ſolis e terra genitos fuiſſe. 135
Philo mundum factum negantes voluit prouidentiam tollere. 32
Philoponus cælum ex materia, & forma compoſuit. 90
quid a natura, quid ab anima cælo tribui putauerit. 122
quo argumento docuerit cælum eſſe animatum anima intelligente. 159
quibus argumentis perſuaſerit omne compoſitum eſſe diſſolubile. 55
Philoponi argumenta, quod cælum cõſtet ex elementis. 7. horum ſolutiones. 29
argumenta, quod cęlum poſſit pati, & interire 8. horum confutatio. 30
argumenta, quòd cælum ſit ignis. 41
horum diſſolutio. 56
argumenta, quòd cælum non ſit materiæ expers 97. confutatio. 101
argumenta, quod materia cæli non ſit diuerſa a materia rerum caducarũ. 97. confutatio. 101
opinio de materia cæli. 96
opinio de mod, quo cælum ſua conuerſione mentem imitatur. 50
reſponſiones ad uaria Ariſtotelis argumenta. 44. caſtigationes. ibid.
reſponſiones ad argumenta, quibus ſuadetur in cælo non eſſe elementorum qualitates. 8 caſtigatio. 29
Philoſophi veteres rationem mouendi per modum finis ignorarunt. 24
Piccolominei opinio, quod motus ab ortu in occaſum tribuatur ſphæris erraticis a prima ſphæra confutata. 63
opinio, quod motus ignis in orbem ſit medius; confutata. 67
reſponſio caſtigata. 166
Plato cur mundum uti generatum conſiderauerit. 32
homines initio e terra fuiſſe generatos putauit. 136
Moyſes attice loquens nuncupatus. 38
quem ſenſum e mundo e jciat. 146
quo ſenſu dixerit cælum eſſe genitũ, uariæ explicationes. 31
ſingulas ſtellas ſingulis animis donauit. 136
voluit omne compoſitum eſſe diſſolubile. 75
Platonis conſenſus cum Pyihagora. 40
interpretatio nominis οὐρανοῦ, 5
interprætatio vocabuli ętheris. 55
opinio de natura cæli. 39
ſententiæ, quod cælum conſtet ex quatuor elementis, interpretatio. 9
Platonem ſenſiſſe cęlum eſſe ignẽ qui putauerint. 38
Pletho formas uniuerſas tripartitò diuiſit. 169
Plotinus ſenſit materiam formæ coniunctam non amittere ſuam poteſtatem. 112
Plotini argumentum, quo perſuadetur materiam in corporibus reperiri. 93
interpretatio, quid ſit natura animæ diuidua. 134
opinio, quod cælum ſit ignis. 38

opi-

opinio, quod forma non ſit ſeparabilis. 86
opinio, quod ignis ſit immortalis munere animæ. 45. confutatio. ibid.
Plutarchus, vt fuerit interpretatus locum lib 3. de anima 61. 151
confutatus. 152
Porphyrius quo pacto expoſuerit mundum eſſe genitum de ſententia Platonis. 31
Poſitionis differentiæ, an efficiant corpus inſtrumentarium. 140
differentiæ duobus modis principia motus. 154
Poteſtas ad eſſe an ſit poteſtas contradictionis. 103
ad eſſe via ad interitum. 74
Logica. 113
materiæ propria. 79
radix receptionis. 104
ſimplex extremum vnius diſtantiæ. 106
ſita in natura materiæ. 98
vera cum priuatione coniuncta. 103
vt ſit, & vt non ſit eſſentia materiæ. 112
Poteſtatis nomine duo ſignificantur. ibidem.
Poteſtate quod eſt, non amittit poteſtatem, niſi totum id accipiat, quod eſt poteſtate. 100
Poteſtates in materia duæ. 113
quibus actibus diſtinguantur. 121
πρᾶξις quibus data. 158
Principium in naturæ diffinitione cuiuſmodi. 21
motus intus poſitum duplex. 20
Proclus cælum eſſe ignem fuit opinatus. 38
cælum eſſe genitum ut expoſuerit. 31
inconſtantiæ reprehenſus. 38
Platonis ſententiam, quod cælum conſtet ex elementis, ut fuerit interpretatus. 10
ſubſtantia animæ diuiduam quid uoluerit eſſe. 134
ſenſuum quot gradus poſuerit. 144
Propenſio ad motum uel natura, uel naturæ comes. 49
Propenſiones ad motus diuerſos non ſunt in uno ſimplici corpore. 47
Prouidentia in tres partes diuiſa. 144
Prouidentia mundum gubernari non ſolus cæleſtis motus perſuadet. 24
Ptolemæus 5. 9. 28. 37. 47. 49. 60
Purbacchius. 5

Q

QValitas non eſt principium motus in cęlo. 133
Qualitates primæ quarum qualitatum principia. 29
Quę fiunt, non omnia fiunt a ſimilibus 31
Quæ natura mouentur, non eſt neceſſe a motu ceſſare, vbi ad motus limites peruenerint. 26
Quicquid fit a ſimili fieri, in quib. cauſis audiendum. 33
Quod a pluribus indicatur, multo probabilius eo, quod a paucis. 38
Quod tribuitur a natura communi, nō eſt aduerſum illi, quod naturā propriam comitatur. 64

R

RAtiocinatio hominibus cur data. 158

S

SCientiæ vnius vnus definiendi modus. 84
Scientiæ extinguuntur, redeuntque. 30
Senſus in cælis non eſt ponendus. 146
mundo ademptus a Platone qui. ibid.
neceſſario poſtulat inſtrumenta. 149
non eſt uinculum, quo anima intelligens corpori coniungitur. 153
quid. 140
Senſus cęleſtis differentia a mente in ſubſtantia cognoſcenda. 145
natura, & eſſentia in mediocritate. 146

Digitized by Google

Senſus cæleſtium, & caducorum corporum in quibus conueniant, & in quibus diſcrepent. 145
nullam cælis poſſunt vtilitatem afferre. 150
Senſuum gradus quatuor. 144
vſus & vtilitates. 149
Simile non patitur a ſimili. 51
Simplex bifariam dicitur. 16
Simplicia rectius diuerſa, quam differentia. 101
ſeipſis diuerſa. ibid.
Simplicius caſtigatus. 12 28
compoſuit cælum ex forma, & materia. 90
putauit Platonem in natura cæli conuenire cum Ariſt. 39
mentem cur dederit cælo. 122
quid ab anima, & quid a natura cælo tribui putauerit. ibid.
vt ſententiam Platonis: quod cælum conſtet ex elementis fuerit interpretatus. 10
Simplicij explicatio. 65
explicatio confutata. 173
opinio de cæli animatione. 170
opinio, quod ignis moueatur in orbē ſupra naturam, damnata. 61
Sol cur flauus, & rutilus uideatur. 54
non habet vim caloris producendi. 28
per ſe candidus. 54
Species quò perfectior, eo plura repreſentat. 148
vna vt poſſit eſſe multorum imago. ibidem.
Species ingenitæ ſenſibus refutantur. 147
Sphæræ erraticæ mouentur ab ortu in occaſum per accidens. 65
neque ſecundum naturam, neq; præter naturam mouentur ab ortu in occaſum. 66
non mouentur ab ortu in occaſum a propriis motorib. 63
Sphærarum erraticarum motus ab ortu in occaſum cuiuſmodi ſit. 62
Stellæ an ſint animatæ dubium D. Auguſtino. 136
ex halitibus in cælis gigni creduntur. 16
non ſint propriis animis animatæ. 136
ortæ & extinctæ. 9
quam naturam habeant opiniones variæ. 55
ſingulæ ſingulis animis donatæ a Platonicis. 135
Stellarum, quæ oriri, & interire ſunt viſæ, ortus cuius modi fuerit, opiniones uariæ. 34
Strato Lampſacenus. 20

T

Tactus corporum eſt. 32
Taurus de ſententia Platonis compoſuit cælum ex quatuor elementis. 7
quo ſenſu putauit Platonem dixiſſe mundum eſſe generatum. 31
Temperationes, an ex coloribus recte iudicentur. 53
Templa non ſunt loca, in quib. veteres putauerint Deos habitare. 30
Temporis diuturnitas non eſt perfectionis argumentum. 167
Terram eſſe animatam vnde nonnulli intellexerint. 135
Themiſtius cælum compoſuit ex forma, & materia. 90
duo nomina uoluit dici de materia. 114
quo pacto dixit cælum ſolo actu contineri. ibid reprehenſus. 49.56
Theodorus Solēſis, vt fuerit interpretatus ſubſtātiam animæ diuiduam. 134
Theologorum argumenta, quod cæ'ū non ſit animatum. 137
opinio, an motus cæli ſit natura lis. 17
Theophilus Zimara reprehenſus. 164
Theophraſtus ea, quę ſiūt, ut fuerit partitus. 33
corpora omnia uoluit eſſe cōpoſita. 90
cælum eſſe animatum quo modo docuerit. 127

Digitized by Google

D. Thomas Auerroem caſtigauit in materia cæli. 87
cælum ex forma, & materia compoſuit. 92
cælum ſtatuit ſua natura moueri. 25
de animatione cęli quid ſenſerit iuxta Ariſtotelis opinionem. 169
de materia cæli quid ſenſerit. 101
formam cęli infra animam poſuit. 122
Totum eſt pars ſui princeps. 6
Totius motu an partes moueantur ſecundum naturam. 65
Traductio de poteſtate in actum non multitudinem ſed perfectionẽ largitur. 113
Trallianus de eo, quod natura, & anima tribuunt cælo, quid ſenſerit. 122

V

Virtus finita duplex. 35
infinita bipartito diuiſa. 34
Virtutis finitæ quod eſt, illud poteſt interire, quo modo accipiendam. 34
Vis infinita duorum modorum. 180
infinita quæ in magnitudine poſſit eſſe, & quæ non poſſit. 180
Vniuerſum cæli nomen vnde inuenerit. 6
vnum vnitate ordinis. 109
vt ſit animatum. 143
Vnum per ſe cur fiat ex actu, & poteſtate. 164
vt fiat ex duobus. 64
vt fiat ex materia & forma. 113
Vnum vni contrarium, in quibus contrariis audiendum. 70

X

Xenarchus aduerſus Ariſtotelem ſentientem motum ſimplicem eſſe corporis ſimplicis, dubitauit. 13
ignem ſua natura in orbem moueri poſuit. 47
occurrit argumento, quo ſuadetur ignem non poſſe ſua natura in orbẽ moueri. ibid.

Z

Zabarella confutatus. 65.68.87
Zabarellæ argumenta, quod cælũ non ſit ex forma, & materia compoſitum. 74 horum refutatio. 93.117
Zimara confutatus. 70.87
de cæli animatione quid ſenſerit. 163

Finis Indicis primæ Partis.

INDEX
MEMORABILIVM
IN ALTERA PARTE
de Stellarum efficientia contentorum.

A

ACtionum duplex diuerſitas. 132
Adriaticus ſinus in orbẽ mouetur. 223
et cur. 224
Aegyptiis cælum loco genitoris. 191
Aeſtate frigus ſummum cur ſentiant quandoque. 205
Aeſtates cur non æque calidę. 205
Aeſtus maris triplex. 224
annuus. ibid.
diurnus. ibid.
menſtruus. ibid.
cauſa non eſt moror internus. 225
cauſa non exiſtit ex lunari lumine. 220
cauſa non exiſtit ex motu lunæ. ibid.
cauſa non exiſtit ex vi lunæ arcana. ibid.
cauſa quæ. 225
Aeternitas quid. 454
Aethiopes omnium primi cælum, & aſtra ſunt contemplati. 235
Agens idem materiam parat, & formã inducit. 272
per modum naturæ vnum ſolum efficere opere. 197
quod agendo repatitur, quod. 188
quod procul abeſt, non agit ſine medio. 198
Alexandri opinio de attractione ferri a magnete. 207
exagitata, & defenſa. 208
opinio de viribus mixtorum. 205
Anima corpus, quod animat, nequit ſibi fabricare. 387
noſtra quaternario conſtat. 404
noſtra vt ſupra fatum, in fato, & ſub fato. 471
rationis compos quando ſub fato, & quando libera a fato. ibid.
rationis compos libera. 269
Animæ caput mens. 471
idolum. ibid.
veſtigium & vmbra. 472
Animæ duæ in homine. ibid.
Animalis pars vna cur alterius affectionem poſſit indicare. 255
partes arctius connexæ, quam partes vniuerſi. 255
Animalia agunt per vim imaginatricẽ. 393
munda cur plura fuerint ingreſſa in

arcam Noe,quàm immunda. 418
Animalium ex putri materia cauſa efficiens. 383
Animantes ut pendeant ex motu cæli. 244
Annus climatericus qui. 399
cur hoc nomen inuenerit. 400
grauior cæteris qui. ibid.
multiplex. 399
peruerſus. 241
Annus maximus. 248
octuageſimus primus animo grauis. 400
quadrageſimus nonus corpori grauis. ibid.
ſexageſimus tertius omnium grauiſſimus. 400
tertius, & ſexageſimus cur plerumq. lethalis. 402
Antonius Caracalla periapta geſtantes ſtatuit condemnare. 219
Anulus ad venena præcauenda. 216
Apparatus ignobilior re, ad quam eſt apparatus. 385
Ariſtoteles moriturus primæ cauſæ miſericordiam implorauit. 451
opinionem Platonis de ideis ſyncerè interpretatus eſt. 448
non putat omnium poſſe afferri neceſſarias demonſtrationes. 449
putauit Deum ſe ipſum intelligendo, quæ ſunt extra ſe intelligere. 450
veritatis cupidus,& ſtudioſus. 420
Ariſtoteli morienti a diſcipulis quo modo acclamatum. 451
Arte quod conſtat, non eſt ratio accipiendi aliquid a corpore naturali. 218
Aſpectuum non alii beneuoli, & alij maleuoli. 380
Aſtrologi amatores arcanarum virtutum ſtellis tributarum. 191
cur vera quandoque effutiant. 262
ex quib. ſtellis capiant de futuris præſenſiones. 247
ignari modorum,quibus ſtellarum vires inter ſe miſcentur. ibid.
plerique non habuerunt fidem prædictionibus ex aſtris. 262
quæ præſentiunt, non ſunt diuturna obſeruatione notata. 248
Aſtrologorum opinio cælorum efficientiæ omnia ſubiiciens. 236
opinio,cur annus ſexageſimus tertius ſit omnium difficillimus. 401
opinio de vi ſtellarum non eſt diuerſa a Genethliacorum, & Stoicorum opinione. 270
Aſtrologis quæ perſuaſerunt omnia fieri neceſſariò. 241
Aſtrologos quæ impulerunt, vt omnia ſubijcerent cælorum,& ſtellarum efficientiæ. 238
Auguſti Imperatoris epiſtola. 400
D.Auguſtini locus explicatus. 255

B

Babiloniorum error. 270
D.Baſilii diſputatio contra Aſtrologos. 261
locus. 256
Binarius habitus infauſtus. 408
Binarii natura malefica. 413
Boethi diffinitio fati. 481
fatum nunquid Stoicorum fatum. 481

C

Cabaliſtæ maximi fecerunt incantationes. 213
Calor luminis an elementaris. 196
ſubterraneus. 202
Caſualia quæ. 190
reſpectu cæli nunquid caſualia. 189
Caſus non eiiciendus, e rerum natura. 166
Stoicis cauſa certa,& definita, ibid.
Caſui ſubiectorum cauſæ non in cælis. 273
Cauſa æquiuoca præſtabilior eo, quod efficitur. 114
communis,& ſingularis non idē. 198
communis non agit quicquam ſine propria. 197.244.421

Digitized by Google

dimidiata cuius ſit naturæ. 197
efficiens æquiuoca,& vniuoca. 188
prima non prius attingit id,quod ſit, quam cauſa ſecunda. 437
propria abſque communi otioſa. 244
propria vnius rei vna. 198
quo remotior,eò amplior. 228
Cauſæ agentis conditiones. 186
communis propria. 244
Cauſa prima non agente reliquæ otioſæ. 232
Cauſarum duplex genus. 189
efficientium contrarietas cauſa contingentiæ. 427
ordine eſſentiali inter ſe diſtributarũ lex. 234
Cauſæ caducæ non ſunt ſtellarum inſtrumenta. 272
ſecundæ non ſunt cauſæ primæ inſtrumenta. 430
ſecundæ quo pacto dicantur agere virtute primæ. 436
ſecundæ ut ab inſtrumentis differant. 430.436
Chaldæi habuerunt cælum loco genitoris. 191
Chaldæorum error. 270
Cælum cauſæ communis. 189
cauſa effectrix eorum,quę natura generantur. 184
cauſa effectrix prima. 229
corpus ſimilium partium. 197
Dei lyra. 185
effectum ſuum nunquam non conſequitur. 190
facit nihil ſine cauſa inferiore. 245
habitum loco progenitoris. 191
lumine,an motu agat magis. 227
lumine non calefacit. 204
medium inter mortalia, & motorem immobilem. 185
mobile minus,quam reliqua corpora. 186
motu nullum vim immittit in caduca. 230
motu vt proſpiciat caducis. 231
non eſt cauſa ſingularis. 198
omni ex parte ſimile, vt efficiat diuerſa. 245
partim mutabile, partim immutabile 185
poſitum poteſt videri, vt vniuerſo ſit decori,& ornamento. 188
rebus generandis per ſe ſolum non ſufficit. 421
ſi quieſceret,an locus eſſet mutuæ elementorum generationi,& interitui. 232
ſtellarum fixarum reliquis diuinius. 229
tanquam mas,& genitor. 191
veluti liber, in quo ſtellę tanquam literæ ſunt deſcriptæ. 251
Cæli efficientia quamuis neceſſaria, attamen quæ fiunt, non neceſſariò fiunt. 189
inſpectio non tribuit futurorum prę ſenſionem. 246
motus ſimilis motioni cordis. 234
motus vt ſit cauſa efficiens elementorum mutationis. 233
natura omnium corporum vnitas. 202
notitia dubia,& lubrica. 246
reſpectu nihil caſu temereque fit. 190
vis diffuſa in elementa. 238
Cælo principium,quo agit forma. 191
Cælum agere in elementorum vniuerſitate,quæ perſuadeant. 185
Cęlorum & corporum caducorum materia eadem. 186
motu vt regatur caduca vniuerſitas. 230
motus cauſa cõis generationis. 244
Cognitio ex ſimilitudine. 443
interior quadripartitò diuiſa. 405
Cognitionum differentiæ vnde. 439
Cognoſcendi modi duo. 388
Cognoſcens vis excellens ſimpliciter, quæ. 446
nunquid eo perfectior, quò plura apprehendit. ibid.
Commoda, & incommoda hominum non ex ſtellis. 273
Compoſitum per accidẽs quo differat a compoſito per ſe. 217

Con-

Conceptionis hora non intelligitur ex partus hora. 274
tempus incertum. 259
tempus plus habet momenti ad fata decernenda,quàm geniture tempus 273
Coniugium quinatii nomine ſignificatum. 403
Contingens productum amittit nomẽ contingentis. 426
quid. 425
Contingentis cauſæ. 426
diuiſio. 425
Contingentium diuerſitas. 429
Contrariorum decem coniugationes. 408
Creationis mundi ſecunda die cur nõ fuerit dictum: Vidit Deus,quod erat bonum. 418
Criſis quid. 221
vnde dicta. ibid.

D

Daemones eiecti,aut ignorati a Peripateticis. 217
inſpectores cæleſtium ſignorum. 255
prætenſionem futurorum non habẽt. ibidem.
Demonſtrationes non omnium neceſſariæ. 449
Deſiderium non diſiunctum ab imaginatione. 394
Deus ab omni opere uacuus. 4 0
cernit,& audit omnia. 438
continet omnino modo quodam ſingulari. 455
futura habet cognita. 454
futura quæ ratione intelligat. ibid.
intelligens naturam. 452
intelligens ſui ipſiusne dumtaxat, & præterea nullius. 443
intelligit omnia ſimul. 447
intelligit perpetuo. 452
intelligit ſic ſe, vt reliqua omnia intelligat. 453
intelligit per ſuam ſubſtantiam. 452
non agit naturæ neceſſitate. 432
non intelligit extra ſe materiata. 443
non intelligit per ſpecies. ibid.
nomen ſuum cur quatuor literis voluerit conſtare. 414
prima cauſa effectrix non eſt. 229
principium,medium, & finis omniũ cur. 413
quo modo agat. 432
quo pacto moueat res caducas. 267
ſi agat naturæ neceſſitate, non ſequitur omnia fieri neceſſario. 432
ſi ageret ex naturæ neceſſitate, non haberet vires agendi infinitas. 435
ſupra ens. 408
Vnitas cur. 403
vnius nomine ſignificatus. 406
vtentur rebus abſque corruptione rerum. 483
Dei cognitio non eripit hominibus liberam agendi facultatem. 457
intelligentia ſimplex, & abſoluta. 447
natura. 451
nomen quatuor literis conſtat. 414
perfectio ex ipſomet Deo. 444
reſpectu nihil fit temere. 267
virtus in cauſis ſecundus amittit neceſſitatem. 436
vis intelligens idem, quod intelligitur. 452
vita ſui ipſius contemplatio. ibid.
voluntas cauſa contingentiæ. 428
Deo præſentia omnia. 440
Deum apprehendere, quæ fiunt, tum cum fiunt,abſurdum. 438
non intelligere ea, quę ſunt extra ipſam,quæ perſuadeant. 443
ſolutio. 447
ſic ſe intelligere,vt quæ ſunt extra intelligat, quæ perſuadeant ex Ariſtotele. 444
ſolutio. 446
ſic ſe ipſum intelligere,vt alia in eminentia intelligat,putant Auerrois ſectatores. 445
caſtigatio. 446
Deorum & hominum diſcrimen. 250

Dies

Dies critici qui. 211
critici non ex arcana lunæ vi. 220
critici non ex lunæ luminę. 219
critici non ex lunæ motu. 220
critici vnde. 221
quadrageſimi in Græcia olim inſignes. 395

E

ECheneis nauigia cur remoretur. 210 211. 212
varie deſcriptus. 210
Echeneidis vis. 211
vis dubia & incerta. 210
Effectus tempore nunquam antegreditur cauſam. 254
Electio quid. 275
Electiones noſtrę ad ſtellas non ſunt referendæ. ibid.
Elementa diſiuncta a ſe inuicem cur non ſint. 231
experiuntur cæli, & ſtellarum efficientiam. 239
vt pendeant ex cæli motu. 244
Elementorum vtilitates duæ. 235
Euripi chalcidici cauſæ. 226
Exemplar in agente ponendum. 388
refertur ad cauſam effectricem. ibid.
Exemplari propoſito, quæ agant. 388

F

FActorum duo genera. 264
Fatum bifariam intelligitur. 466
cur damnatum. 480
Dijs dominatur. 461
diuerſum a prouidentia. 482
ex prouidentia pendet. 481
idem, quod natura. 476
mutabile. 473
quid. 470
quid Aſtrologis. 236
quid Poetis. 460
quid propria opinio. 478
quid Theologis. 480
quid variæ veterum philoſophorum explicationes. 461
quorum ſit, & non ſit. 475
quibus impeditur. 474
verum an differat a Stoicorum fato. 483
vnde dictum. 480
Fati definitio ex Boethio. 481
& explicatio. 482
diffinitio quorundam. ibid.
explicatio ex lib. de mundo ad Alexandrum. 474
Fato non omnia ſubiecta. 471
quæ ſubſunt, prouidentiæ ſubiecta. 481.
ſubiecta omnia Poetis. 461
ſubiecta quæ. 479
Fato cur non fiant, quæ arte fiunt. 478
quæ fiunt, non fiunt neceſſario. 479
quæ fiunt, prouidentia adminiſtrantur. 473
Fata Iouis ſententiæ. 471
Plutoni tributa. 461
Fatale quid. 478
Fatalis motus qui. ibid.
Fatalibus vinculis quæ colligata. 480
Ferrum cur non moueatur ad magnetem oleo, aut allij, vel cæpæ ſucco illicum. 209
quo modo trahatur a magnete. 208
Fœtus cur citius, aut tardius oriatur. 398
vltra decimum menſem cur utero nõ geratur. ibid.
Forma impar vocata. 406
materiata proprium ſubiectum nunquam deſerit. 207
omnis non eſt principium agendi. 417
per ſe ſola impatibilis. 384
veteribus ignota. 407
Formam, & proprietates, quæ ſequuntur formam, tribuere eiuſdem eſt. 240
Formatrix quot, & quibus modis ponit dirigi ab imaginatrice. 386
ſtygmatum cauſa de ſententia quorumdam. ibid.
Fortuna Stoicis cauſa certa. 266

Fortui-

Fortuita non ſequuntur primas qualitates. 381
Fortuitorum cauſæ non in cælis. 273
Fuſum adamantinum quid Platoni. 470
Futurorum cognitio diuinitatis argumentum. 454

G

GAlenus dierum criticorum cauſam retulit ad lunam. 193
fidem non habuit incantationibus. 219
Generatio, & interitus cur nunquam deficiant. 231
Genitum a minus nobili non fieri in quibus intelligendum. 382
principij proximi, & non remoti naturam imitantur. 189.251
Georgius Raguſeus aduerſus numerorum virtutes diſputauit. 420

H

HAbitus confirmatus non eſt arbitrij noſtri. 422
Habituam poteſtas non ita eſt, quemadmodum actionum. 421
Hippocratis opinio, cur partus octimeſtris non ſit vitalis. 396
Homeri aurea catena. 234
Homo non omnino natura ducitur. 268
Hominis voluntas libera. 268
ſoluta a legibus fati 481
Homini manus cur datæ. 213
tempus pariendi multiplex datum. 396
Homines honeſta cum cognoſcāt, cur agant flagitioſa. 421
literati cur melancholici. 383
propenſionibus inſitis vim habent reſiſtendi. 381
ſentiunt vim calorum. 241
Hominum & deorum diſcrimen. 250
libera noluntas cauſa contingentiæ. 428
quæcunque geruntur mente & conſilio, non ita fiunt, ut aſtrorum ui ſecus fieri prohibeantur. 268
Horoſcopus Aſtrologis incertus. 260
non poteſt conſtitui. 259
vt conſtituatur, quot & quæ poſtulentur. ibid.
Hyeme calor ingens cur ſentiatur quādoque. 205
Hyemes cur non æque frigidæ. ibid.

I

IDeæ ab Ariſtotele labefactatæ quæ. 447
quid. 409
Ignis cælo ſubiectus cur deorſum deijciatur. 235
permeat omnes orbis caduci partes. 235
ſubterraneus cognitus Ariſtoteli. 203
Ignis per hāc caducam vniuerſitatem diffuſi uis. 243
ſubterranei cauſa. 203
Imaginatrix communi omnium conſenſu imprimit ſtygmata. 384
non impellit ſpiritus. 385
non imperat ſpiritibus. ibid.
non imprimit ſtygmata ui alicuius ſtellæ. 384
non ita confert ad ſtygmata imprimenda vt hominis cauſa ſit. 392
valet multum ad notas imprimendas. 390
vt dirigat formatricem. 387
Imaginatricis actio eſt cognitio. 385
& opinionis diſcrimen. 392
Imaginatrici non eſt adſcribenda ſtygmatum cauſa de ſententia quorundam. 389
Imagines aſtrologicæ a quibus magni habitæ. 215.216
nullam habent vim. 212
qua ratione conficiantur. 216
Imagines cæleſtes comentitiæ, & fabuloſæ. 218
deſcriptæ nane. ibid.
Imaginum ortu logicarum vis. 216

vis

Digitized by Google

vis non exiſtit ex figura. 217
vis non exiſtit ex materia. ibid
Imaginum duplex genus. 216
Immobile principium eorum quæ mouentur. 186
Incantationum uis in quo poſita. 213
Influxus ab Ariſto.& Theophraſto neglecti. 201
neque cum corpore neque ſine corpore deferuntur. 199
non deferuntur a lumine. ib d.
non educuntur. ibid.
non ſunt cauſæ dimidiatæ. 197
non ſunt cauſæ integræ. ibid.
non ſunt cauſę proprię. 198
non ſunt ſtellarum lumina. 200
proprie qui. 192
ſtellis non neceſſarii. 200
Influxibus poſitis ſtellæ ſunt cauſę rerum ſingulares. 197
Inſtrumentum optime conſtitutum ſi vnum vni operi ſeruiat. 213
Intelligibilia quibus modis intelligantur. 440
Iuppiter naturæ temperatæ. 237
Iuſiurandum per quaternarium Pythagoricis ſanctiſſimum. 414
Iuſtitia quibus numeris ſignificata. 403

L

Lapidum cauſa efficiens. 382
Lex Adraſtiæ. 469
fatalis. ibid.
Iouis. ibid.
Saturni. ibid.
Libertas agendi cui naturæ conceſſa. 435
in Deo & in hominibus diuerſa. 434
in hominibus connexa cum imperfectione. 16
Liberi antiquitus apud Hebræos vnico folio conſtabant. 258
Loci Ariſtotelici explicatio in lib.1. de cœlo. 100.243
in lib 2.de gen. & int. 58.201
in lib.1.meteo.c.2. 38
in lib.12.poſtnat. 51.441
in ſect 10.probl.12 389
Loco nulla uis agendi. 380
Lumen omne calefacere videtur. 195
ſolis ſine efficacius lumine ſtellarum fixarum. 228
ſuſceptum a uariis ſtellis non induit diuerſas virtutes. 194
vi propria non calefacit. 229
vt calefaciat. 229
Luna madefacit. 236
ſuo lumine non eſt cauſa dierum criticorum,æſtuſque marini. 2 9
ſuo motu non parit dies criticos. æſtumque maris. 220
vi arcana non excitat dies criticos æſtumque maris. 220
Lunæ uis. 183

M

MAgnes ferrum, & magnete petit. 209
Manus homini cur datę. 213
inſtrumentum inſtrumentorum. 213
Mare Adriaticum,& Mediterraneum cur quaſi moueantur circulo. 224
Maris ęſtus non eſt ſimplex, & unus motus. 224
ęſtus ex contrariis motibus conſtat. 225
æſtus triplex. 224
æſtus unde exiſtat uarię opiniones. 225
æſtus cauſa non eſt motor internus. ibid.
ęſtus cauſa. 226
motus uarii. 222
motus ab ortu in occaſum.222.& unde exiſtat varię opiniones. 223
trepidatio,huiuſque cauſa. 222
Maria nonnulla cur æſtu non patiantur. 227
Maris qualitates. 237
Materia cauſa contingentiæ. 426.& vt ſit cauſa. 427
cauſa cur patiantur omnia. 234
cur dualitas. 403
cur formam nullã habeat infinitã. 194

e fons

fons & origo neceſſitatis. 478
par infra ens. 408
par dicta. 406
Materiæ apparatus ex primis qualitatibus. 218
hieroglyphicum. 408
Mens a materia ſeparata non efficit ea, quæ ſecus ſe habent. 254
cur vnitas. 404
mund. fabricatrix. 410
prima intelligatne per ſuam ſubſtantiam, an per poteſtatem. 441
prima nũquid quia intelligat, an quia intelligatur, præſtantiſſima. 442
prima quid intelligat. 442
prima, vt inducenda. 441
Mercurius de fato quid ſenſerit. 462
Mercurij natura varia. 237
Metalla ſine influxibus generantur. 202
Metallorum cauſa efficiens. 382
Mixta inanima vt pendeant ex cęli motu. 144
omnia imperfecta, & perfecta ſentiũt vim cæli. 140
Mixtorũ vires admirabiles non fluunt ab influxibus. 205
vires admirabiles vnde. 206
Morbi per quos dies iudicentur. 397
Mors fatalis, & violenta. 477
Morum animi humani veſtigia in animalibus ratione carentib. 209
Motus cæli reliquorum motuum origo. 184
cur naturalis. 478
fatalis qui. ibid.
perpetuus cauſa non perpetui. 184
veluti vita iis, quæ natura conſtat. 234
vt ſeruiat actioni. 187
Motui minus obnoxium regit magis obnoxia. 186
Motu æquabili quod mouetur, regit ea, quæ motu inæquabili cientur. 185
Motore primo non mouente reliqui non mouent. 233
Mouens immobile non eſt cauſa ortus, & interitus. 184
motum ab immobili cauſa ortus, & interitus. ibid.
Mouentis primi ratio in quo poſita. 454
Mutans materiam eſt corpus, vel habet corpus. 273
Mulieres octauo grauiditatis menſe vteri morbo laborant. 397

N

NAtura conſtans, & immutabilis. 168
eodem inſtrumento nunquam vitur ad duo opera. 213
in omnibus quærit finem. 251
magis communis minus nobilis minus communi. 196
morborum medicatrix. 221
Naturæ author non aduerſatur naturæ curſui. 244
Natura quæ ducuntur, ad idem ſemper feruntur. 268
Neceſſariò fieri omnia quo argumento a Stoicis oſtenſum. 422
Neceſſariò vt fiat quippiam, omnes cauſas oportet eſſe neceſſarias. 264
Neceſſarium quid. 425
Neceſſitas duplex. 457
ex conditione quæ. 458
ſimplex quæ. ibid.
Neceſſitatis Dea anima mundi. 470
Numerus impar maſculinus. 238
numerans. 405
opus mentis noſtræ. 401
par femininus. 238
quid. 402
ſenarius fundamentum generationis. 395
ſeptenarius imago Dei. 402
Numeri definitiones variæ. 409
definitionum explicatio. 410
denarij dignitas. 412
numerantis nulla vis. 417
numerati vis vnde. ibid.

ſepte-

Digitized by Google

ſeptenarii laus & vis. 401
Numeri non ſunt ſubſtantiæ. 406
non ſubſiſtunt in rerum natura, 405
non ſunt principia rerum naturaliũ. ibidem.
Platonis ad animas purgandas. 477
Pythagoræ non idem, quod ideæ. 410
rerum omnium principia poſiti. 401
vacui ab omni actione. 379
Numerorum diſtributio. 405
diuerſorum virtutis. 413
elementa par & impar. 402
nomina rebus uariis impoſita. 403
principium unitas. 402
ſcientia Platoni cur præcipua, & diuina. 410
vis, 413
vis ex rebus, quæ numerantur. 418
Numeris nulla uis agendi. 416
Numeris generationes, & mutationes reguntur. 413.418

O

Omnia ex cœli motu ut pendeant. 244
Operationes quorum ſimiles, eorum naturæ ſimiles. 196
Opinio cur ternarius. 404
omnium ore vulgata non penitus falſa. 266
vetus de virtute Dei, & gradibus rerum. 409
vt differat ab imaginatione. 392
Opiniones tres de cæli, & ſiderum vi. 270
Ordinis ratio in iis, quæ ſpecie differunt, in quo poſita. 185
Orphei iuſiurandum. 403

P

Panætius, vt finiuerit fatum. 270
Par & impar principia poſita a Pythagoricis. 407
Parcæ. 460
cur candida ueſte amictæ, & capite coronatæ. 471
cur in ſolio ſedentes. 470
Plutoni tributæ. 461
qua ratione introductæ. 461
quid ſignificent. 464
quid ſignificent Platoni. 470
ſuperum ſcribæ. 461
Pariendi tempus homini multiplex datum. 396.398
incertum. 399
Partus duo. 395
Partus octimeſtris alicubi vitalis. 397
cur non uitalis de ſententia Ariſtotelis. ibid.
ex ſententia Hippocratis. 396
Partus octimeſtris infelicitas ad Saturnum non eſt referenda. 394
cui tributa a Chaldæis. 241
Perfectiones corporum creatorum nõ eſt neceſſe, ut in Deo ſint propriè. 434
Phauorini argumentatio aduerſus Genethliachos. 248
argumentum, quod Aſtrologi coniectores non ſint conſulendi. 265
Plantis nulla uis cognoſcendi. 388
Plato de fato quid ſenſerit varia explicatio. 466
de ideis obſcure loquutus eſt. 448
putauit liberam eſſe hominum uoluntatem. 466
Platonis numeri ad animas purgandas. 477
Poſſibile bifariam dicitur. 265
quid. 425
Poſſibilis differentiæ. ibid.
Poſſidonius author libri de mundo ad Alexandrum. 475

Pregnatio morbus. 397
Primo ſublato reliqua deſtruuntur. 232
Principio auulſo ruunt omnia. 197
Propenſiones ad uitia non exiſtunt ex ſtellis. 376
Proprietas communis non eſt aduerſa propriæ proprietati. 194
Proprietatis cauſa non eſt quęrenda in re, cuius eſt proprietas. 419
Prouidentia diuerſa a fato. 482
quid. 480
Prouidentiæ eſt tueri, non euertere naturas rerum, quibus prouidetur. 270
Prouidentię quę ſubijciuntur, non omnia fato ſubiecta. 473
Prouidere quid. 192
Pyramis materiæ hieroglyphicum. 408
Pythagoras Aegyptios adiuit: quo tempore floruerit: vnde hauſerit ſuam de numeris opinionem. 415
Pythagorę numeri quibusdam Platonis ideę. 409
Pythagoreorum dogmata varia. 4 0
opinio, cur partus octimeſtris non ſit vitalis. 395
opinio de corporibus vniuersum complentibus. 405

Q

Qualitatum primarum temperationis uis. 206
Quantitas cur materiæ tributa. 416
non eſt principium agendi. 396
Quaternarii dignitas. 414
Quinarii laudes. 415
Quicquid euenit, cum poſſit aliter accidere, id neceſſariò, & contingenter accidit. 458

R

Rationis expertia non apprehendunt uniuerſale. 440
Ratione utens ſui eſt iuris. 269
Relationis nulla actio, nullaque paſſio. 380
Res caducæ cur non ſemper fiant eodem modo. 264
Rerum diſtributio ex Platone. 405
Rerum eſſentia non pendet ex hominum cognitione. 450
Rerum genera duo. 404
Rex vniuerſi cur principium, medium & finis. 413
Romanus Senatus Aſtrologos diuinantes ſæpe ex vrbe, & Italia eiecit. 262

S

Sacrarum literarum locus in Geneſi explicatus. 256
in Iſaia. 258
in pſalmis. ibid.
Sapientum conſenſus, quod cæli uirtute regatur elementorum vniuerſitas. 183
Scientia cur binarius. 404
Scientiæ & diſciplinę non exiſtunt ex ſtellis. 376
Scientiæ ſine motu oriuntur in nobis. 376
Saturnus frigefacit & arefacit. 237
Semen virtute uarium. 383
Seminum duo genera. 396
Senſus cur quaternarius. 404
ratio & mediocritas. 418
Septenarius dictus maturitas. 415
Septenarij uis. ibid.
Sexti Empirici diſputatio contra diuinantem Aſtrologiam. 259
Sexuum diuerſitas cur data. 379
Signi aſcenſus non poteſt perfectè perſpici. 261
Signi duplex uſus. 256

Signa

Signa & ea, quorum ſunt ſigna, quot, quibuſque modis connexa. 253
Signorum circuli obliqui diuiſio in ignea, aerea, aquea, & terrea. 236
Signorum cæleſtium genera duo, maſculina & feminina. 238
caſtigatio. 377
Sol calefacit. 236
Sol proxime ſupra luna de ſententia veterum. 415
Solis uis. 183.239
Species in ſola ui cognoſcente imprimuntur. 388
non eſt ab actu diuerſa. ibid.
Speciei munus eſt repreſentare. 385
Stella ancipitis naturæ. 237
beneficæ, & maleficæ. ibid.
erraticæ qualitatibus donatæ. 236
futura cur valeant ſignificare. 252
non afferunt uim iis, quæ fiunt, ſic ut fieri aliter non poſſint. 264
non agunt per modum naturæ. 275
non agunt libere, & conſilio. 275
non ſignificant futura. 253
non ſunt cauſæ æquiuocæ. 271
non ſunt cauſę generationis. 272
nullam in ſe continent uim efficiendi primas qualitates. 377
quæ decernunt, non fiunt neceſſariò. 265
Stellæ vni nihil tribuendum, quod nõ reliquis. 245
Stellarum aſpectus quatuor. 237
aſpectus beneuoli, & maleuoli. 237
effectiones, neque cum corpore, neque ſine corpore ad nos perferuntur 199
errantium, & fixarum uis. 239
& cælorum eadem uis, & natura. 101
inſpectio non tribuit futurorum cognitionem. 246
omnium uires non notæ Aſtrologis. 247
omnium una eademque ratio. 193
vis arcana non attingit cauſas ſecundas. 251
virtutes a lumine non deferuntur. 199
virtutes non educuntur. ibid.
Stellas primis qualitatibus affici flagitium. 377
Stirpes vt pendeant ex cæli motu. 244
Stoicorum argumentum, quòd omnia fiant neceſſariò. 422
& huic duæ rationes occurrendi. 437
opiniones variæ de fato. 463
Stygmata quibus temporibus imprimantur fœtibus. 392
& pendeant ex imaginatrice. 392
Stygmatum diuiſio. 391
naturalium, non naturalium, & præter naturam cauſæ. ibid.
tempore conceptionis impreſſorum cauſæ. 392
tempore grauiditatis impreſſorum cauſæ. 394
Subſtantiæ a materia ſeparatæ omnia regunt. 186
Syrenes quid Platoni. 471

T

Temperatio duplex in nobis. 376
ex Stellis figmento ſimilis. ibidem.
Temperationis magna uis. 206
Temperationes ab Aſtrologis poſitæ. 206
reiectæ. 207
Ternarius numerus perfectionis. 414
Ternarius rerum omnium menſura. 413
Terra veluti fęmina ac mater. 191
Terræ partes per ſe ad mundi mediũ, & per accidens ad terræ medium feruntur. 225
Theophraſtus neglexit influxus. 201

Venus

V

VEnus temperata. 237
Vires contrariorum effectrices non in eodem ſubiecto. 195
Virgilius explicatus. 476.477
Virtutes, & vitia cælitus non deſcendunt. 376
non ſunt nobis inſita a natura. 421
Virtutes morales in Deo non ponendæ. 434
Virtutum & vitiorum habitus tales, quales actiones. 383
ſemina in nobis inſita. 479
Vita vniuſcuiuſque certo dierum, vel annorum numero continetur. 418
Vnitas par & impar. 402
Vnitas quid. 407
Vniuerſum vnum vnitate ordinis. 185
Voces cur a natura datæ. 213
Voces & verba non habent vim inſitã efficiendi aliquid. 213
nullam vim ab aere accipiunt. 214
Vocibus nulla vis aduentitia efficiendi quippiam. 214
nulla uis cælitus accedit. 215
nulla vis tribuitur ab eo, quod ſignificatur. 214
nulla vis tribuitur a vocem edente. ibid.
Voluntas a Deo non accipit motum. 473
a fati legibus libera. 481
eodem ſe habens modo non poteſt idem velle, & nolle. 423
hominis ſui iuris. 268
non imperat virtutibus naturalibus. 386
vt transferatur ex velle ad nolle. 431
Voluntatis effecta inique ad cælum & ad ſidera reuocantur. 246
Vſu ſublato non manet id, cuius eſt uſus. 435

Z

ZEno Citieus, vt fatum finiuerit. 463
Zoroaſter & Magi cultores incantationum. 213

F I N I S.

Digitized by Google

THOMAE GIANINNII FERRARIENSIS

De Cæli natura, & Stellarum efficientia

DISPVTATIONES ARISTOTELICAE.

PROEMIVM.

ETSI tota naturalis philoſophia ſit fructuoſa ſingularemque habeat delectationem, admirabile tamen eſt, quantum inter omnes eius partes vtilitate, & iucunditate excellat illa, cui cæleſtis machina eſt propoſita. Hæc cum cauſſam communem, primumque principium contempletur eorum, quæ in terra, in aquis, & in aëre gignuntur, ad hæc omnia ſcientia comprehendenda magnum habet momentum, & cũ in eo corpore perſpiciendo verſetur, cuius maieſtatem tanti fecit antiquitas, vt in eo diuinitatem habitare cenſuerit, & quãdoque ipſum Dei nomine decorauerit, ad animum noſtrum oblectandum eſt magnopere accommodata. Et ſanè ſi fulminum, nimborum, tempeſtatum, & reliquorum omnium, quę fiunt in ſublimi rationes exquirere magnæ eſt omnibus voluptati: Et ſi plã-

Cæli contemplatio quam vtilis ſit, & quam iucunda.

Cæli maieſtas.

tarum, & animantium vires, affectiones, ortus, & interitus noſſe ſuaue, & iucundum eſt, quanto gaudio, quam cæleſti iucunditate compleri animum illius exiſtimandum eſt, qui e concreta, craſſaque rerum mortalium caligine in altiſſimas cęli regiones aſcendens ſiderum naturas, conuerſiones, & efficentiam animo comprehendit? Equidem ego hanc fructuoſiſſimam, honeſtiſſimamq; ſuauitatem longè omnibus anteponēdam eſſe ſtatuo.

Homines geniti ad Deum contemplandum.

Accedit, quod cum nos ad Deum contemplandum geniti ſimus, atque hic in huius vitæ tenebris, in hac mentis cæcitate ex ſuis operibus ſit a nobis cognoſcendus, nullum eſt in hoc ampliſſimo naturæ theatro Dei opus, in quo æquè, atque in cælo diuinæ virtutis, ac ſapientiæ impreſſa veſtigia deprehendantur, vt verè dici poſſit cælum eſse librum, in quo ſcripta eſt Dei Optimi, ac præpotentis gloria, vis, & maieſtas.

Deus ex ſuis operibus cognoſcitur a nobis.

Cælum veluti liber, in quo ſcripta eſt Deius gloria, & maieſtas.

De hoc ſi quis addubitat, is cæleſtjum corporum magnitudinem, ordinem, pulchritudinem, curſuſque ex omni tempore conſtantes ſecum ipſe conſideret, nam planè intelliget in hac elegantiſſima rerum vniuerſitate eſse diuinū quoddam numen, quod manens immotum dat cęlis motum inceſsabilem, atque cœlis, & aſtris miniſtrantibus vim ſuam ſic inter prima huius caducæ vniuerſitatis corpora diſtribuit, vt finibus ſe ſuis ſingula contineant, neque alterum alterum ſupergradiatur viribus, & potentia anteſtans, ſed omnia amica, & beneuola ſocietate inter ſe iungantur ad hunc admirabilem efficiendum concentum, in quo ſuum commodum ſentiunt, atque experiuntur:

Qui cælū contemplatur, intelligit eſſe Diuinū quoddam numen, a quo cuncta reguntur.

Quapropter non dubitabit, quin merito, ac iure illa vana ficta que opinio iampridem extabuerit, quę mundum induxit tanquam nauem gubernatore carentem huc illuc incertis caſus, & fortunæ tempeſtatibus actum fluctuare, & quin huius tam nefariæ, pernicioſęque opinionis diſſeminatores non ſtupidi modo, & bardi, verum etiam longè indigni fuerint, qui hac luce ſuauiſſima fruerentur. Longius progrederer Adoleſcentes Optimi, aliaque & plurima commemorarem, quæ ad vitam ſuauiſſime degendam, & ad animum honeſtiſſimè recreandum nobis ſuppeditat cœli contemplatio, hiſque conarer vobis perſuadere, vt mihi in hac verſanti aſſidui, & attenti eſſetis auditores, niſi intelligerem me fruſtra eſſe laborem ſuſcepturum ad eos incitandos, quos noui rerum pulcherrimarum cognitioni ſic deditos eſse, vt ſua ſponte omnem operam ſint poſituri, ne tantum boni amittant, tantumque ſuauitatis.

Obiectio, quod pauca eorum, quæ ſunt in cælis, pateant ſēſibus.

Neque vos deterreat, quod pauca eorum, quæ ſunt in cœlis, pateant ſenſibus, quorum comprehenſio eſt fons, ac initium noſtræ intelligentiæ, nam vt inquit Ariſtoteles *ſub exitum lib. 1. de part. animal.* eſt, vt vel tenui rerum cœleſtium notitia mirum in modum delectemur, cum tanta ſit earum dignitas, & pulchritudo, tanta

ad alendam, perficiendamque mentem vis, & facultas, vt leuiter illas attingere multo potius, & iucundius ſit, quam rerum caducarum, nobiſque iunctarum plenam, ac certam ſcientiam tenere, quemadmodum quamlibet partem etiam minimam corporis noſtrarum puellæ deliciarum videre gratius eſt, quam vniuerſa cęterorum hominum corpora inſpicere, & contrectare.

Cæleſtia leuiter attingere, potius eſt, quam explicate caduca cognoſcere.

Cæterum cum de cœlo ſit nobis ſermo inſtitutus, tota hæc contempalatio in duas partes erit diſtributa, in quarum prima cœli natura indagabitur, in altera eius efficientia conſiderabitur.

Cæli contemplationis diſtributio in duas partes.

tarumq;, & animantium vires, affectiones, ortus, & interitus noſſe ſuaue, & iucundum eſt, quanto gaudio, quam cæleſti iucunditate compleri animum illius exiſtimandum eſt, qui e concreta, craſſaque rerum mortalium caligine in altiſſimas cęli regiones aſcendens ſiderum naturas, conuerſiones, & efficentiam animoq; comprehendit? Equidem ego hanc fructuoſiſſimam, honeſtiſſimamq; ſuauitatem longè omnibus anteponēdam eſſe ſtatuo.

Homines geniti ad Deum contemplandum.

Accedit, quod cum nos ad Deum contemplandum geniti ſimus, atque hic in huius vitæ tenebris, in hac mentis cæcitate ex ſuis operibus ſit a nobis cognoſcendus, nullum eſt in hoc ampliſſimo naturæ theatro Dei opus, in quo æquè, atque in cælo diuinæ virtutis, ac ſapientiæ impreſſa veſtigia deprehendantur, vt verè dici poſſit cælum eſse librum, in quo ſcripta eſt Dei Optimi, ac præpotentis gloria, vis, & maieſtas.

Deus ex ſuis operibus cognoſcitur a nobis.

Cælum veluti liber, in quo ſcripta eſt Dei uis gloria, & maieſtas.

De hoc ſi quis addubitat, is cæleſtium corporum magnitudinem, ordinem, pulchritudinem, curſuſque ex omni tempore conſtantes ſecum ipſe conſideret, nam planè intelliget in hac elegantiſſima rerum vniuerſitate eſse diuinū quoddam numen, quod manens immotum dat cęlis motum inceſsabilem, atque cœlis, & aſtris miniſtrantibus vim ſuam ſic inter prima huius caducæ vniuerſitatis corpora diſtribuit, vt finibus ſe ſuis ſingula contineant, neque alterum alterum ſupergradiatur viribus, & potentia anteſtans, ſed omnia amica, & beneuola ſocietate inter ſe iungantur ad hunc admirabilem efficiendum concentum, in quo ſuum commodum ſentiunt, atque experiuntur:

Qui cælū contemplatur, intelligit eſſe Diuinū quoddam numen, a quo cuncta reguntur.

Quapropter non dubitabit, quin merito, ac iure illa vana fictaque opinio iampridem extabuerit, quę mundum induxit tanquam nauem gubernatore carentem huc illuc incertis caſus, & fortunæ tempeſtatibus actum fluctuare, & quin huius tam nefariæ, pernicioſęque opinionis diſſeminatores non ſtupidí modo, & bardi, verum etiam longè indigni fuerint, qui hac luce ſuauiſſima fruerentur. Longius progrederer Adoleſcentes Optimi, aliaque & plurima commemorarem, quæ ad vitam ſuauiſſime degendam, & ad animum honeſtiſſimè recreandum nobis ſuppeditat cœli contemplatio, hiſque conarer vobis perſuadere, vt mihi in hac verſanti aſſidui, & attenti eſſetis auditores, niſi intelligerem me fruſtra eſſe laborem ſuſcepturum ad eos incitandos, quos noui rerum pulcherrimarum cognitioni ſic deditos eſse, vt ſua ſponte omnem operam ſint poſituri, ne tantum boni amittant, tantumque ſuauitatis.

Obiectio, quod pauca eorum, quæ ſunt in cælis, pateant ſēſibus.

Neque vos deterreat, quod pauca eorum, quæ ſunt in cœlis, pateant ſenſibus, quorum comprehenſio eſt fons, ac initium noſtræ intelligentiæ, nam vt inquit Ariſtoteles *ſub exitum lib. 1. de part. animal.* eſt, vt vel tenui rerum cœleſtium notitia mirum in modum delectemur, cum tanta ſit earum dignitas, & pulchritudo, tanta

ad

Digitized by Google

ad alendam, perficiendamque mentem vis, & facultas, vt leuiter illas attingere multo potius, & iucundius ſit, quam rerum caducarum, nobiſque iunctarum plenam, ac certam ſcientiam tenere, quemadmodum quamlibet partem etiam minimam corporis noſtrarum puellæ deliciarum videre gratius eſt, quam vniuerſa ceterorum hominum corpora inſpicere, & contrectare.

Cæleſtia leuiter attingere, potius eſt, quam explicate caduca cognoſcere.

Cæterum cum de cœlo ſit nobis ſermo inſtitutus, tota hæc contempalatio in duas partes erit diſtributa, in quarum prima cœli natura indagabitur, in altera eius efficientia conſiderabitur.

Cæli contemplationis diſtributio in duas partes.

THOMAE GIANINNII FERRARIENSIS

De Cæli natura, & ſubſtantia

DISPVTATIONES ARISTOTELICAE.

Cæli vocabulum in quot, & quas diſtinguatur ſignificationes.

CAPVT PRIMVM.

Quod multis dicitur modis, id primũ eſt diſtinguẽdum.

ANtequam ad priorem huius diſputationis partem cæli natura, & ſubſtant aggrediamur, cæli vocabulum in ſuas ſignificationes diſtribuatur, oportet, quoniam Ariſtotele nos admonente *in lib.* 1. *de cælo* 110. quod multis modis dicitur, id primum eſt diſtinguendum, ne ſi obſcurum ſit, in qua ſignificatione id, de quo ſuſcepta eſt diſputatio, intelligatur, incertus ſit animus, & in varia abripiatur. Huius

itaque

Digitized by Google

itaque vocabuli tres apud Græcos fuerunt ſignificationes authore Ariſtotele *in libro 1. de cælo 96.* quarum vna hi intellexerunt illum cæleſtem globum, in quo infixa cernitur innumerabilis ſtellarum miltitudo, quēque Plato, Ariſtoteles, ac priſci cæleſtium corporum inſpectores putarunt eſſe corpus huius vniuerſitatis extimum, & ſupra eum non eſſe ad alterum corpus aſcenſum. His enim in more poſitum fuit corpus hoc cæleſte, in quo diuina omnia habitari exiſtimabant, cælum potiſſimum vocare Altera huius vocabuli notione omnium cæleſtium corporum conſtitutionem habuerunt propoſitam, in qua præter ſtellas inerrantes Sol, Luna, & reliqua ſidera, quæ vaga, & errantia nominantur, ſunt locata, nam hæc eſſe in cælo dicere ſoliti erant. Tertia cælum dixerunt totum id, quod ab extimo globo continetur, hoc eſt, totam hanc corporum compagē ex cælis, & elementis conſtantem, quæ præcipuo nomine appellatur mundus, finiturque in libro de mundo ad Alexandrum *cap. 2.* compages è cælo, terraque coagmentata, atque ex iis naturis, quæ inter ea continentur, vel ordo, & digeſtio vniuerſorum, quæ a Deo, & per Deum aſſeruatur: Totum enim & vniuerſum Græci conſueuerunt cælum nominare: Præter has ſignificationes a Græcis vſurpatas alia eſt, qua à Latinis ſcriptoribus aer intelligitur. Ecquid cauſæ ſit, cur hæc omnia cæli nomine fuerint donata, perſpicuum erit, ſi varia huius nominis, *οὐρανος,* quo cælum Græcè ſignificatur, origo probè fuerit cognita. Hæc triplex eſt, nam author lib. de mundo ad Alexandrum, & Philo *in lib. de mundi opificio* putant hoc nomen eſſe ductum *ἀπὸ τοῦ ὅρου*, quo terminus, & extremum intelligitur, & *ἄνω*, hoc eſt ſupra, eoque notari illud, quod eſt terminus, & extremum eorum corporum, quæ ſuper ſunt, vel terminus ſuperus, & extimus huius vniuerſi, vt Philo interpretatur *in lib. de plantatione Noe.* Plato autem *in Cratyllo* huic nomini originem facit ex verbo *ὁράω*, quod eſt video, & propoſitione *ἄνω*, putatque id cælo fuiſſe impoſitum, quoniam cernitur ſurſum, nec aſpicitur, niſi ad ſuperiora aſpectus conuertatur. Sunt denique alii, qui arbitrantur *οὐρανὸν*, dici, quaſi *ὁρανὸν* a verbo *ὁράω*, atque huius duæ ſunt explicationes, vna, quæ eſt D. Ambroſij *in Hexam.* quod viſui peruium ſit, & non opacum, vt terra, & aqua: altera, quæ eſt Chalcidij *in com, Timæi.* quod ſit veluti viſus noſtri limes, vltra quem porrigi nequea. Ex origine prima ſciri poteſt, cur octauus orbis, in quo poſitæ ſunt ſtellæ inerrantes, cæli appellationem obtinuerit, nam hic orbis de ſententia veterum eſt terminus, & extremum eorum corporum, quæ in ſupera huius vniuerſi parte poſita ſunt: Dixi de ſententia veterum, quoniam Hipparcus, & Ptolemæus ſupra hunc globum voluerunt eſſe alterum, quo Purbacchius, & Alphonſus

Cæli vocabuli tres apud Græcos ſignificationes.

Cælū ſtellarū fixarum ſedes Diuinitatis habitū.

Mundus quid.

Cæli vocabuli quarta ſignificatio apud Latinos.

τοῦ οὐρανοῦ varia origo.

Philo.

Plato.

D. Ambr.

Chalcid.

Orbis ſtellarū fixarū cur cæli noīe nuncupatus.

Hippar.

Alf. Rex.

Purbacc.

Rex

Digitized by Google

Rex non contenti ſupra ipſum cogitarunt alium; cui recentes alterius acceſſionem fecerunt cæleſtes globos vnum, & decem numerantes. Præterea cum huius vniuerſi duo ſint termini, vnus ſuperior, & alter inferior, hoc eſt centrum, vel terra in centro locata, ille ex ſententia veterum eſt octauus orbis innumerabilibus ſtellis donatus. At vero ex altera huius vocabuli origine facta a Platone obſcurum non eſt, cur vniuerſæ cæleſtium corporum conſtitutioni eadem appellatio fuerit tributa; non enim fieri poteſt, vt hæc corpora cadant ſub aſpectum, niſi oculi conuertantur ad ſuperiora, & ex tertia D. Ambroſij conſtat, cur, & aer fuerit cæli nomine obſignatus, qui ſic natura eſt comparatus, vt per ipſum commodè tra jiciantur colorum actiones vſque ad ſenſum oculorum, quod eſt eorum corporum, quæ vocantur perſpicua. Nonnulli eorum, qui ſacras literas ſunt interpretati, rationem perquirentes, cur in ſacris literis aer quandoque cæli nomine ſignificetur, inquiunt hanc appellationem aeri fuiſſe poſitã, quod in eo ſint aquæ ex vaporibus genitæ in ſecunda ipſius regione, nam Shamain, quod Hebraice ſignificat cęlum, ex Sha, & Main componitur, quarum vocum Sha idem eſt, quod Latine ibi, & Main idem, quod aquæ. Cur autem vniuerſum inuenerit hanc nomenclationẽ, cauſam opinor in id eſſe conijciendam, quoniam, vt ſcriptum eſt *in lib. 9. Ethic. ad Nicom. cap. 8.* quod ex multis compoſitum eſt, non ſolum eſt illud totum, quod exiſtit ex multis, ſed etiam id, quod in compoſitione ſibi vendicat principatum: quapropter cum vniuerſum ex cælo, & elementis componatur, atque nemini dubium ſit, quin cælo datus fuerit principatus, hac ratione forſitan factum eſt, vt cæli nomen fuerit vniuerſo tributum. Cum igitur tot ſint huius vocabuli ſignificationes, id in his diſputationibus ſignificabit nobis totũ illud corpus, quod ſupra elementa poſitum ſua natura in orbem conuertitur, quodque ſi Platoni credimus, hanc appellationem reportauit, quoniam cum in altiſſimo huius vniuerſi loco ſitum ſit, non poteſt cerni, niſi ad ſuperiora oculi conuertantur.

Orbiũ cæleſtium cõpages cur cæli nomĩe obſignata.
Aer cur cæli nomine ſignificatus.
In ſacris litteris cur aer cæli nomine appellatus.
Vniuerſũ vnde cæli nomen inuenerit.
Totum ex multis cõpoſitũ eſt quoq. pars ſui princeps.

Opinio eorum, qui cælum ex quatuor elementorum naturis compoſuerunt. Cap. II.

IN prima huius conſiderationis parte illa quæſtio nobis primum occurrit diſcutienda, nunquid cælum ſit corpus ſimplex, an ex quatuor elementis conflatum. Eorum, qui ante Ariſtotelem in rebus naturæ inuſtigandis ſuam operam poſuerunt, plerique crediderunt cælum non eſſe in natura, & eſſentia diuerſum ab elementis, horumque variæ, diſcrepanteſque opiniones literis traditę ſunt

à Plu-

Digitized by Google

a Plutarcho *in lib. 2. de placitis, cap. 11.* a Philone *in lib. de ſomniis,* & a Theodoreto *in lib. 4. de curat. Græcarum affect.* ſed his valere iuſſis, quorum dogmata vna fere cum ipſis extincta ſunt, Prophyrius, Taurus, Chalcidius, & alij de ſententia Platonis ſtatuunt cælum ex quatuor elementis conſtare, verum ex igne ampliore, ac cætera multis partibus ſuperante, & ex reliquis multo purioribus, magiſque ſynceris: Dicere, inquiunt Porphyrius, & Chalcidius *in com. in Timæum,* cæleſtia nonconſtare ex quatuor elementis non eſt illius, qui Platonis doctrinam ſequatur, ſed qui proprium dogma conſtituat. Hanc opinionem Theodoretus *in lib. 4. de curat. Græc. affect.* fuit amplexatus, & Ficinus *in com. in Tim.* his confirmauit: Niſi in cælo eſſent virtutes elementorum, hæc ab illis non poſſent gubernari, nam dicimus a Geometra regi Architectum, quia is comprehenſas habet Architecturæ rationes, atqui elementa poſita ſunt in cæli cura, & gubernatione; horum igitur virtutes in cælo ſunt ponendæ. Nec verò quiſpiam reſpondeat cælum per cauſæ modum complecti virtutes elementorum, & non proprie, atque eo modo, quo ſunt in elementis, quoniam virtutes propriæ propriam naturam vbique comitantur; quocirca ſi vires elementorum in cælo ſunt ſtatuendæ, idem plane naturas elementorum tenebit. Neque abſonum

Plutarch. Philo. Theodor. Porphyr. Taurus. Chalcid. Cælum ex quatuor elemētis cōſtare Platonem voluiſſe qui ſentirent. Ficini confirmatio.

eſt elementa in cælis in vnum eſſe conflata, cum infra cælos ſint in vnam mixti molem compacta. Eandem opinionem Philoponus non indignam eſſe iudicauit, cui aſſentiretur cum in lib. de mundi æternitate aduerſus Proclum *in ſol. xiij. argumenti,* tum in iis, quæ referente Simplicio *in com lib. 1. de cælo aduerſus Ariſtotelem* conſcripſit, his vel maxime adductus. Quæcūque accidentia cæleſtibus corporibus inſunt, hæc tributa ſunt corporibus, quæ a nobis vocantur elementa, non igitur natura cæli diuerſa eſt ab horum corporum natura.

Philoponi argumēta quibus perſuadetur cælum conſtare ex elemētis.

Conſequutio ex eo intelligitur, quod cum accidentia ſemper ſequantur naturam rei, quæcunque ſimilibus accidentibus ſunt affecta, ea non eſſe diſſimilis naturæ oportet confiteri: Aſſumptio ita oſtenditur. Perſpicuitas data eſt cælo, quę igni, aquæ, & aeri fuit conceſſa, eidem lumen fuit tributum, quod igni non fuit ademptum, & idem verſatur in orbem, cuius motus particeps eſt & pars aeris ſuprema, & tota ignis vniuerſitas, atque tres habet dimenſiones, quæ in elementis non deſiderantur. Nec vero ſolum accidentia cæli fuerunt elementis impertita, ſed & primæ qualitates elementorum, caliditas ſcilicet, frigiditas, humiditas, & ſiccitas in cælis poſitæ ſunt, nam ſtellam Saturni refrigerare, alias ſtellas efficere alias qualitates ſentiunt Aſtrologi, & Solem habere vim inſitam calefaciendi ſenſus ipſe declarat. Etſi corporis alteratio eſt in qualitate mutatio, atque cuiuslibet corporeæ qualitatis initium exiſtit ex pri-

Aſtrologi.

mis

mis calidi,& frigidi,humidi,& ſicci oppoſitionibus neq; fieri poteſt, vt corpus aliquod cuiuſuis cæterarum particeps ſit,quod harum particeps nõ prius extiterit, reliquas namque omnes ad illas referri Ariſtoteles ſtatuit *in lib. 2. de gen. & int.* plane quoniam corpus cæleſte non prorſus eſt impatibile,& ab alteratione vacuum, in aliqua quatuor primarum qualitatum vtiq; alteretur oportet. His adductus eſt Philoponus,vt crederet cælo ineſſe qualitates elementorum,atque his datas eſſe illas,quæ cæli propria ſunt,& quod ſequitur naturam non eſſe huic,& illis diſſimilem impertitam, quæ vt maiorem habeant firmitatem, refellit nonnullas argumentationes, quæ, quod his contrarium eſt, videntur ſuadere: Vna eſt: Cælum non eſt graue aut leue, ergo inſitam non habet frigiditatem,aut caliditatem. Conſequutio confirmatur,quia corpora leuia ſunt calida, & grauia frigida. Huic occurrit,quoniam non ſequitur,ſi leuia corpora ſemper calida ſunt,& grauia ſemper frigida,vt quæ neque leuia,neque grauia ſunt, a caliditate, ac frigiditate ſint remota, ſi quidem cum homo ſemper ſit animal, non ſequitur, ſi quid non eſt homo, id animal non eſſe. Altera: Cælum non eſt graue neq; leue,ergo naturam ſibi aſſerit diuerſam ab elementorum naturis. Reſpondet cõſequutioni nullum eſſe pondus,quoniam aer,& aqua,quæ in elementis numerantur ab omnibus, non habent ſua natura inſitam grauitatem, aut leuitatem: ea eſt ratio, quoniam quicquid ſua natura eſt graue,aut leue,id omnibus in locis ſemper eſt graue,aut leue, & aqua & aer neque omnibus in locis,neque ſemper habẽt grauitatem, aut leuitatem;nam aer in aqua eſt leuis, & in igne grauis, & aqua in terra eſt leuis, & in aere grauis. Tertia eſt: Partes elementorum a ſuis vniuerſitatibus diſiunctæ oriuntur, & intereunt: at nulla cæli pars videtur commutata in toto præterito tempore, idque ex iis intelligitur, quæ literis tradita ſunt; ergo cæli natura eſt alia, ac ſit natura elementorum. Hanc argumentationem diſſoluit inquiens principes animalium partes difficilius pati, veluti cor, quæ nihilominus conſtant ex eiſdem elementis, ex quibus ignobiles, minuſque præcipuæ: Itaque cælum, quod in mundi conſtitutione primum locũ obtinet, difficillime pati, atque hanc ob cauſſam partes ipſius non videri in vllam incurrere perpeſſionem, & corruptionem, quemadmodum partes elementorum. Cæterum cælum pati poſſe,& interire, multa ſunt, quæ Philopono perſuaſerunt, quorum nonnulla reliquis prætermiſſis, quod hoc tempore cæli æternitas nobis nequaquam ſit propoſita, in medium afferemus. Et primum cum priſci omnes rerum naturæ indagatores cælum, ac vniuerſum generauerint, non eſt,vt hæc inueterata opinio ex hominum animis deleatur, & præſertim quod Plato vir grauiſſimus ab ea non eſſe ſibi diſcedendum

Philoponi reſponſiones ad argumenta quibus perſuadetur in cælo nõ eſſe elemẽtorum qualitates, & natura.

Philoponus quibus ſit vſus ad perſuadendum cælũ poſſe pati, & interire.

in

Digitized by Google

in Timeo putauerit. Deinde cauſſæ,& effecta habent naturæ ſimilitudinem,nam quicquid fit,id a ſimili fit; ergo quoniam lunæ quæcunque ſunt ſubiecta, omnia verſantur in perenni ortus, & interitus uiciſſitudine; & hæc ſunt effecta cæli, hoc plane ortu, & interitu non vacabit. Rurſus cui datum eſt habere contrarium, id aliquando pereat,oportet; cælum igitur, quod occupat locum ſuperum,cui quod tenet inferum, eſt aduerſum, aliquando occidat, eſt neceſſe. Poſtremò quod eſt virtutis finitæ, id omne poteſt interire, cum igitur vires cæli ſint finitæ, quod cæleſtis magnitudo ſit finita,quam non eſſe virtutis infinitæ capacem *ſub exitum l. 8. Phyſ.* Fuit monſtratum, cælum profectò non erit interitus expers. Ex his,& alijs intelligit Philoponus cæli naturam eſſe fragilem, & caducam, quibus nos poſſumus adiungere cæli partes non eſſe ortus & interitus expertes magno eſſe argumento cum id,quod ſcriptum fuit a Varrone *in lib. De gente populi Romani*, & a D. Auguſtino *in lib. 21. de ciuitat. Dei cap.* 8. recitatum videlicet ſub Ogyge rege ſtellã Veneris nobiliſſimam mutaſſe colorem,magnitudinem, curſum, & figuram: tum etiam illas ſtellas,quæ annis præteritis in cęlo apparuerunt, cum ante non cernerentur, temporeque progrediente ſic fuerunt imminutæ,ut his temporibus aut omnino extinctæ ſint,aut vix aſpectabiles. Hæ fuerunt tres, quarum prima iuxta Caſſiopeiam apparuit anno ſecundo & ſuptuageſimo ſupra milleſimum & quingenteſimum: altera viſa eſt in pectore Cygni anno ſexagenteſimo ſupra milleſſimum:& tertia anno quarto ſupra proxime recitatum noſtris ſeſe aperuit oculis. Atque hæc ſunt ea,quibus vel maxime poteſt defendi cælum eſſe compoſitum ex elementis,horumque qualitates inſitas habere,quod dogma fuit probatum Plinio *in lib. 2. nat. hiſt. cap.* 8. nec diſplicuit Ptolemæo Aſtrologorum principi *in lib. 1. illius operis cui nomen eſt Quadripartitum, ſiue de Iudicijs*,cum quo ſunt concordes plerique illius diſciplinæ amatores, qui tradiderunt ſtellarum tam errantium, quam non errantium alias igneas eſſe,alias aqueas, & quaſdã terræ, quaſdam aeris in ſe qualitates continere. Cæterum hoc dogma quamuis a Chalcidio, Tauro, Porpyrio, Philopono,& alijs abſcribatur Platoni,non deſunt tamen,qui ſecus audiant Platonis doctrinam,è quorum numero eſt Cardinalis Beſſario, qui *in lib. 1. aduerſus Platonis calumniatorem* ſcribit Platonem cælum quidem ex igne, & reliquis elementis componere,verum ita componere, non vt putet, quæ generantur,& corrumpuntur,immortale corpus conſtituire, ſed ut ſentiàt ex igne cælum eſſe,quia non ſecus,atque ignis lumen ex ſe effundit, ex terra,quoniam perinde ac terra eſt tactile, ex aere verò, & aqua, quoniam horum quoque elementorum habet rationem, quapro-

Cæli partes oriri et interire perſuadetur ex ſtellis quæ in cælis viſæ ſunt oriri, & extingui.

Varro.

D. Aug.

Plinius.

Ptolem.

Elementorum qualitates ſtellis diſtributa.

Platonis ſententiã, quod calũ conſtet ex elementis, interpretatio.

Beſſario.

pter ſententiam Platonis eſſe cælum ex quatuor elementis conſtare, non quia horum naturas verè, ac propriè in ſe contineat; ſed quoniam vires ipſorum, ac proprietates in ſe coercet modo quodam ſingulari. Nec aliter Platonis ſententiam Proclus *in com. in Tim*, accepit, & Simplicius *in lib. 1. de cælo* diſputans aduerſus Philoponum fuit interpretatus. Sed de Platone quicquid ſit, hoc dogma non videtur cum veritate cohærere, neque illi accedit Ariſtoteles, idque nunc oſtendemus.

Proclus
Simplicius

Cælum eſt corpus ſimplex, & motus ſimplex cur ſit corporis ſimplicis. Cap. III.

CÆlum eſſe corpus ſimplex, & non ex quatuor elementis compoſitum multa poſſunt perſuadere, ſed quoniam non eſt, ut multis id monſtretur, quod ſit nec ne, his temporibus nullam habet apud philoſophos dubitationem, ſat erit vnũ afferre hauſtum ex Ariſtotelica doctrina, idq; ab omni calumnia vendicare, & eſt huiuſmodi: Quiquid motu ſimplici ſua natura cietur, id in ſimplicibus corporibus eſt numerandum. Cælum ſua natura cietur motu ſimplici, quem vocamus conuerſionem, cælum igitur eſt corpus ſimplex. Maiorem propoſitionem illud confirmat, quod cum motuum alii ſint ſimplices, & alii mixti; & corporum alia ſimplicia, & alia compoſita, motus ſimplices ſunt corporum ſimplicium, & mixti compoſitorum. Minor ita oſtenditur: Cum certum ſit cælum moueri in orbem, atque omnis motus ſit aut ſecundum naturam, aut præter naturam, ſanè niſi cælum ſua natura cõuertatur, præter naturam moueatur, eſt neceſſe, id verò nequit fieri, quoniã in rerum natura quæcunque ſunt præter naturam, hæc breui tempore cernuntur ad interium venire, & motus cæli eſt in omni æternitate ratus, atque immutabilis. Multi arbitrantur huius argumenti firmitatem in eo poſitam eſſe, quod iudicium ferre de ſubſtantia commodius non poſſumus quam ex propria functione, quę nos ducit in facultatis cognitionem, ex qua in ſubſtantiæ notitiam ferimur, itaque ſi ſimplex fuerit functio, & ſubſtantia, cuius eſt, ſimplex erit, & incompoſita; Cum igitur motus ſimplex ſit functio ſimplex, hic erit corporis ſimplicis. His non aſſentior, quoniam functio ſimplex non neceſſario demonſtrat ſubſtantiam ſimplicem eſſe, quod in ſubſtantiis cõcretis cernere eſt multas ſimplices functiones earum proprias, & peculiares. Homo enim cum ſit ſubſtantia minimè ſimplex, multas functiones ex ſe fundit nõ compoſitas, vt ſimplices actus ſentiendi, & intelligendi. Nõ igitur ſimplex motus eſt corporis ſimplicis, quia functio ſimplex eſt ſubſtãtiæ ſimpli-

Argumentum, quod cælum ſit corpus ſimplex.

Argumenti firmitas in quo poſita ſit de quorundã ſententia.

Cõfutatio Functio ſimplex non neceſſario demonſtrat ſubſtãtiã eſſe ſimplicem.

cis

Digitized by Google

cis. Functio quidem ſimplex fluit à ſimplici forma, uerum nõ formæ, ſed ſubſtantię compoſitæ, cuius eſt forma, tribuitur: quapropter quoniam in ſubſtantia compoſita poteſt eſſe facultas, formaq; ſimplex, nihil prohibet ſubſtantiam compoſitam ex ſe promere ſimplicem functionem. Cæterũ cauſſa, cur motus ſimplex ſit corporis ſimplicis, ea eſt, quoniam cum natura ſit principium motus, natura ſimplex eſt principium motus ſimplicis, & corporis ſimplicis natura eſt ſimplex, quemadmodum corporis mixti natura eſt mixta, & ex naturis diuerſis compoſita. Idẽ verò motus ſimplex nõ eſt corporis compoſiti, quia corpora compoſita, quæ conſtant ex partibus diſſimilibus, atq; a natura conditis, ut eis tãquã inſtrumentis efficiatur motus mixtus, nequit fieri, ut in eo, quod ſunt huiuſmodi, ſint aptè nata ſimplicem motum accipere, ad quem obeundum partium diſſimilitudo tantum abeſt, vt quippiam conferat, ut obſit potius aliquo pacto. Equidem corpus compoſitum poteſt moueri ſimplici motu, ſed non ex propria natura, & qua ex parte compoſitum eſt, ſed ſecundum naturam illius elementi, quod in ipſo viribus, & potentia ponderans cætera vincit. Optima igitur ratione Ariſtoteles *in l. 1. de cælo 7.* poſuit motus ſimplices eſſe corporum ſimplicium, & mixtos compoſitorum. Cautè ſcripſit motum mixtum eſse corporum compoſitorum, & non mixtorum, quoniam cũ motus mĩxtus, qui eſt is, qui fuit a natura gradientibus animantibus impertitus, pulſu & tractu, atque extẽſione & imflexione partium miniſtretur, illius duntaxat corporis eſt, quod conſtat ex variis partibus, quodque variis inſtrumentis diſtinguitur; corpus autẽ huiuſmodi appellatur corpus compoſitum, huiuſque fidem facit cũ Ariſtoteles, qui *in lib. 1. de gen. & int. 86.* ſtatuit compoſitionem propriè eſse ex iis, quæ inter ſe ſunt diſſimilia, *& initio l. 1. de hiſt. animal.* partes diſſimilares uocauit cõpoſitas, & ſimilares incompoſitas, tum etiam Alexander, qui referrente ſimplicio *in com. 45. lib. 3. Phyſ.* voluit corpus inſtrumentarium idem eſſe, quod corpus cõpoſitum, & corpus ſimilare idẽ, quod ſimplex. Atqui dubitabit aliquis, quoniã motus mixtus cernitur in ſimplicibus corporibus, atque in ijs, in quibus nulla eſt compoſitio, nam ignis in Lunæ cauo poſitus motu mixto mouetur à cælo circunductus & auium pennę in aere deſcendentes ſimul vertiginem quandam patiuntur, & videntur motu mixto cieri. Præterea ſi motuum alii ſunt ſimplices, & alij mixti, atque ſimplices ſunt corporum Simplicium, profectò ſi mixti ſolis corporibus cõpoſitis tribuantur, ſequitur corpora mixta inanima, & non compoſita nullum proprium motum habere & quod ſequens eſt nõ omnia corpora naturalia eſſe per ſe loco mobilia, vt ſcriptum eſt *in lib. 1. de cælo 5.* De priore dubitatione dicendũ

Fũctio ſimplex fluit a ſimplici forma.

Motus ſimplex cur ſimplicis corporis.

Motus ſimplex cur nõ ſit corporis compoſiti.

Corpus cõpoſitũ vt moueatur motu ſimplici.

Motus mixtus corporum cõpoſitorum.

Motus mixtus qui.

Corpus cõpoſitũ quale ſit.

Compoſitio propriè ex quibus.

Corpus inſtrumẽtarium idẽ, quod compoſitum.

Prima dubitatio

Altera dubitatio.

Solutio prioris dubitationis.

eſt motum mixtum in partitione motus aſſumptũ eſſe motum mix
Solutio poſterioris dubitationis tum naturalem,& a natura fluentẽ,qui quod poſtulet inſtrumenta,
quibus perſpiciatur, ſolis corporibus compoſitis fuit a natura tribu
tus,at ignis,& pennarum motus mixtus non eſt naturalis; eiuſque
principium non eſt natura,nam ignis vi a cælo circunductus nũc
deprimitur, & nunc attollitur; & auiũ pẽnis in aere deſcẽdẽtibus
Mixta ut mixta non mouẽtur motu ſimplici, aut mixto. accidit motus vertiginis propter partium diſſimilitudinem, & fi
guram.; cum enim aer ex earum motu non ſimilem plagam reci
piat,diſſimiliter reſiſtit, motuſque diſſimilis exiſtit. De poſteriore
dicimus corpora mixta in eo,quod mixta,nõ moueri aut mixto,aut
ſimplici motu ſecundũ ſuam naturam, quãuis ſecundum ſe ſint lo
co mobilia. Non mouentur motu mixto ſecundum naturam, quo
Mixta corpora ut ſint per ſe loco mobilia. niam corpus mixtum in eo,quod mixtum,eſt ſimilium partium,&
quod ſequitur, caret inſtrumentis, ſine quibus non perficitur mo
tus mixtus. Non mouentur verò motu ſimplici ſecũdum naturam,
quoniam cum natura eorum ex omnibus elementorum naturis exi
ſtat, nullus eſt motus ſimplex, qui fluat ab omnibus elementorum
naturis:Cæterum ſunt per ſe loco mobilia motu ſimplici, non qui
Mixta non mouẽtur motu ſecundum totã ſuã naturam. dem in eo, quod mixta, conſtantque ex graui, & leui, ſed qua ex
parte in eis dominatur aut graue, aut leue, quod Ariſtoteles voca
uit moueri ſecundum id,quod in eis ſuperat,ac dominatur,nam cũ
in mixtione natura vnius elementi uincit, ac ſuperat, hæc tribuit
motum,& ſecundum hanc mixtum mouetur; quapropter mixtum
mouetur non ſecundum totam, & integram ſuam naturam, quæ
Corpus ſimplex quid. exiſtit & conflata eſt ex naturis contrariis,ſed ſecundum partẽ, quæ
alias ſupergreditur viribus, ac potentia ponderans. Ex his poteſt
ciri Ariſtotelem rectè finiuiſſe *in lib. 1. de cælo* 7. corpus ſimplex eſ
Dubitatio aduerſus diffinitionẽ corporis ſimplicis. ſe illud,quod habet principium motus ſecundum naturam,nec põ
dus habere id, quod omnibus videtur huic definitioni negotium
facere, quodque eſt, Animal in ſe habet principium motus ſecun
dum naturam, nam anima, quæ eſt principium motus quo cietur
animal,eſt natura, & verò animal non eſt corpus ſimplex. Occur
rit Simplicius huic dubitationi ſtatuens animam nõ eſſe naturam
Simplicij reſponſio. ſed perperam occurrit, quia anima eſt animalis natura; idque alias
fuit a nobis monſtratum naturæ diffinitionem conſiderantibus;
Caſtigatio. Mercenarius,& alii cum Auerroe hanc diffinitionem ita accipiũt,
ut ſentẽtia ſit illud eſſe corpus ſimplex,quod in ſe habet vnicũ prin
Mercenarij & aliorũ reſponſio. cipium actiuum ſui motus naturalis; ex quo conficiunt neque mix
tum corpus,neque animal excipere hanc diffinitionem: Etenim li
cet corpus mixtum in ſe coerceat vnicam virtutem mouentem,
quæ eſt cauſſa princeps motus, attamen quoniam hæc cõiuncta eſt
cum grauitate,ac leuitate, quæ corpus mixtum variè afficiunt, ad
mo-

Digitized by Google

motuſque diuerſos diſponunt, hinc fit, ut corpus mixtum multas naturas mouẽtes complectatur, quarum vna eſt cauſſa motus princeps, reliquæ ſunt cauſſæ parantes, & diſponentes. H errat, tum quia corpori ſimplici tribuũt principium ſui motus actiuum, quod non eſſe tribuendum ſignificauit Ariſtoteles *in lib.8.Phyſ.32.* tum etiam quoniam vox, vnicum, ab Ariſtotele fuit neglecta, quæ non erat negligenda, ſi legitima eſſet horum interpretatio. Cæterum cauſſa, cur hi ex hac difficultate non rectè ſeſe explicauerint, in eo poſita eſt, quia ab eis non fuit animaduerſum mixta corpora non omnino ſecundum naturam moueri, quippe quæ non moueantur ſecundum totam ſuam naturam, quæ quod exiſtat ex naturis contrariis, non poteſt principium eſſe vnius motus, ſed ſecundum partem reliquas ſuperantem, ex quo fit, ut mixta corpora in eo, quod mixta, non ſint aptè nata cieri vllo proprio motu, ac præterea corpora compoſita ſic cieri motu mixto, vt hic motus non inſit omnino ſecundum naturam, quippe qui pugnet cum natura corporis *lib.8.Phyſ.27.* idque eſt in cauſſa, vt labor accidat, & defatigatio, quanquam non eſt diffitendum eis hunc motum ſecundum naturam accomodari in eo, quod ſunt compoſita, variiſque inſtrumentis motui ſeruientibus diſtincta. Hæc hi ſi animaduertiſſent, omnẽ ſibi ſcrupulum eripuiſſent, intellexiſſentque ſola ſimplicia corpora in ſe principium motus habere ſecundum naturam, hoc eſt ſolis corporibus ſimplicibus datum eſſe, vt in eis inſit motus ita ſecũdum naturam, ut nullo pacto ſit præter aliquam naturam in eis hęrentem.

Confutatio.

Reſponſio propria.

Motus mixtus corporibus, compoſitis vt ſit non naturalis, & ut naturalis.

Solis ſimplicibus corporib. datum eſt habere in ſe principium motus omnino ſecundum naturam.

Xenarchi dubitationes aduerſus id, quod eſt, Motus ſimplex eſt corporis ſimplicis, diſcutiuntur. Cap. IV.

ETſi argumentatio, qua fuit confectum cælum eſſe corpus ſimplex, magnum habeat momentum, attamen non defuerunt, qui ei reſiſterent, quorum alii maiorem propoſitionem, & alij minorem oppugnarunt. Hos igitur omnes nunc audiemus, & primũ quidem priores, tum verò poſteriores, & nunquid illius, quod cupiunt, fiant compotes, diligenter conſiderabimus. Xenarchus *in iјs, quæ ſcripſit aduerſus quintam eſſentiam Ariſtotelicam* referente Simplicio *in com.lib.1.de cælo*, dubitat, nunquid verè dicatur motũ ſimplicem eſſe ſolius corporis ſimplicis, & cur dubitet, tres affert rationes. Vna eſt, quia motus ſimplex eſt vnus, & motus, qui eſt vnus, eſt tam corporis ſimplicis, quam mixti compoſitique corporis. Altera, quoniam ſi motus ſimplex eſſet ſimplicis corporis, & motus mixtus erit corporis mixti, atqui motus mixtus non eſt corporis

Xenarchi dubitationes.

Prima.

Secunda.

poris

poris mixti, quoniam ſi eſſet, tot mixta corpora eſſent inducenda, quot motus mixti; quorum multitudo cum ſit innumerabilis, infinita eſſent corpora mixta, quod à vero longiſſimè abeſt: non igitur ſimplex motus eſt corporis ſimplicis. Tertia & poſtrema quoniam motus ſimplex ab Ariſtotele fuit diſtributus in rectum, & circularem, & motus rectus ſimplex nequaquam fuit a natura tributus corporibus ſimplicibus, neque fieri poteſt, vt motu circulari corpus aliquod ſimplex cieatur. Motum rectum ſimplicem nō fuiſſe a natura impertitū ſimplicibus corporibus ex eo intellexit, quod cū elemēta, quibus ab Ariſtotele motus rectus fuit cōceſſus, duobus modis poſſint ſpectari, uno modo qua ex parte fiunt ac generantur, altero qua facta, genitaque ſunt, ſi poſteriore modo veniant in conſiderationem, tantum abeſt, vt ſi a natura motu recto cieantur, vt vel quiete contineantur, vel in orbē conuertantur, enimuero cū primū facta ſūt, ac generata, tenēt ſuos locos, in quibus poſita aut ſine motu ſunt, vt terra, aqua, & aer his propinquus, aut circulo ferūtur, ut ignis, eaque aeris pars, quæ huic proxima eſt. Sin verò priore modo inſpiciantur, hęc ſanè motu recto ſimplici ferūtur, ſed nōdū extiſtūt, quippe q̃ in generatione adhuc verſentur, ſuiſq; formis careāt, quas vt acquirant, ad loca propria mouentur, hinc *in lib. 4. de cælo* 22. ſcriptum eſt ferri ad proprium locum nihil aliud eſſe, quam ferri ad formam. Præterea cum elementa non moueātur ad loca propria, niſi in locis ſuæ naturæ alienis fuerint ſita, & præter naturā affecta, quippe quæ moueantur, vt id, quod eſt præter naturam abijciant, & id, quod eſt ſuæ naturæ cognatū, aſciſcant, & quod eſt affectum, id minimè ſimplex ſit, quandoquidem habeat quippiam ſibi præter naturam ad mixtum, conficitur elementa tum cum ad locos ſuæ naturæ cognatos motu recto feruntur, non eſſe corpora ſimplicia. At verò motum circularem non eſſe tribuendum ſimplici corpori ex eo declarauit Xenarchus, quoniam in corporibus ſimplicibus, quæ ex partibus ſimilibus conſtant, oportet omnes partes eſſe æquè veloces, ſiquidem omnium eadem eſt ratio, & in motu circulari partes, quæ centro ſunt propinquiores, tardius mouentur iis, quæ propius accedunt ad extremum, quippe quæ tempore eodem mouentur per minus interuallū, & in ſphæra circuli circa polos reuoluti ſunt ſegniores ijs, qui ſunt a polis procul abiuncti, non igitur circularis motus ſua natura ineſt corpori ſimplici. Hæ ſunt Xenarchi dubitationes, quibus parum efficacitatis ineſſe non eſt arduum videre, primaque explicatur, quoniam non ſequitur, ſi motus omnis ſimplex eſt vnus, & motus vnus ſit tam ſimplicis, quā mixti corporis, vt ſimplex motus eandem rationem ſubeat, quoniā motus vnus latius patet; quapropter hic corporibus mixtis poteſt in

Tertia.

Reſponſio ad primū.

ineſſe, quæ ſimplici motu non omnino ſecundum naturam poſsũt cieri. Præterea ſi quoque datum fuerit motum, qui eſt vnus, ſimplicem eſſe, & propterea motum ſimplicem non eſſe corpori mixto adimendum, non propterea quippiã concluditur aduerſum Ariſtotelicæ aſſumptioni; nam huius ſententia eſt motum ſimplicem ſic eſſe corporis ſimplicis, vt in hoc inſit ſecundum totam, & integram naturã, & motus ſimplex, qui cernitur in mixtis corporibus, nõ fluit ex tota ipſorum natura, ſed ſequitur naturam illius elementi, quod in eis reliqua vincit. Deinde motus vnus non rectè tribuitur compoſito corpori, quoniam huius motus peculiaris cum ſit mixtus, cõſtetque ex pulſione, & attractione, atque ex contrariis motibus, non verè, ac propriè eſt, ac dicitur unus. Altera labefactatur, quod mo- *Reſponſio ad ſecũdã*
tus mixti ſint corporum compoſitorum, quæ tot ſunt, quot mixti motus, qui quidem motus non ſunt innumerabiles, ſed certo, definitoque numero comprehenſi. Etenim motus mixtus ſignificat nobis eum motum mixtum, qui eſt naturalis, naturęque propoſitus, neque fluit ab arte, hominumque induſtria, aut omnino ab aliqua vi externa, corpora verò compoſita nobis ſunt illa, quæ diſtinguntur inſtrumentis motui mixto ſeruientibus. Hæc eſſe totidem, quot ſunt mixti motus, illud monſtrat, quod hi motus, qui omnes tractu, & pulſu geruntur, inſtrumenta propria deſiderent, quorum miniſterio agantur, qua e re tot eſſe corpora compoſita aptè nata moueri motu mixto eſt neceſſe, quot ſunt motus mixti. Tertia dubita- *Reſponſio ad tertiã*
tio profligatur, quoniam natura in elementis eſt quidem principiũ motus recti, cæterum non eſt cauſſa, vt ſemper verſentur in motu, nam his duntaxat cauſa eſt, ut ad loca propria ferantur, & in his quieſcant, enim verò quęcunque generantur, ſic natura ſunt comparata, vt ſint aptè accomodata conſequi ſuas perfectiones, & has vbi fuerint adepta, eas tueri, & conſeruare, quapropter cum ſalus, & perfectio elementorum in propriis eorum locis poſita ſit, atque illa in his non ſemper ſint, tum quia in locis alienis generantur, tum etiam quia, ex eis vi pelluntur, hinc fit, ut in ipſis natura ſit principium, quo mouentur ad loca familiaria, atque in his quieſcũt, hoc eſt principium, quo proprias acquirunt perfectiones, & acquiſitas tuentur: fruſtra enim contenderent has ſibi comparare, niſi comparatas poſſent retinere, ac cuſtodire. Cum verò elementa, ſimpliciaque corpora in locis alienis genita mouentur ad propria loca, ſic mouentur, vt prius ſint, ſuamque formam habeant, quam accipiant motum, nam cum motus formas eorum ſequatur, nequit fieri, vt in motu verſentur, niſi antè ſuas formas habuerint. Quapropter eadẽ quoque dum in generatione poſita feruntur ad ſua loca, non omnino ſunt expertia ſuarum formarum, quas generatione acquirunt,

quippe

Digitized by Google

quippe quæ magis & minus ſuſcipientes ſunt aptæ, ac idoneæ, quæ ſenſim exoriātur, atque ad id, quod in ſua natura ſummum eſt, pedetentim progrediantur. Et ſanè cum graue finiatur id, quod natū eſt moueri ad medium, & leue, quod a medio, quis non ſentiat elementa dum ad ſuos naturales locos mouentur, non eſſe ſine grauitate, & leuitate, quodque ſequitur non eſſe ſuarum formarum expertia? Id planè non ignorauit Alexander, qui apud Simplicium *in com. lib. 1. de cælo* nos admonuit elementa prius eſſe, quam ad ſua loca moueantur. Cum verò eadem ſuis è locis eiecta operam dant, vt hos recuperent, actu exiſtunt, ſuaſque tenent naturas, ſed ſuis omnibus numeris non ſunt abſoluta, nam motus eſt actus entis poteſtate, quod eſt ens imperfectum, & elementa tum integram, ac vniuerſam habent ſuam perfectionem, cum ſuas ſedes proprias tenuerint. Nec verò elemēta, ſi quid præter naturā eis admixtum fuerit, erunt corpora mixta, quoniam ex multis ſimplicibus corporibus non ſunt conſtituta ſed ſunt ſimplicia, quamquā impura, & nondū plenè, ac integrè ſuam naturam tenentia: qua in re notandum eſt id, quod ſimplex dicitur, bifariam intelligi, vno modo quod purū eſt, atque ſyncerum, altero quod non eſt ex ſimplicibus mixtū, priore modo hæc corpora præter naturam affecta non ſunt ſimplicia, ſed poſteriore, qui ſimplicitatis modus nobis, & Ariſtoteli eſt ī hac diſputatione propoſitus.

Simplex bifariam dicitur.

Poſtrema dubitatio, qua circularis motus tollitur e corpore ſimplici, ſuis authoribus æquè ac nobis infeſta eſt; quandoquidem illi ſtatuunt ignē, qui eſt corpus ſimplex, in propria ſede circulo moueri. Verum eſt inanis, atque repellitur, quoniam corpus, quod circulo fertur, eſt ſimplex, omneſque ſuæ partes pari celeritate aguntur nam hæ in toto non mouentur per ſe motu proprio, quippe quæ non ſunt actu per ſe conſiſtentes a toto diuulſæ, ſed ex accidenti motu totius, quapropter cum vna, eademque motione omnes agantur, omnes quoque pari celeritate conuertuntur, nec una tardius, aut celerius, quam altera, conficit ſuum curſum. Nec præterea corporis ſimplicitatem poteſt euertere, quod eius vna pars celeriter moueatur, & altera tardè, nam terram eſſe corpus ſimplex nemo non dubitat, huius tamen partes inæquales ſic mouentur, vt minor pars motionis celeritate ſuperetur a maiore. Oportet quidem ſimplicis corporis partes eandem motionis ſpeciem ſubire, nec vnam ſurſum, & alteram deorſum ferri, ſed nō omnes agi eadem motus celeritate eſt neceſſe.

Corporis circulo lati omnes partes pari celeritate mouentur.

Illorum

Digitized by Google

Illorum opinio, qui cæli motum non eſſe naturalem ſunt arbitrati. Cap. V.

AVdiuimus Xenarchum, qui oppugnauit maiorem propoſitionem argumentationis, qua fuit confectum cælum eſſe corpus ſimplex, illos nunc audiemus, qui minorem eiuſdem argumentationis propoſitionem accuſarunt. Auuicenas *in lib. 9. primæ philoſophiæ cap. 2.* Algazeles *in l. 1. philoſophiæ tract. 4. c. 2.* Scotus *in lib. 2. ſent. diſt. 2. quæſt. 6. & in l. 4. diſt. 48. quæſt. 2.* Durandus *in lib. 2. ſent. diſt. 14. quæſt. 2.* & alii plerique Theologiæ doctores affirmant cælum ſua natura nequamquam in orbem moueri, hoc eſt cælum nullam habere inſitam propenſionem ad motum circularem accipiendum, ſed ſua natura ſic comparatum eſſe, vt motum, cui ſubiicitur, poſſit abiicere, & alium accipere. In hanc verò opinionem deſcenderunt nō eadem ratione perſuaſi, nam Arabes putarunt cæleſtem motum non eſſe naturalem, quoniam eius principium non eſt natura cæleſtis, ſed anima cæli, idque ita declararunt. Natura non eſt principium cæleſtis conuerſionis, quoniam quod circulo fertur, id non redit, vnde diſceſſit, & nequit fieri, vt quippiam ſua natura eò proficiſcatur, vnde ſua natura diſceſſit. Huius ea eſt ratio, quoniam motu naturali deſeritur id, quod noxium eſt, atque inimicum, & id acquiritur, quod eſt amicum, & ſalutare, quapropter ſi quippiam ſua natura eo regrederetur, vnde diſceſſit, id ad ſtatum ſuæ naturæ noxium ſua natura rediret, quod eſt nefas. Animam verò principium huius & motus illud perſuadet, quod cum actiones huius animæ ſint duplices, altera interior, quæ eſt actus intelligendi, & altera exterior, quę eſt motus cæleſtis, par eſt, ut hæc illam imitetur, quapropter anima quoniam in actu intelligendi ab eodem ad idem mouetur, nam intelligit ſeipſam, eo pacto mouebit cælum, vt huius motio in orbem agatur, ſitque ex eodem ad idem. At verò Latini Theologiæ magiſtri cum intelligerent, ſi cælum ſua natura feratur in orbem, ceſſationem ab hoc motu fore illi præter naturam, atque non ignorarent poſt huius mundi innouationem cælū ceſſaturū eſse ab hoc ſuo motu, quoniam non erit generatio, propter quam is eſt comparatus, ſibi perſuaſerunt cælum non poſſe ſua natura in orbem moueri, ne, ſi hoc ponatur, cælum mundo innouato ſit ſeculis immortalibus in ſtatu ſuæ naturæ alieno. Hi præterea ne hoc dogma videatur improbabile, id multis aliis argumentis, confirmarunt, quorum hæc cæteris ſunt firmiora. Si cælum moueretur in orbem naturali propenſione, quo modo grauia ſuo pondere

Auicēnas. Algazel. Scotus. Durādus.

Argumētum Arabum.

Animæ cæli actiones duæ.

Argumenta Latinorum.

Primum.

deorſum,& leuia in ſublime ſua leuitate feruntur, certus terminus eius conuerſioni eſſet conſtitutus,neque in perpetuum moueretur, ſi quidem ea, quæ ita mouentur,eam ob cauſſam mouentur, ut locum ſuæ naturæ familiarem,in quo quieſcunt, conſequantur,cum igitur cælum irrequieta vertigine circunferatur, eius motus non

Secundum erit naturalis. Præterea nullum corpus impetu naturæ incitatur, niſi extra locum proprium ſit poſitum,eſt enim corpori vnicuique impetus a natura datus,cuius vi ad ſedem naturalem,ſi ex hac fuerit eiectum, reuocatur, quod in loco naturali melius conſultum ſit eius incolumitati, ſed cælum extra proprium locum nunquam peregrinatur, in quo conſiſtens perpetuo in orbem reuoluitur, non

Tertium. igitur naturæ propenſione circulo fertur. Ad hæc cum cælum ſit inſtrumentum, quo vtitur mens a materia ſeparata in regendis rebus caducis, non aliter affectum eſt ad motum,quo mouetur a mente ſeparata,ac inſtrumentum ſe habeat ad motum,quo cietur ab artifice,verum hoc tametſi aptum ſit accipere motum, attamen ad hunc nullam inſitam habet propenſionem, ergo & illi non eſt, vt

Quartum vlla ad motum tribuatur inſita propenſio. Inſuper inſita,innataq; propenſio ad id eſt,quod vel afferre perfectionem, uel vſui eſt ad aliquam perfectionem conſequendam,atqui motus nullam perfectionem,poteſt tribuere cælo, quippe qui eſt actus imperfectus,ſuamq; naturam aliud perpetuo petit, cuius gratia eſt comparatus,nec præterea momentum habet ad quippiam conſequendum, quod tanquã finis,& extremum cælo ſit propoſitum, quando quidem ad res natiuas generandas ſolum eſt vtilis, & non eſt fas cælum has ob res

Finis ante ſtat ijs, quæ ſunt gratia finis. in perenni motu verſari, quod finis omnibus iis ſemper annectat, quæ ipſius gratia quippiam agunt. non igitur in cælo vlla propenſio eſt ponenda ad accipiendum motum circularem.

Motus circularis eſt cælo naturalis, & quo modo ſit naturalis. Cap. VI.

QVæ fuerunt expoſita, videri quidem poſſunt non ſine probabilitate dicta,verum non ſunt huiuſmodi, vt nos cogant ab

Argumentum primum. Ariſtotele deſciſcere, cuius dogma magna niti ſtabilitate, & cum natura rerum conſentire,hæc poſſunt perſuadere. Et primum cælum in corporibus naturalibus numerari nemo non fatetur, ſed corpus naturale finitur id,quod habet naturam, & in ſe principiũ motus,hoc eſt impetum innatum ad motum accipiendum, nã *initio lib.2. Phyſ.* illud intereſt inter corpora naturalia,& ea, quæ non ſunt a natura, quod illa vniuerſa habeant in ſeipſis impetum ad motum innatũ,& hæc,vt lectica,veſtis,& quicquid eſt aliud ſimilis generis,

generis, in eo quod huiuſmodi nominibus appellantur, atque ab arte ſunt nullum impetum ad mutationē haberent, ergo non eſt, vt cælo adimatur inſita ad motum propenſio. Deinde cum motus ſit veluti vita quædam iis omnibus, quæ natura conſtant *lib.* 8. *Phyſ. ad initium*, planè ſi cælum non haberet inſitam ad motum propenſionem, minus viuax, minuſque vitæ particeps eſſet, ac ſint elementa, quibus a natura fuit impertita inſita ad motum propenſio. Amplius; quorum eſt aliquod opus proprium, ea ſunt operis gratia *lib.* 2. *de cælo* 17. eorumque bonum, & benè eſſe in opere ipſo conſiſtit *lib.* 1. *Ethic. ad Nicom. cap.* 7. verum nulla eſt res naturæ, quæ non habeat inſitam appetitionem proprij boni, atque illius, cuius gratia locum obtinuit in rerum vniuerſitate, ergo cum motus circularis ſit opus cæli proprium, & propterea cælum eius gratia ſit paratum, & in eo ſitum ſit bonum, & benè eſſe ipſius cæli, cōcludendum eſt cælum in ſe vim coercere, atque principiū, quo eſt procliue ad motum circularem accipiendum. Rurſus quod melius eſt, id ſi poſſit fieri, ſemper in natura ineſt *lib.* 8. *Phyſ.* 56. atqui melius eſt id, quod continuè ſine vlla intermiſſione mouetur, ad motum ſua natura eſſe propenſum, quàm ſine vlla ad motum propenſione conſtare; ergo cælum ſic in orbem mouebitur, vt non ſit expers innatæ ad motum propenſionis. Demum cum circularis motus ſit natura prior, multoque præſtabilior motu recto *lib.* 1. *de cælo* 12. par eſt, vt æque vel etiam magis fuerit naturæ propoſitus, ac motus rectus, atqui natura in elementis ingenerauit ad rectum motum propenſionē, exiſtimandum eſt igitur alicui ſimplici corpori fuiſſe à natura tributam ad motum circularem procliuitatem, quod ſi ita eſt, planè quoniam in hac corporum vniuerſitate nullum corpus cælo excepto eſt aptè natum habere impetum innatum ad motum circularem, concludendum eſt hūc cælo fuiſſe à natura impertitū, cæloque naturalem eſſe motum circularem. Porrò cum motus naturalis finiatur is, cuius principium eſt in re, quæ mouetur *lib.* 8. *Phyſ.* 27. atque vocabulum principij omnibus ferè Peripateticis ſignificet principium tam actiuum, quam paſſiuum, conſentiunt omnes Ariſtotelici explicatores cælo motum circularem eſſe naturalem, quia huius principium paſſiuum in illo eſt ingeneratum, hoc eſt, quia cælum ſua natura eſt propenſum, vt in orbem moueatur, nunquid verò ſit naturalis, quia in cælo ſit principium actiuum, inter ſe diſſentiunt, alijque negant, qui ſtatuunt huiuſce motus principium actiuum eſſe mentem ſeparatam, quæ à cælo eſt ſegregata, & alij affirmant, quorum nonnulli arbitrantur præter mentem à materia ſeparatam cælo adiungendam eſſe animam inhærentem, qua animatur, atque hanc eſſe naturam cæli, & cauſſam

Secundum.

Tertium.

Quartum

Quintum

Motus naturalis quid.

Ariſtotelicorum conſenſus.

Ariſtotelicorum diſſenſio.

Digitized by Google

motus effectricem, & alij animam repudiantes, ſolaque mente ſeparata contenti hanc ſtatuunt eſſe naturam cæli, e quorum numero eſt Antonius Bernardus Mirandulanus *in lib. 19. de euerſione ſingularis certaminis*, ac præterea Iandunus, qui *in quæſt. 2. lib. 1. de cælo* de ſententia Auerrois *in com. 5. lib. 1. de cælo* ſcribit motum cœleſtem eſſe naturalem non ſolum ratione materiæ, & principij patiētis, verum etiam ratione formæ, ac principij efficientis, hanc verò cæli formam ſtatuit non hærere in materia, quia eſſet caduca, ſed ſeparatam exiſtere, atque eſse naturam cæli, nam ſicut forma materiata habet propriam materiam, cui dat eſſe, ita hæc forma ſeparata ſibi aſserit materiam peculiarem, & eſt aptè nata complere naturā grauitatis & leuitatis expertem. Quod ſi aliquis obijciat naturam eſse principium intus incluſum, & formam ſeperatam eſse diſiunctam a cælo, & in cælo non hærere, reſpondet aliquod à natura cōſtitutum eſse principium intus poſitum bifariam contingere, vno modo quia hæret in eo, cui eſt principium motus, atque hoc modo animam in caducis animantibus eſse principium motus intus incluſam; altero quia ad mouendum illud, cui motum impartit, eſt peculiariter à natura aptatum, & accommodatum, atque hoc pacto formam, & mētem ſeparatam poſse videri in cælo eſse principiū motus intus poſitum, quoniam hæc mens, & forma ſic eſt aptata ad cælum mouendum, vt ad aliud corpus mouendum non poſſit accommodari, ſic neque mouet cælum, vt nec alium motum poſſit huic tribuere, neque celerius, aut tardius mouere; quin immo ſi vel minimum aſtrum cælo adiungatur, vel non moueret, vel mouēdo fatigaretur, & ne diu maneret in officio, laſſitudine impediretur. Ego ſum huius Opinionis: Ariſtoteles idem iudicium fecit de motu cœli in orbem, quod de motu recto elementorum *in lib. 1. de cælo:* atqui motus rectus eſt elementis naturalis, quoniam eſt proprietas, quæ naturam elementorum comitatur, hinc leue, & graue vt primum genitum eſt, niſi quid impediat, illud ſurſum, & hoc deorſum continuò mouetur, ergo motus circularis erit cælo naturalis, quia eſt proprietas, quę cœleſtis corporis naturam ſequitur, cœlumque, vt dixit Strato Lampacenus Theophraſti diſcipulus, naturali ſua vi, & impetu in orbem mouebitur. Id autem ſi ita eſt, planè hic motus non habebit cauſsam effectricem: enim verò cauſsa efficiens proprietatis alicuius rei naturam comitantis eſt illa cauſſa efficiēs, à qua ea res, cuius eſt proprietas, fuit producta, quo circa quoniam cælum, quod de ſententia Ariſtotelis continetur æternitate, ſuæq; originis non habet initium, à nulla cauſsa effectrice genitum eſt, motus circularis cæli proprietas ex nulla exiſtet cauſsa effectrice. Cauſſam ſubſtantiæ generatricem eſse cauſsam proprietatis effectricem

Antonius Bernardus Mirādulanus.

Iādunus.

Principiū motus intus poſitū duplex.

Opinio propria.

Motus circularis quo pacto ſit cælo naturalis.

Strato Lāpacenus.

Cæli motus non habet cauſsā effectricē.

tum

tum id ſuadet, quod ſubſtãtiam generans, formamque tribuens, ea quoque generat,& tribuit, quæ ſubſtantiam,& formam neceſſariò comitantur,tum ex Ariſtotele intelligitur,qui *in lib.Phyſ.35*. nullam aliam cauſſam conſtituit, quæ moueat grauia, & leuia, dum natura mouentur, niſi id, quod generauit, fecitque graue,& leue, aut id quod abſtulit impedimentum. Quod non nulli putẽt cauſſam proprietatis effectricem eſſe formam rei, à qua emanat proprietas,& propterea cauſſa efficiens per emanationem nominatur, id arbitror abeſſe ab Ariſtotelis doctrina, in qua cum cauſſa efficiẽs ſemper finiatur primum principium vnde eſt motus, non eſt locus cauſſæ efficienti per emanationem, quæ ſine motu fungitur ſuo munere. Et ſi cauſſa motus efficiens tempore antecedit motũ *lib. 8.Phyſ.4.* & omnino cauſſa efficiens tempore anteit id, cuius eſt cauſſa *lib.12.poſt nat.16.* quo pacto forma erit cauſſa efficiens proprietatis,a qua nunquam eſt diſiuncta, & quam tempore nunquam anteit. Atque hinc quoque intelligitur motum cæleſtem cauſſa effectrice carere, quoniam nihil eſt, quod ſit antiquius eo, quem ſtatuit Ariſtoteles ab omni æternitate conſtare. Reſpõdebitur fortaſſe cauſam cæleſtis motus effectricem tempore antecedere non quidem totam,& integram cælorum motionem, quæ continetur æternitate,ſed ſingulas eius partes,quæ aſſidue fiunt,& fluunt,verum reſponſio non erit recta, quia ſingulæ totius partes vnà iunctæ ſunt idem,quod totum,atque idcirco nequit fieri,vt totum non habeat quippiam tempore ipſum antecedens,& ſingulis eius partibus datum ſit habere aliquod tempore ipſis antiquius. Quòd ſi cauſſa efficiens tribuatur quibuſdam cæleſtis motionis partibus,& quibuſdam adimatur,illud incommodum præſtò erit, vt vnius,& eiuſdem continui motus aliæ partes obtineãt cauſſam effectricem, & aliæ ſine cauſſa effectrice inducantur. Ex his poteſt perſpici illos omnes fruſtra eſſe,qui exquirunt,nunquid cæleſtis motus ſit naturalis,quia cælum intus habeat incluſam cauſam eius effectricem, vt interim mittam, quoniam principium motus in naturæ diffinitione aſſumptum eſt principium paſſiuum, & non principium actiuum,nulla ratione fieri poſſe,vt an motus ſit naturalis,ex principio illius efficiente intelligatur. Et ſanè cum in omnibus oporteat mouens eſſe diuiſum ab eo,quod mouetur *lib.8.Phyſ.30*.atque motus naturalis finiatur is, cuius principium innatum eſt ei, quod mouetur, qui fieri poteſt, vt ex principio motus actiuo intelligamus motum eſſe naturalem? Sed hæc non ſunt huius conſiderationis.

Forma nõ eſt cauſa efficiẽs proprietatis.

Cauſſa efficiens per emanationẽ nulla.

Reſpõſio.

Cõfutatio

Error multorum

Principiũ in naturæ diffinitione quale.

Ex principio motus actiuo non intelligitur an motus ſit naturalis.

Nonnulla

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Nonnullæ difficultates explicantur, argumentaque tolluntur, quibus motum in orbem non eſſe naturalem cælo fuit perſuaſum. Cap. VII.

Prima difficultas. MEa opinio tametſi conſentiat cum Ariſtotelis doctrina, attamen non caret difficultatibus. Et primum ea poſita ruit illa propoſitio Ariſtotelica in lib.8.Phyſ. explicata: Omne, quod mouetur, ab aliquo mouetur, hac verò ſublata ruit vniuerſam lib.8. Phyſ. ædificium, quod nititur ea, tanquam fundamento. Deinde *Secunda.* primum mouens immobile inducitur ab Ariſtotele, vt moueat eo motu, quem vnum, & perpetuum neceſse eſt eſse *lib.8. Phyſ.54.* verum enim verò quoniam hic perennis motus eſt cæli motus, planè ſi hic ſit proprietas cæli, nec poſtulat vllam cauſſam effectricem, *Tertia.* non erit, vt in his fides Ariſtoteli habeatur. Præterea ſi motus cæli careat cauſſa effectrice, ex ijs, quæ cernuntur in hac rerum vniuerſitate, nulla ratio poterit ſumi, qua firmiter, neceſsarioq; perſuadeatur Deum huic caducæ vniuerſitati prouidere; quandoquidem ex eo, quod arbitramur Deum eſse cauſſam cæleſtis motus effectricem, vtique cælo tanquam inſtrumento ad hæc regenda, intelligi- *Cælũ Dei inſtrumentum.* mus hæc caduca cadere ſub Dei prouidentiam. Optima autem ratione cælum inſeruit Deo ad hæc noſtratia gubernanda, quoniam cum primum mouens immobile nequeat res natiuas, & caducas proximè mouere *lib.8.Phyſ.53.* neceſse fuit corpus aliquod perpetuum inter has & illud interijci, quod ab eo accipiens motum in his cauſſa eſset perpetua, & nunquam ceſſantis ortus, & interitus viciſſitudinis. Hinc Auerroes *in lib.1.de cælo com.22.* voluit cælum *Auerroes* eſse vinculũ aptiſſimum, quo penitus æterna & immutabilia copulantur rebus omnino caducis & mutabilibus, quippe quod cum ſubſtantia ſit æternum, & immutabile, loco autem mutabile, & na- *Quarta.* tiuum, particeps eſt æternitatis, & caducitatis, atque immutabilitatis, & mutabilitatis. Poſtremò ſi cælum moueretur in orbem, quoniam circulo ferri eſt eius proprietas, ſequitur, cum hæc motio ſit perpetua, ac infinita, vt ex ſe, propriaque natura habeat, quod infinito tempore moueatur, atqui eius vis, & natura eſt finita, quippe quæ hæreat in magnitudine finita, ergo ex natura finita penderet infinitas motus, quod non eſt ferendum. De prima difficultate *Reſponſio ad primã difficultatem.* dicendum eſt hãc propoſitionem; Omne, quod mouetur, ab aliquo mouetur, in ijs audiendam eſse, quæ ſic mouentur, vt antea eſsent immota, atque omnino in ijs, quorum motus ſunt natiui & caduci, nam cum in his fiat motus, qui antè non erat, nihilque ſine cauſſa effectrice poſſit fieri, hæc planè omnia oportet ab aliquo moueri, motumque accipere. Hanc propoſitionem in his audiendam eſſe

argumento

Digitized by Google

argumento eſt, quod inductio, qua confirmatur, facta ſit in ijs, quæ oriuntur, & occidunt, quorũque motus fiunt, cum antè nõ eſsent. Nec verò hac propoſitione ita explicata ruit ædificium l. 8. Phyſ. nam hoc in lib. Ariſtoteles habet in animo propoſitum inueſtigare motus æternitatem, idque ex ijs, quæ initio libri poſita ſunt, nemo non intelligit: cum verò motui duplex æternitas poſſit tribui, vna in perenni, & nunquam interrupta deficientium motuum ſucceſſione poſita, altera unius numero motus infinito tempore conſtantis abſque vlla intermiſſione, ambas ſanè Ariſtoteles habet in animo, verum in poſteriore, quæ propriè, ac verè eſt perpetuitas, potiſſimum verſatur, atque hanc antequam firmet, ac ſtabiliat, aſſumit, quicquid mouetur, ab aliquo moueri, atqui nõ eſt conſentaneum in hoc fundamẽto contineri ea, quæ perpetuo mouentur, quorumve motus eſt perpetuus, quando quidem hinc conficiendum eſt aliquod eſſe ponendum, quod ſine vlla intermiſſione perpetuò mouetur, & nefas eſt, fundamenta dum iaciuntur, illud ponere, quod eſt demonſtratione erigendum. Quod ſi aliquis voluerit hanc enunciationem ſic explicare, vt omnia, quæcunque mouentur, complectatur, in ea illud erit aſſumẽdum, quod mouet per modum vel finis, vel efficientis, quo pacto intellecta excipit cælum, quod mouetur a motore immobili per modum finis, vt mox dicã.

Motus æternitas duplex.

Ad ſecundam difficultatem reſpondendum eſt primum mouens immobile eſſe planè cæli motorem, verũ non per modum efficientis, ſed per modum finis. Enim verò cum certum ſit elementa non temere, ac fortuitò ſuis motibus cieri ſecundum naturam, ſed alicuius finis gratia, qui finis in hoc poſitus eſt, vt ſint in locis proprijs, in quibus ſita conſtituunt hanc rerum vniuerſitatem, ſuamq; ſentiunt perfectionem, par eſt cælum, quod his naturæ dignitate anteit, aliquo fine propoſito in orbem conuerti, atqui fieri non poteſt, vt cælum ſibi tanquam finem conſtituat corpus aliquod vel corporis virtutem, quoniam ipſum reliquis corporibus dignitate anteſtat, & nefas eſt cælum ſibi veluti finem proponere quippiam, cui minor naturæ nobilitas fuerit à natura impertita, nam finis cum ſit perfectio illius, cuius eſt finis, abſurdum eſt minus nobile afferre perfectionem illi, quod eſt magis præſtabile, conficitur aliquam ſubſtantiam à materia, & à magnitudine ſeparatam eſſe inducendam; quæ cælum moueat per modum finis, atque hanc eſſe motorem immobilem, quod quæcunque mouent, cum ſint finis, ea moueant immobilia exiſtentia *lib. 12. poſt nat. 36.* Atque hæc eſt ratio, vt in diſputatione de mentibus a materia ſeparatis explicaui, quæ impulit Ariſtotelem ponere mentem, & ſubſtantiam a materia ſegregatam, quæque Alexãdo fuit probata, & ab Auerroe *in tract. 4. Epit.*

Ad ſecundã difficultatem reſ.

Motor immobilis mouet cælũ per modum finis.

Ratio, quæ impulit Ariſtotelẽ, vt poneret mentem a materia ſeparatã.

Obiectio. 4. *Epit. poſtnat.* Philoſophiæ latè declarata. Quod ſi quiſpiam obijciat Ariſtotelem in lib. 8. Phyſ. ſic primum mouens intueri, ac ſi moueat per modum efficientis, & ex hac mouendi ratione conficere ipſum non eſse virtutem in magnitudine, reſpondēdum erit, quāuis non conſentiat cum decretis Ariſtoteleis primum motorem fungi munere cauſsæ efficientis, quod alias fuit oſtenſum, attamen in eo contemplando Ariſtotelem varijs in locis, & præſertim in lib. 8. Phyſ. ſic fuiſſe verſatum, perinde ac ſit cauſſa motus efficiēs, atque huius tam eſſe rationem, quia veteres Philoſophi rationem mouendi per modum finis pro nihilo habuerunt, (idque ſub exitum lib. 2. Phyſ. & in lib. 1. poſtnat. fuit ſignificatum) & quæcunque induxerunt mouentia, hæc omnia voluerunt per modum efficientis mouere. Quapropter cum Ariſtoteles intelligeret hac mouendi ratione primo motori conceſſa poſſe quoque concludi primum motorem eſſe immobilem, & impartibilem, quod conficere habebat in animo propoſitum, eam ſibi retinendam eſſe putauit, quoniam ſi eam contempſiſſet, & mouendi rationem per modum finis fuiſſet amplexus, id, quod priſcis Philoſophis erat ignotum, fuiſſet amplexatus, idque ſi confirmare voluiſſet, lōgam, & rei propoſitæ alienam diſputationem ſuſcepiſset, atque in ijs verſari habuiſset neceſse, de quibus docere non eſt munus philoſophi naturalis, ſed primi, atque poſtnaturalis, huius enim intereſt aperire modum, & rationem, qua primus motor, & mens à materia ſeparata affert motum. Atqui hæc in diſputatione de mentibus a materia ſeparatis ſatis abundè fuerunt explicata. Quod de prouidentia Dei in tertia dubitatione dicitur, id non habet momentum, quoniam ſi ſolus cæleſtis motus haberet vim prouidentiæ perſuadendæ, noſtræ, ceteræque Theologiæ doctores nullam haberent rationem ad eam confirmandam, cum veriſſimum ſit Deum non eſſe proprium atque proximum cælorum motorem. Quin etiam Auerroes cæleſtem motum non fecit multi, alioquin non ſcripſiſset in lib. 2. Phyſ. com. 75. ſi Philoſophus diuinus non conceſſerit naturam agere propter finem, nullam ei futuram eſse rationem, qua monſtretur hæc caduca & mortalia cadere in Dei prouidentiam. Sed & perſequi, ex quibus intelligitur Dei prouidentia mundum adminiſtrari, huius nō eſt loci, neque tēporis. Vt tollatur poſtrema difficultas, audiendus eſt Alexander, qui apud Simplicium *in com. 3. lib. 2. de cælo, & alibi* ſtatuit cælum ex ſe, ſuaque natura habere motum finitum, quod autem infinito tempore circumagatur, ad motorem immobilem eſse referendum, enim verò cum omnis motus ſit ex quodam in quoddam *lib. 5. Phyſ. 3. & 7.* conſentaneum eſt, quod mouetur, id vt primum peruenerit ad illud, ad quod mouetur, ceſ-

Solutio.

Philoſophi veteres rationem mouendi per modum finis ignorātur.

Ad tertiā diffi. reſp.

Auerroes.

Ad quartā difficul. reſp. Alexāder.

ſare

ſare à motu, finemque facere vlterius progrediendi, itaque cum cæli motus ſit ab eodem ad idem, par eſt cælum à motu ceſſare, cum ad id peruenerit, vnde cæpit moueri, ad hoc autem tempore finito perueniat, eſt neceſſe, quoniam eſt corpus finitum, quo circa cælũ, quod ad ſe, ſuamque naturam pertinet, motum habet finitum, nec motu perpetuo cietur. Verũ.n. verò quoniam in orbem cõuertitur, vt ſimile menti ſeparatæ efficiatur, & vt hanc imitetur, hinc fit, vt intelligens rationem huius ſimilitudinis, & imitationis in motu circulari poſitam eſſe, ne eam amittat, vtq; eam perpetuò retineat, continenter moueatur, ſuumque motum nunquam intermittat. Cæterum quoniam hæc videntur animæ cæleſti tribuere rationem cauſſæ effectricis motus cæleſtis, eis omiſſis dicẽdum eſt motus infinitatem non poſſe exiſtere ex virtute finita tamquam ex cauſſa effectrice, & naturam cæli finitam non eſſe cauſſam motus effectricem. Et hactenus de his difficultatibus, nunc argumenta ſunt reſellenda, quibus propenſio ad motum è cælo fuit eiecta. Argumentum Auicennæ, & Algazelis non concludit, quoniam improbabile eſt animam cæleſti corpori motum tribuere, nam in omnibus oportet mouens eſſe diuiſum ab eo, quod mouetur *lib. 8. Phyſ. 30.* & anima non eſt diuiſa ab eo, cuius eſt anima, & natura poteſt eſſe principium motus circularis, quia quod circulo mouetur, id non fertur ex eodem ad idem, ſed manens in eodem agitur in orbem. Cum huic tribuitur ex eodem ad idem moueri, id nõ eſt totius, ſed partium, quæ dum mouentur, eò redeunt vnde diſceſſerunt, verum harum motus non eſt per ſe, ſed per accidens, hæque mouentur, quoniam mouetur totum, cuius ſunt partes. Id, quod impulit Latinos Theologiæ magiſtros, vt dicerent motum circularem non eſſe naturalem cælo, in ijs eſt, quæ fide apprehendũtur, & non in ijs, quæ demonſtratione concluduntur; quo circa momẽtum non habet in diſputationibus Philoſophorum, in quibus turpe videtur quippiam affirmare, cuius ratio nõ poſſit afferri *lib. 8. Phyſ. 15.* Mitto interim D. Thomam, cui dubia non erat mundi innouatio, in 1. p. quæſt. 70. art. 3. conceptis verbis affirmaſſe cælum ſua natura moueri, & ne id eſſe improbabile iudicaretur, nonnullos ſcripſiſse corpus ceſsare à ſuo motu naturali, vt Deo rerum naturæ authori obediat, non efficere, vt ipſum ſit in ſtatu ſuæ naturæ alieno, quoniam in omnibus inſitum eſt pluris facere Dei voluntatem, quam quod ſuæ naturæ commodum eſt, & alios ſenſiſſe cælum ſua natura non magis motum, quam quietem poſſe excipere, atque his temporibus eius naturæ datum eſſe in motu verſari, quia id exigit ordo vniuerſi ob rerum caducarum generationem, futuris autem ſeculis poſt mundi innouationem ſua natura

Ad Arabum argumentum reſp.

Anima nõ tribuit motum cæleſti corpori.

Ad latinorum argumentum reſpon.

In omnibus inſitũ eſt pluris facere Dei voluntatẽ quam id, quod ſuæ naturæ cõmodũ eſt.

tura fore immotum, id poſtulante ordine vniuerſi, in quo nullus erit locus generationi, cui cælum vt ſeruiat, motum aſciſcit: Mitto inquam hæc, quæ plena ſunt difficultatum, & hoc vnum dico, quod ſi quiſpiam philoſophus conceſſerit mundi innouationem, hic nõ habebit neceſſe fateri cælum a motu ceſſaturum eſſe, quoniã cauſſa princeps, propter quam cælum mouetur, non eſt ortus, & occaſus rerum naturalium, ſed natura ipſius, cui dum obtemperat, in cauſſa eſt, vt conſequenter rerum aliæ generentur, & aliæ intereant. Sed hæc omittamus aliena à doctrina Ariſtotelica, & in manus argumenta ſumamus à Latinis excogitata, vt cælo adimerent inſitam ad motum propenſionem, quæ ex fontibus Peripateticis hauſta

Ad primũ

poſſunt videri. Primum refellitur, quod quæcunque naturali propenſione ducuntur, ea ſanè certos habent limites ſuæ motioni conſtitutos, ſed non eſt neceſſe, vbi hos tenuerit, deſinant moueri, ſi anima regantur, & per animam moueantur, neque recta latione ferãtur, in qua alius eſt terminus, ex quo digreditur, & alius eſt terminus, ad quem progreditur motio, atque huius nos admonuit Ariſtoteles in lib. 1. de cælo 100. vbi ſcriptum reliquit, corpus, quod verſatur in orbem, inceſſabili motu non abſque ratione moueri, quoniam idem eſt locus, in quo incipit, & in quo finit.

Ad ſecundum.

Ad ſecundũ argumentum reſpondendum eſt motum caducis corporibus eam ob cauſſam fuiſſe a natura conceſſum, vt ſi fuerint extra proprios locos, eos ſibi queant comparare, ſempiternis verò, vt ſuam ſedem tenentia, quantum eorum natura patitur, primum, ſupremumque ens perpetuò imitentur.

Ad tertiũ.

Tertium argumentum conuellitur, quoniam cælum non eſt inſtrumentum, quo mens ſeparata tanquam cauſſa effectrix vtatur ad has res caducas adminiſtrandas.

Ad poſtremum.

Poſtremum deſtruitur, quia motus circularis, quamquam non ſit vltimus finis, ſummaque perfectio corporis cæleſtis, id tamen eſt, ſine quo cæleſte corpus non poteſt conſequi ſuum vltimum finem, atque tueri ſuam vltimam perfectionem, quæ conſiſtit in mentis à materia ſeparatæ imitatione.

Confutatio argumentorum, quibus cælum ex quatuor elementis fuit compoſitum. Cap. VIII.

ARgumentationem, qua fuit oſtenſum cælum eſſe corpus ſimplex, & ex quatuor elementis non compoſitum ab omni calumnia vindicauimus, nũc dogma ab aduerſis argumentis extricabimus.

Ad Ficini argumentum.

In Ficini argumento ſumuntur ea, ex quibus multò euidentius conficitur oppoſitum, quam propoſitum, enim verò ſi cælum elementa regit, atque in hæc dominatur, neceſſe eſt, vt ſit ab eis di-

uerſum

uerſum, neque ex eis commixtum; quia in omnibus alia eſt natura dominantis & alia illius, quod cadit ſub dominatum, hinc Anaxagoras referente & comprobante Ariſtotele *in lib. 3. de anima 4.* ſtatuit ſuam mentem eſſe immixtam, vt reliquis poſſet dominari. Nec verò neceſſum eſt cauſſam effectricem actu & re ipſa in ſe effectum continere, ſed virtute tantum; hoc autem nihil eſt aliud, quã cauſſæ effectrici fuiſſe à natura impertitam vim, & facultatem illius, quod efficitur, productricem. Itaque cælum quamuis elementa gubernet, ac generet, naturæ tamen elemẽtorum non ſunt in eo ponendæ, ſed ei ſolum ineſt vis, & facultas regendi, & generandi elementa. Cum inquit Ficinus proprias virtutes vbique in natura propria contineri, ac proinde elementorum naturas non eſſe tollendas è cælo, cui elementorum virtutes fuerunt conceſſæ, reſpondeo vocabulum elementorum virtutes, quod eſt ambiguũ, eſſe diſtinguendum, nam id aliquando ſignificat quatuor primas qualitates, quibus elementa viciſſim agunt, & patiuntur, quæque à viris grauiſſimis exiſtimantur propriæ elementorum formæ, & aliquando vim effectricem, ac generatricem elementorum; in priore ſignificatione elementorum virtutes nunquam ſunt ab elementorum naturis diſiunctæ, quo modo in cælis non ſunt poſitæ, in poſteriore non oportet, vbi eſt virtus elementi, ibi quoque eſse huius naturam, ſanè hæc virtus nunquam eſt diſiuncta ab ea natura, cuius eſt propria, verum hæc natura tam latè patet, vt ijs omnibus fuerit impertita, quæ ſua vi ſunt comparata ad gignenda elementa, atque hac ratione aſseueramus cælum in ſe continere vim elementorum, quippe quod hæc adminiſtret, & aliquo pacto generet. Licèt verò elementa ſub cælo in vnam mixti molem ſint conflata, attamen turpe eſt ex his cælum eſſe conflatum, tum quia huius natura eſt omnino ſimplex, neque ex varijs corporum naturis coagmentata, tum etiã quia mixtum ex elementis non ſupra elementa, neque in extremo vniuerſi loco, ſed in elementis, atque in medio mundi loco ſua vi, ac natura cõtinetur. Priorem partem Philoponi argumentationis Peripateticorum plerique infringunt aſſeuerantes cæli accidentia ab ijs differre, quæ in elementis cernuntur, quod nulla ſit natura, quæ in æternis, & caducis eadem ſit, eodemque nomine, eademque diffinitione explicetur. Hi de motu verè ſentiunt, in reliquis verò accidentibus non carent difficultate. Verè ſentiunt de motu, quoniam motus ſimplex circularis ſic cælo fuit a natura datus, vt nullo pacto fuerit conceſsus caducis corporibus. Mouentur ſanè in orbem ignis & aer, verum hic motus in his ineſt præter naturã, & non eſt verè ſimplex. In cæteris aũtem accidentibus non carent difficultate, quoniam cæli quantitas, perſpicuitas, & lumen non

Ad Philo pon: argumenta.

alijs poſſunt diffinitionibus explicari, atque ijs, quibus lumen, perſpicuitas, & quantitas corporum caducorum declarantur, qua è re inter hæc accidentia nullũ videtur eſſe rationis, ac naturæ diſcrimen. Atque id non obſcurè ſignificauit Ariſtoteles in lib. 2. de anima 68. vbi ſcribit aquam, & aerem non eſſe perſpicua in eo, quod aer, & aqua ſunt, ſed quia natura eadem ineſt in his vtriſque, & ei ſupero corpori, & paucis interiectis ſubiungit igni, & ſupero corpori aliquid vnum, & idem in eſſe, quo ſua præſentia faciunt perſpicuum actu. Nec quiquam facit id, quod in ore viget Peripateticorum, quodque eſt; Aeternis, & caducis nihil eſt commune, cuius eadem ſit natura, & diffinitio, quoniam æterna, quæ in hoc enunciato aſſumuntur, ſunt ex ſe, ſimpliciterque æterna; cuiuſmodi ſunt mentes à materia ſeparatæ, & non ea, quorum æternitas aliunde pendet, quæque partim ſunt æterna, & partim caduca, quo in genere cæli reponuntur, quorum perpetuitas pendet ex Deo, quique aliquo pacto ſunt mortalitatis participes; ſunt enim, vt inquit Auerroes *in lib. 8. Phyſ. com. 15. & in lib. 1. de cælo com. 22.* ſubſtantia æterni, & loco non æterni. Quapropter ad hæc accidentia quod pertinet, dicendum eſt hæc eſſe communia, atque in ijs eſſe, quorũ variæ, ac diſſimiles ſunt naturæ, non enim ſic propriam ſubiecti naturam comitantur, vt illis, quæ diuerſas habent naturas, atque etiam contrarias nequeant ineſſe. At verò in parte huius argumentationis poſteriore cum Philoponus ſumit ſtellas calefacere, refrigerare, cæteraſque huius generis qualitates efficere; reſpondẽt Simplicius, & alij plurimi has effectiones profundi à ſtellis, non quia hæ inſitas habent qualitates ſimiles iis, quæ ab eis efficiũtur, quod putauit Ptolemæus *in lib. 1. de Iudiciis*, ſed innatis quibuſdam virtutibus nobis occultis, & inexploratis. Eiuſdem opinionis eſt Albumaſar vir in Aſtrologia præclarus, qui has ſtellarum virtutes eſſe tales tradit, quales ſunt illæ, quæ ſpeciales; & occultæ proprietates nuncupatæ in rebus mixtis reperiuntur. His non accedo, quoniam, vt ſuo loco exponetur, nulla eſt neceſſitas, quæ nos cogat ſtellis tribuere has occultas proprietates; itaque reſpondeo non verè aſſumi ſtellas vim ſibi aſſerere efficiendi frigus, calorem, cæteraſque huius modi qualitates, de qua re in altera huius contemplationis parte habebo diſputationem. Cum adiungit Solem habere vim calefaciendi, atque eius lumine longè lateque diffuſo cuncta incaleſcere, dicendũ eſt Soli nullã vim eſſe datam caloris productricem, neque lumen ex ſe fundere calorem, & quid verò ſit, cur lumen, & Sol videantur calefacere, in diſputatione de lumine fuit patefactum: Verũ ſi quoque datum fuerit a lumine fieri calorem, non propterea fruſtra nõ erit aduerſarius, quoniam lumen parit calorem tanquam cauſſa

Aeternis, & caducis nihil eſſe commune vniuocè, vt intelligendum.

Simplic.

Albumazar.

æquiuoca,& nõ veluti cauſſa vniuoca, quod autem ſic generat calorem, vt ſit huius cauſſa æquiuoca, id inſita minimè calefacit caliditate. Et ſi Solis lumine ſtatuamus hæc noſtratia incaleſcere, non propterea dabimus cælum calore perfundi, quoniam huius natura cùm non ſit capax caloris, nec etiam huius poteſt particeps fieri. Quod extremo loco dicitur a Philopono, id ita reprehenditur. Quatuor primæ qualitates non ſunt reliquarum omnium qualitatum principia, ſed earum duntaxat, quarum ſunt ſenſus tangendi, guſtandi, & olfaciendi atque id vult Ariſtoteles *in lib. 2. de gen. & int.* Enimuerò Lumen eſt qualitas, quæ haudquaquã fluit ex primis qualitatibus ſub tactum cadentibus. Ergo ſi cælum alteratur, non eſt neceſſe, vt in aliqua primarum qualitatum mutetur. Atque hoc modo repelluntur Philoponi argumentationes, nũc excutiendæ ſunt euiuſdem reprehenſiones, quibus caſtigantur argumenta oppoſitum ſuæ opinionis concludentia. In primi argumenti reprehenſione nihil proficit, quoniam grauitas, & leuitas perpetuo ſequuntur frigiditatem, & caliditatem, neque hæ qualitates ab illis poſſunt ſeparari, quo circa cum harum qualitatum connexio ſit perpetua, ac neceſſaria, optima ratione ex eo, quod cælum non ſit graue aut leue, conficitur cælum nec frigidum, nec calidum eſſe, quoniam verò natura hominis non perpetuò ſequitur animal, non enim animal omne eſt homo, hinc fit, vt non ſequatur, ſi quid non eſt homo, id non eſſe animal. In alterius argumenti reprehenſione decipitur Philoponus exiſtimans aerem, & aquam non habere ſua natura inſitam leuitatem, aut grauitatem, nam ſua natura ſunt corpora grauia, aut leuia, quamquam quoniam grauitas, & leuitas, quę eſt in eis, non eſt ſumma, reſpectu diuerſorum grauitatem, & leuitatem ſimul habere exiſtimentur, vt aer ſua natura eſt leuis, ſed quoniam eius leuitas cedit ignis leuitati, ſequitur, vt cum igne comparatus appelletur grauis, eodem modo aqua ſua natura eſt grauis, ſed quia eius grauitas à terræ grauitate ſuperatur, efficitur, vt cum terra facta comparatione leuis dicatur. Aqua igitur ſua natura eſt grauis, verum in loco terræ leuis iudicatur, non quia ſit expers grauitatis, ſed quoniam cum grauitate vincatur à terra, huic locũ cedit, & huius comparatione leuis appellatur: eadem eſt ratio aeris, qui ſua natura eſt leuis. Nec minus in tertia argumentatione reprehendenda decipitur, quoniam non verè dicitur partes principes difficilius pati, nam pili, & vngues, quæ ſunt inter omnes partes minus præcipuæ, non facilè patiuntur, & oſſa etiam difficilius quam cor, & cerebrum incurrunt in perpeſſionem. Cauſſa cur cor cum facilè poſſit pati, attamen patiatur raro, in id eſt conijcienda, quod cum ſit fons vitæ, eius ſalus, & incolumitas eſt naturæ maximè

Conſideratio eorũ quibus Philoponus refellit argumenta perſuadentia in cælo nõ eſſe qualitates ex natura elementorum.

pro-

propoſita, quæ omni cu ra, & ſtudio quicquid incommodi poteſt ei afferri, depellit, atque ad partes minus precipuas detrudit. Nec pręterea ſequitur, ſi cælum non ſine ſumma difficultate patitur, vt nunquam poſſit pati, quoniam difficultas ex rei natura nequaquã tollit id, quod ipſam neceſſariò comitatur.

Expenduntur argumenta, quibus Philoponus perſuaſit cælum habere naturam fragilem, & caducam. Cap. IX.

CVm deinceps Philoponus ſuam operam ponit, vt perſuadeat cælum ſua natura eſſe fragile, & caducum, ijs argumentis vtitur, quæ ad hoc conficiendum nullam habent firmitatem, ad hæc autem antequam aggrediar, omnes velim admonitos cælum ponere ſua natura conſtans ab omni æternitate eſſe quidem in ijs, quæ abhorrent a vero, quippe quod pugnat cum veriſſimis noſtræ fidei decretis, cæterum non eſſe adeo improbabile, vt præter Ariſtotelem nullos inuenerit amatores, nam, vt ſcribit Ariſtoteles *in lib. 1. de cælo 22.* ab hoc videntur nõ abhorruiſſe veteres illi tã Græci, quam Barbari, qui ſunt arbitrati cælum eſſe locum, quem habitant mentes illæ beatiſſimæ ab omni mortali contagione ſecretæ, non enim conſentaneum eſt cælum, ſi ſit caducum, locum eſſe mẽtium immortalium, quod à ratione abhoreat immortali mortale ac cõmodari, & quod eſt fragile, id tanquã locũ cõtinere illud, quod eſt cuiuſuis expers fragilitatis. Nec Philoponus obijciat templa, quorum nulla eſt perpetuitas, nam hæc non ſunt loca, in quibus veteres illi putauerint Deos habitare. ſed condita fuerunt, vt in eis Dij venerarẽtur. Quin etiam Ariſtotele authore ab hoc placito nõ abhoruerunt illi, qui omnium primi apud. Græcos nomina rebus poſuerunt, quippe qui cælum αἰθέρα vocauerint, ἀπὸ τοῦ ἀεὶ θεῖν hoc eſt, quod currat tempore ſempiterno nomine ei impoſito Hoc autem dogma temporis ſenio deletum conatus eſt Ariſtoteles in hominum animis diſſeminare, nam vt idem inquit in loco proximè recitato, atque in lib. 1. meteor. non ſemel, neque bis, ſed infinities eædem opiniones ad nos accedunt, & vt his rebus caducis, quæ nobis ante oculos verſatur, datum eſt, vt cum habuerint ortum ad ſuamque perfectionem venerint, tandem pereant, ita opiniones, ſcientiæ, & artes humanæ omnes diuturnitate temporis extinguũtur, quæ rurſus interiecto multo temporis ſpacio renouantur, ac redeunt in hominum animos, atque huius rei argumento eſſe poteſt, quod plures artes, & ſcientiæ ab ijs, qui ante nos fuerunt, inuentæ, & ad ſummam perfectionem perductæ ætate Barbarorum, qui Italiam occuparunt, & bellis deuaſtarunt, penitus obſoleuerũt, & annis

Veteres cur cælum appellauerint nomine atheris.

Opiniones ſcientiæ, et artes temporis diuturnitate extinguntur, & interiecto tẽporis ſpacio redeũt.

annis quibuſdam elapſis iterum pubeſcere, ac inter homines efflo reſcere cæperint. Non eſt igitur, ut fides habeatur Philopono aſſeueranti veteres omnes ad cælum, mundumque generandum conſenſiſſe, & præſertim cum ante Ariſtotelē Ocellus Lucanus Pythagoræ auditor *in lib. de natura vniuerſi* multis argumentis conatus fuerit perſuadere mundum ortu, & interitu carere, quorum argumentorum nonnulla ſunt huiuſmodi, quæ ad ſuadendā cæli æternitatem poſſunt valere, hiſque vſus eſt Critolaus Peripateticus referente Philone *in lib. de mundi æternitate.* Atque ſanè cum creatio priſcis omnibus philoſophis fuerit incognita, quibus erat perſuaſum, quicquid fit, id fieri, cum aliquod ſubijciatur multò probabilius eſt ponere cæſum vna cum mundo ſempiternum eſſe, ortuque carere, quam exiſtimare illud factū eſſe ex materia Deo coæterna, quod eſt hæreſis a Dionyſio *in lib. 1. aduerſus Sabellium*, à Maximo *in lib. de materia* referente Euſebio *in lib. 7. de præparat. euangel. cap. 8.* & à Baſilio *in hom. 2. in hexam.* atque ab alijs noſtræ religionis proceribus damnata. Nec verò Plato tanti eſt faciendus, vt abſque ratione mundum, cælumque generans ſit Ariſtoteli non ſine ratione mundi, cælique ſempiternitatem amplexanti anteferendus. Prætereo interim ſummos ex eius familia viros ſentire eum ſcripſiſſe mundum eſſe genitum non eo ſenſu, quo res natiuas eſſe ortas dicimus, ſed alia prorſus ſignificatione, quæ à variis variè explicata multas inuenit interpretationes, quarum vna, quæ eſt Tauri, in hoc poſita eſt, quia mundus in eo genere continetur, in quo ſunt, quæcunque naſcuntur, & occidunt, & ſi nunquā ſit ortus. Altera Porphyrio probata eſt, quoniam vniuerſum eſt cogitatione compoſitum, quamuis eius compoſitioni nullo vnquam tempore factum ſit originis initium, poſſumuſque ipſum in ea, ex quibus componitur, cogitatione diſſoluere. Tertia eſt Procli, qui ſtatuit Platonem ſic genitum induxiſſe mundum, non quod ab vllo temporis initio cæperit eſſe, ſed quoniam ſuam eſſentiam in compoſitam habet, vt ſemper gignatur, in perennique motione verſetur: In mundo enim tum terra, tum ea, quæ à terra vſque ad Lunam pertinent, cōtinuò mutantur, & in alia conuertuntur, quæ autem ſupra Lunam conſiſtunt, ſubſtācia eadem quidem propemodum manent exiguam admodum mutationem ſubeuntia, vultum tamen, ac ſpeciem variāt, quemadmodum ſaltator, cum ſubiecto vnus ſit, & idem, mutatur tamen in varios vultus certo quodam manuum geſtu, atque motu: Quarta, & extrema, cui quoque Proclus fuit aſſenſus, quoniam mundus non ſibi eſt cauſſa, cur ſit, ſed ex Deo pendet, qui eum tuetur, atque cuſtodit, ſic iuxta Ocellum, & Ariſtotelem quibus cælum eſt ſempiternum, Luna exortum à Sole lumen nacta eſt cum

nullum

Ocellus.

Critolaus

Creatio priſcis philoſophis incognita.

Mūdum ex materia factū fuiſſe a Deo hæreſis.

Dionyſius

Maximus

Baſilius.

Plato quo ſenſu dixerit mundum eſſe genitū variæ explicationes.

Taurus.

Porphy.

Proclus.

Digitized by Google

nullum fuerit tempus, quo à Sole non fuerit illuminata. Quod ſi quis roget, cur Plato, cum mũdus nullum habuerit ortum, eum vti generatum propoſuerit, huius duæ cauſſæ ab harum interpretationum authoribus afferuntur, quorum altera inuitat ad pietatem, & eſt. Cum Plato maximè cuperet in hominum animis inſerere mundum Dei prouidentia adminiſtrari, atque animaderteret, ſi ſcriberet mundum eſſe ingenitum, imminere periculum, ne ſibi prouidentiã prædicanti fides adimeretur a rudibus, imperitiſque hominibus, qui quod cadit in prouidentiam, id cura illius, à quo generatum eſt, gubernari arbitrantur, (ex quo ſcriptum eſt à Philone *initio lib. de mundi opificio* eos, qui mũdum factum negant, tollere prouidentiam) atque id ſolũ cauſſæ generantis rationẽ ſuſtinere, quod tempore antegreditur id, quod generatur, mundum induxit generatum, quamuis perſuaſum habuerit eum nullo vnquam tempore habuiſſe generationis initium ſeculis omnibus immortalem. Altera cauſſa, quam referente Plutarcho in com. de animæ procreatione Crantor Solenſis fuit amplexatus, à noſtra cõmodiore facilioreque cognitione eſt ducta, nam apertiora ſunt ea, quæ tractantur, ſi in eis verſemur, vt in ijs, quæ generantur; ſic Geometræ diagrammata etſi non compoſita componunt doctrinæ gratia, & Plato *in lib. de Repub.* ciuitatem oriri, ac fieri inducit, vt in eius ſtructura iuſtitiæ ortus eſſet planior: Ergo licet mundus ſit æternus, & nunquam ortus, attamen quia non abſque difficultate poteſt ratio explicari, qua eſt compoſitus, & gubernatur, niſi eius ortus, & cauſſarum eum conficientium congreſſio ſtatuatur, Plato hanc viam, & rationem non iniuria ſibi amplectendam eſſe putauit. Sed Platonem, Platonicoſque mittamus, atque in medium veniant Philoponi argumenta. Ad primum reſpondeo tantum abeſſe, vt cælum naturam habeat natiuam, & caducam, quia eius effecta ſunt quæcunque oriuntur, & intereunt, vt contra immortalem ſibi aſſerat, nam cum in perenni ortus & interitus viciſſitudine verſentur, aliquam ſuperiorem cauſſam deſiderant, cuius opera fruãtur hoc munere: hæc autem cauſſa cum nequeat eſſe primum mouens penitus immobile, quippe quod cum ſemper eodem ſe habeat modo, nullius varietatis poteſt eſſe principium *lib. 8. Phyſ. 53.* neceſſariò inducendum eſt aliquod corpus, quod a primo mouẽte commotum aliter atque aliter ſe habeat ad hæc natiua, & caduca, in hiſque ſit cauſſa generationis, & interitus. Hoc autem corpus erit neceſſario perpetuum, quoniam ſi generatum ſtatuatur, ſupra ipſum, vt argumẽtabatur Auerroes *in lib. 1. de cælo com. 22.* aliud corpus erit ponendum, a quo generatum ſit, quod generãs omne alterando generet, & alterans, quia tangit id, quod patitur, & alteratur, atque tactus eſt corporum

Plato cur mundum, qui nullum habuit ortum, vti generatũ propoſuerit.

Philo.

Crantor Solenſis.

Ad primũ Philoponi argumentum.

Cælum, quia eſt cauſſa efficiens eorũ quæ oriuntur, & interrun', eſt æternum.

Auerroes.

Generans omne eſt corpus.

corporum *lib. 1. de gen. & int. cap. de tactu*, neceſſario ſit corpus, & in corporibus numeretur: Quapropter niſi inducatur aliquod corpus perpetuum, quod cum ſit generans, à nullo generetur, in iis, quæ generant & generantur, nullus erit finis, quod non conſentit cum natura rerum. Quoniam verò corpus, cui perpetuitas fuerit tributa, nemo non dat cælum eſſe, tantum abeſt, vt cælum, quia cauſſa eſt prima, & communis omnium eorum, quæ in generatione, & interitu verſantur, ſit mortale, vt contra ſit immortale inducendum. Nec verò ſi cælum eſt cauſſa efficiens rerum caducarum, id erit caducũ, & mortale, quod quicquid fit, id fiat a ſimili, nam hoc enunciatum, Quiquid fit, ab eo fit, quod eſt ſimile, non eſt perpetuò verum, nec tam latè patet, vt omnes cauſſas effectrices amplectatur; Enim verò cum cauſſarum aliæ ſint propinquæ, & propriæ, & aliæ longinguæ, & communes, Alexander apud Auerroem *in lib. 12. poſtnat. com.* 24. voluit, hoc enunciatum in ijs cauſſis audiendum non eſſe, quæ remotæ, communeſque ſunt, qua de re quoniam cælum eſt cauſſa remota, & communis, non eſt vt ſimile ſit ijs, quibus cauſsa eſt, quod oriantur, & intereant. Porrò non omnia quæcunque fiunt, a ſimilibus fieri non ſolum ſignificatum fuit *in lib. 1. de gen. & int.* 30. vbi quod generatur, id fit ab aliquo actu exiſtente, quod ſit eiuſdem generis, vel ſpeciei, vt cum ignis ab igne, & homo ab homine gignitur, aut ſaltem aliquo alio modo ſit actu, vt cum dutum fit a non duro, verum etiam ex Theophraſto intelligitur qui *in lib. 3. nat.* Simplicio *in lib. 8. Phyſ. com.* 45. referente ea, quæ fiũt, ſic fuit partitus, vt alia generentur a ſimili, veluti cum homo fit ab homine, & calidum a calido; alia à contrario, vti fulmina, & fulgura, quæ fiunt ab aeris frigiditate in vnum cogente, & inflammãte calidum, quod eſt in aere, & alia ab eo, quod eſt actu, ſicut vibex fit a flagello, quod eſt actu, vimque habet vibicis efficiendi, quodque ei, quod fit, non eſt ſimile, nec contrarium, & quæ fiunt a Sole, qui ijs, quæ a ſe fiunt, nec ſimilis eſt, nec contrarius. Secundum argumentum refutatur, quia cælum non tenet locum ſuperum, cui contrarius eſt locus inferus, nam locus hic ſuperus, cum ſit is, ad quem leuia corpora ſua natuar feruntur, non in cælo, ſed infra celum poſitus eſt. Poſtremum argumentum, quod difficile ſemper eſt habitum, cum Alexandro, & Simplicio *in com. lib. 8. Phyſ.* hoc modo eſt tollendum. Virtus finita duplex eſt, vna eſt, qua id, cuius eſt, aptè natum eſt actionẽ finitam ex ſe edere, vel finitam paſſionem accipere, ſiue finitè agere, vel finitè pati, altera eſt, qua quippiam conſtat, & permannet tempore finito. Quibus eſt data virtus, temporis finiti, hoc eſt, quæcunque habent vim, qua certo, ſtatutoque tẽpore poſſunt manere, nec vltra id queunt ſe tueri, atque manere,

Enunciatũ Quicquid fit, id fit à ſimili, in quib⁹ cauſſis audiendum.

Alexãder.

Omnia, quæ fiunt, nõ fiunt a ſimilibus.

Theophraſtus.

Eorũ, quæ fiunt, partitio ex Theophraſto.

Ad ſecũdũ

Ad tertiũ.

Virtus finita duplex.

E hæc

Digitized by Google

hæc omnia nō ſunt ſine ortu, & interitu, quibus verò tributa eſt virtus finita in modo agendi, aut patiendi, ea non oportet vt aliquando habuerint ortum, & aliquando interitum ſint acceptura, huius autem generis eſt virtus cæli finita. Cæterum illud eſt attendendum, quod licet cælum, quia habet virtutem hoc modo finitam, nō ſit neceſſe interire; attamen quoniam eius natura ex alio pendet, (nam quorum vis quomodocunque eſt finita, ea omnia pendent ex eo, cuius vis eſt ſimpliciter infinita) ſi animo fingamus id non eſſe, ex quo pendet, nec ipſum manebit, verum nunquam interibit, quia nequit fieri, vt id non ſit, ex quo pendet. Itaque & huic argumento poſſumus occurrere dicentes hoc ennunciatum: Quod eſt virtutis finitæ, id omne poteſt interire, ſic eſſe accipiendum, vt vel intrinſecus, vel extrinſecus ſit capax interitus. Hoc autem intereſt inter id, quod intrinſecus, & id, quod extrinſecus eſt capax interitus, quod illud aliquando intereat, eſt neceſſe; hoc autem poteſt manere ſeculis ſempiternis, & maneat oportet, ſi illud, quo non exiſtente ipſum eſt interiturum, fuerit æternum, & immutabile: Id verò quoniam in cælum cadit, hoc licet ſit virtutis finitæ, ſeculis infinitis manebit, & nunquam interibit.

Quod eſt virtutis finitæ, id omne pōt interire, vt accipiēdum.

Virtus infinita bipartito diuiditur.

Cum aſſeueratur vires infinitas finitæ magnitudini ab Ariſtotele ademptas fuiſſe, reſpondetur virtutem infinitam bipartito diuidi, aliamque eſſe totam ſimul in ſeſe collectam, atque impartibilem, & aliunde non pendētē, cuiuſmodi eſt Dei vis infinita, quæ verè, ac propriè, id eſt ſimpliciter & per ſe infinita dicitur, & aliam fluentem ex infinitiſque partibus conſtantem, quarum altera alteram ſequitur abſque vlla intermiſſione in infinitum, quæ non ſimpliciter eſt infinita, & ex ſe conſtans, ſed aliquo pacto, & aliunde pendēs, nam cum non exiſtat, niſi ſuarum partium permanſione, atque harum vnaquæque ſit finita atque deficiens; non ſimpliciter, ſed aliquo pacto infinita eſt exiſtimanda, neque ſibi ſatis eſt, ſed poſtulat cauſſam ſuperiorem, ex qua fluit, & pendet, priorem fuiſſe ab Ariſtotele eiectam è magnitudine, minimè poſteriorem, ad quam reuocatur illa, qua cælū fuit ab Ariſtotele donatum.

Reſponſio ad argumētū ſūptū ex ſtellis, quæ oriri & interire ſunt viſæ.

Reſtat illud, quod extremo loco fuit a nobis adiunctum, in quo id quod ſcriptum à Varrone fuit a D. Auguſtino memoratum, adeo eſt antiquum, vt ſua antiquitate labatur, & ſi concedatur, non ſecus erit explicandum, atque alterum ex ijs ſtellis deſumptum, quæ annis ſuperioribus, cum antè non apparuiſſent, uiſæ ſunt in octauo ſtellarum fixarum orbe. Harum ſtellarum illa, quæ primum apparuit iuxta Caſſiopeiæ imaginem, omnium eruditorum animos multum fatigauit.

Opinio quorundā Ariſtotelicorum.

Accuſatio

Nonnulli Ariſtotelicæ doctrinæ ſtudioſi dixerunt hinc ſtellam non in octaua ſphæra, ſed in ſuprema huius orbis caduci parte fuiſſe generatam. Hos accuſant

Aſtronomi,

Digitized by Google

Aſtronomi, qui cum hanc ſtellam ex varijs, & inter ſe magnopere diſtantibus regionibus diligenter obſeruaſſent, nullam habuerunt aſpectus varietatem, omneſque illam in eadem cæli parte vno animi conſenſu collocarunt, & verò quæcunque infra Lunam poſita ſunt, ob vicinitatem nequeũt ex varijs, remotiſque regionibus conſpici abſque aſpectus varitate; huius argumento eſt Luna, quam omnes Aſtronomi teſtã tur, quia nobis eſt propinqua, non paruam ſubire aſpectus varietatem, ſi ex locis inter ſe multum diſtantibus conſpiciatur. Voluerunt alij Ariſtotelis quoque doctrinæ addicti hanc ſtella nou fuiſſe nouam, ſed vel vnã ex tredecim ſtellis Caſſiopeiæ imaginem conficientibus, quæ viſa eſt illam habere magnitudinem ob exhalationem in aeris regione ſitam, atque inter eam, & noſtrum aſpectum interiectam, vel ex earum numero, quæ quod plerunque ob paruitatem lateant, ab Aſtronomis negliguntur, quę propter exhalationem interpoſitam ſic facta eſt aſpectabilis, vt ab imperita hominum multitudine noua ſtella iudicaretur.

Opinio aliorum Ariſtotelicorum.

Hos quoque caſtigant Aſtronomi, quoniam noua hæc ſtella ab omnibus nõ fuiſſet viſa in eadem cæli parte, quòd nequeat fieri, vt ab ijs, qui diuerſas, ac inter ſe diſtantes regiones incolunt, per eãdem exhalationem in aere exiſtentem cernatur cælum innumerabilibus ſtellis diſtinctum abſque vlla aſpectus varietate. Adiungunt hanc nouam ſtellam non fuiſſe in earum numero, ex quibus exiſtit Caſſiopeiæ imago, illud perſuadere, quod eo tempore, quo apparuit, ſtellæ omnes Caſſiopeiam conficientes fuerunt numeratę.

Caſtigatio.

Denique alij, cum quibus conſentiunt Conimbricenſes *in lib. 1. de cælo cap. 3. quæſt. 1. art. 4.* ſcripſerunt hanc nouam ſtellam non vi naturæ, ſed occulto Dei conſilio in ſtellarum inerrantium orbe fuiſſe procreatam, non enim Deo, qui omnia ex nihilo fecit, ademptãm eſſe facultatem nouas ſtellas efficiendi.

Opinio Conimbricenſium.

Hi non æquo ſatis animo audiuntur a quibuſdam, qui turpe eſse exiſtimant Deum inducere abſque vlla neceſſitate miracula patrantem: Nec eiſdem præterea aures præbentur ab Ariſtotelicis, quibus indignum videtur cauſſis naturæ neglectis Dei affectionem implorare, huncque in corporeis rebus gignendis ſine vllã cauſsarum ſecundarum efficientia occupare.

Refutatio.

Plane in re difficili verſamur, verum non eſt, vt propter has ſtellas nouas deſeramus Ariſtotelem, qui in hoc dogmate de natura cæli omnibus Scholaſticæ Theologiæ magiſtris viris doctiſſimis fuit probatus. Quid Ariſtotelice ſentiendum ſit de ijs nouis ſtellis, ex ijs intelligi poſſe arbitror, quæ traduntur in lib. 1. meteor. cap. de cometis. Hoc in loco Ariſtoteles ſcribit ſe conſpexiſse vnam ex iis ſtellis, quæ ſunt in canis coxa, comam aſſumpſiſse, & ex cometis alios ſidus aliquod comitari, viderique eodem, quo illud, motu cieri, qui in loco

Opinio propria.

ſupero cælis finitimo accẽduntur, & alios per ſe fieri, nec vllum ſi-
dus ſequi, quorum generatio eſt in loco infero, & a cælis remoto.
Cum hoc in loco Ariſtoteles canis coxæ tribuat ſtellas, atq; Aſtro-
nomi vnam ſolam intueantur, quæ coxam ſiniſtram conficit, par
eſt, vt is earum quoque ſtellarum habuerit rationem, quæ propter
paruitatem ab his negliguntur. In harum verò numero fuiſſe exiſti
mo has nouas ſtellas, quæ non ſecus, ac illa canis ſtellas, quæ non in
proprio orbe, ſed in igne comam aſſumpſit ex accenſo habitu, qui
ſe ei comitem adiunxit, eiuſque motu agi videbatur, ſibi aſciuerunt
magnitudinem non in propria ſphæra ſed in ſuprema ignis parte
cælo finitima ex inflammato halitu, qui ſubiectus eius videbatur
eas ſequi, vnaque cum eis circunferri. Atque id quidem non caret
Stellæ ex halitibus non poſsũt in cælis gigni. probabilitate, quoniam ſi quoque conceſſum fuerit halitibus, qui
ex his locis attolluntur, tranſitum à cælo præberi, tanta tamen ha-
litus copia non poteſt in altiſſimam ſtellarum fixarum regionem
aſcendere, quæ accenſa ſit aſpectabilis, quoniã ſtellas, quæ in ſphæ-
ra non errante poſitæ eius ſunt magnitudinis, qua hæ ſtellæ recens
genitæ videbantur præditæ, perſuaſum eſt Aſtronomis eſſe tota
terra, totaque aqua in vnum coniunctis multò maiores, & non eſt
exiſtimandum à terra, & ab aqua tantam halituum copiam ſuppe-
ditari, ex qua procreetur ſtella, quæ ſit eis magnitudine ſuperior.
Clauis Obiectiones. Verum aduerſus hoc inuehitur Clauius in com. in ſphæram, duo-
buſque argumentis conatur perſuadere illã nouam ſtellam iuxta
Caſſiopeiam, huiuſque ſtellæ magnitudinem non in regione ele-
Prima. mentali, ſed in firmamento extitiſſe: Vnum eſt, quia nullã habuit
aſpectus varietatem, qua non caruiſſet, ſi infra cælum in regione
Altera. elementali ſedem obtinuiſſet: Alterum, quia conſtantem motum,
eundemque ſitum inter alias ſtellas fixas toto illo tempore, quo
apparuit, non potuiſſet retinere. Hæc non ſunt huiuſmodi, vt nos
pellant è ſententia, nam quod loco poſteriore affertur, id ſi habe-
ret vim, eodem poſſet confici comam, quam ſcribit Ariſtoteles a
canis coxa fuiſſe aſſumptam, non in regione elementali, ſed in fir-
mamento extitiſſe, & cometas, qui aliquod ſidus comitantur, eiuſ-
Ad ſecundam. que motu videntur conuerti, in huius ſideris orbe, & non in loco
huius mundi elementalis ſupero excitari. Itaque ad hoc reſponden-
dum eſt, cum ſupera pars ignis cælo propinqua motu cæli ſic in or-
bem, rapiatur, vt pari celeritate ab ortu in occaſum conuertatur,
non eſſe, vt miremur, ſi halitus in hac ignis parte accenſus eundẽ
curſum, eundemque ſitum ſemper retinuit. De altero dicendum
Ad primã eſt hunc halitum ſic fuiſſe cælo finitimum, vt propter eius a terris
diſtantiam nulla aſpectus varietas hanc ſtellam intuentibus fuerit
facta, quos oportebat, vt hanc haberent, maioribus locorum inter-
uallis

Digitized by Google

uallis eſse diſiunctos. Quod ſi contendat aduerſarius diſtantiam, qua Germania, Hiſpania, & Italia inter ſe diſtant, eſse huius modi, vt pariat aſpectus varietatem, ei reſiſtemus aſseuerantes, quod ſi harum regionum incolæ eodem prorſus tempore in hanc ſtellã oculos conieciſsent, planè oportuiſset eorum aſpectum eſse varietati coniunctum, ſed quoniam diuerſis temporibus in eius inſpectione ſunt verſati, quando quidem nox non eodem tempore his oritur, & occidit, atque iis temporibus, quibus quæ vnis eſt cæli poſitura, eadem eſt aliis, factum eſt, vt hanc ſtellam inſpicientes quamquam locorum interuallis magnopere diſiuncti nullam habuerint in aſpectu diuerſitatem. His ſi non probè ſibi factum ſatis eſse putent Aſtronomi, hi monendi ſunt, quod ſi Hipparcus & Ptolemæus, vt tuerentur ea, quæ in ſtellis apparent, reiectis Callipi & Eudoxi homocentricis epiciclos, & eccenetricos excogitarunt, & ſi poſt hos Arabes & Latini ob alia, quæ in ſtellis obſeruarunt, his non contenti cælum à Chaldæis, Aegyptijs, Græciſque veteribus in octo ſphæras diſtributum duabus ſphæris augere voluerunt, & ſi denique Nicolaus Copernicus intelligens ex iis, quæ à vetuſtioribus fuerunt poſita, non prorſus rectè explicari rationem eorum omnium, quæ in ſtellis cernuntur, obſoletam Nicetæ & Ariſtarchi opinionem de motu terræ innouauit, ſphæramque vndecimam, in qua poſteriores habuit ſectatores, adiiciendam eſse putauit, nullum planè erit abſurdum, ſi dixerimus has ſtellas non fuiſse his ſeculis generatas, ſed cum in cælo inſitæ eſsent, diu delituiſse, & noſtris temporibus ſeſe in conſpectum dediſse, & a conſpectu ſeſe abduxiſse, atque huius cauſsam hominibus nondum eſse cognitam, & fortaſse alias ſphæras eſse adiungendas, quarum motibus efficiatur, vt hę ſtellę, quæ in certa a Sole diſtantia conſpiciuntur, & in alia occultantur, (quippe quæ Lumen, quo ſub aſpectum veniunt, à Sole accipiunt) nunc ſint aſpectabiles, & nunc inaſpectabiles. Id ſanè improbabile, aut abſurdũ non fuit Phauorino philoſopho, & Alpatrago Aſtrologo ſatis celebri, quorum hic non dubitauit aſseuerare multos cæleſtes motus eſse hominibus incognitos, ille verò apud A. Gelliũ *in lib. 14. Noct. Atticarum cap.* 1. exiſtimauit præter ſtellas erraticas omnibus cognitas fieri poſse, vt aliæ ſint pari poteſtate præditæ, atque has non poſse eterni propter exuberantiam vel ſplendoris, vel altitudinis. Sed quicquid ſit de harum ſtellarũ natura, profectò indignum eſt propter id, de quo, vt ſit, & quibus ex cauſsis exiſtat, non leuis eſt controuerſia, tollere id, quod non contemnendis argumentis eſt confirmatum, & in quo magnus eſt virorum præſtantiſſimorum conſenſus. Ac ſanè ſi ex tribus, pauciſque ſtellis licet concludere cæli naturam eſse mortalem, cur ex innumerabilibus,

Hipparcus.
Ptolemæus.
Callipus.
Eudoxus.
Nicolaus Copernicus.
Nicetas.
Ariſtarchus.
Phauorinus.
Alpatragus.

bus, in quibus nulla vnquam toto præterito tempore facta eſt mutatio in ſubſtantia, non poterit multò conuenientius colligi cælũ nullã in ſubſtantia accipere mutationẽ? quod.n.à plurimis,& innumerabilib⁹ indicatur, id & fide maiore dignũ,& multò probabilius eſt exiſtimãdum, ac ſit illud, quod a paucis, & a tribus ſignificatur.

Cælum eſſe ignem quorum ſit opinio, & quibus argumentis confirmetur. Cap. X.

QVamuis ex ſuperiore diſputatione perſpicuum ſit cælum ſic eſſe corpus ſimplex, vt in natura diuerſum ſit ab iis corporibus ſimplicibus, quæ leuia, aut grauia latione recta feruntur, attamen quoniam nonnulli non obſcuri penitus nominis putarunt cælum eſſe ignem, atque hoc placitum ex iis, quæ ab Ariſtoteles poſita ſunt, colligi poſſe neque contrarium fuiſſe ab eo neceſſariis argumentis coufectum, hac de re inſtituenda eſt præcipua diſputatio, atque inquirendum, nunquid cælum ſit, poſſit ve ignis eſſe. Plerique Platonicorum cum obſeruaſſent Platonem in Timeo ignẽ, & terram extremas mundi partes appellare, atque vbi Moſayca myſteria habent in principio Deum cælum,& terram feciſſe, Platonem, quem Numenius apud Euſebium *in lib.9.de præparat.euang. cap.3.* vocauit Moyſem atticè loquentem, ſcribere mundi opificem terram,& ignem primum condidiſſe, de illius ſententia ſtatuerunt cælum eſſe ignem. Hi verò ſunt inter ſe diuiſi; nam alii voluerunt ignem hunc cæleſtem eſſe illius naturæ, cuius eſt ignis elementalis, atque in horum numero videtur Plotinus, qui *in lib. de cælo cap. 6.* ſcribit terrenas animantes ſic eſſe compoſitas, vt in his quatuor elementa inſint, at in igne tanto hoc eſt in cælo abſurdum eſſe aquam reperiri, aerem verò, ſi ipſe illic ſit, ſubitò in ignis naturam mutatum iri, terram autem in cælum attollere contra naturam eſſe, & contrarium iis, quæ in naturæ ordine diſponuntur, nulla enim ratione videri probabile, vt celerrimus cæleſtium curſus grauia, terrenaque corpora ferat,& à terra opaca ignis cæleſtis fulgor impediatur, & *in cap.7.* confirmat hoc dogma teſtimonio Platonis, qui cum in Timæo dicat Deum accendiſſe lumen circa ſecundam a terra ſphæram, Solem ſignificauit, quem alibi nominauit ſplendidiſſimum, omnemque à nobis opinionem abegit ſuſpicantem aliquid illic eſſe præter ignem. Eadem poteſt videri Procli opinio in com. in Timæum, quamuis hic inconſtantiæ arguatur a Philopono, quia cælũ modo faciat corpus ſimplex, & ignem, modoque velit ex purioribus quatuor elementorum portionibus eſſe conflatum. D. Auguſtinus *in lib. 8. de Ciuit. Dei* eandem opinionẽ approbauit,

Platonem voluiſſe cælum eſſe ignem plerique Platonici ſenſerunt.

Numeni⁹. Plato Moyſes attice loquens.

Platonicorum diuiſio.

Plotinus.

Proclus.

D. Auſt.

Digitized by Google

approbauit, aſſeuerauitque clarum eſſe cæli locum fuiſſe igni a Platone tributum. Nec ab eadem videtur abhorrere Philo ſummus Platonicus, qui tradidit ſolē eſſe multæ flammæ cōpaginē. Alii, vt Simplicius *in com. lib. 1. de cælo*, ſentientes Platonem in cæli natura cum Ariſtotele conuenire voluerunt ignem cæleſtē diuerſum eſſe ab igne noſtrati, & cum à Platone tres ignis ſpecies fuerint poſitæ, quæ ſunt carbo, flamma, & lumen, ſtatuerunt cælum eſſe ignē, qui eſt lumen, quique non urit, ſed illuminando ſuauiter diem inuehit mundo, omniaque tuetur, quæcunque natura conſtant. Hoc dogma ex eo confirmarunt, quod Plato in Timæo quinque primas figuras quinque ſimplicibus corporibus mundum conſtituentibus accommodauerit, hincque ſignificauerit non eandem eſſe cæli, & ignis naturam huic, & illi diuerſam figuram tribuendo. Ego arbitror opinionem a Plotino, Proclo, D. Auguſtino poſitam ad Platonem magis accedere, quando quidem videam hunc in Timæo, & in Epinomide cælum tanquam ignem cognoſcere, cæleſtes animātes ex igne componere, atque ex ſolis quatuor ſimplicibus corporibus vniuerſum conſtituere: de quibus ne quis veſtrum ambigat, in medium prodeant Platonis verba in Timæo, quæ ſunt. Quoniam verò mundus corporeus, ſpectabiliſque, & tractabilis erat futurus, ac ſine igne videri nihil poteſt, nihilque ſine ſolido tangi, & ſolidum abſque terra nihil, ideo in operis eius exordio Deus ignem primò, terramque creauit. Sed duo ſola abſque tertio quodam commodè cohærere non poſſunt, mediumque aliquod vinculum vtrunque deſiderat, vinculorū verò id eſt aptiſſimum, atque pulcherrimum quod ex ſe, & ex iis, quę adſtringit, quam maximè vnum efficit, hoc maxima proportio, ratioque alternæ comparationis aſſequitur, quando enim in tribus numeris, aut molibus, aut viribus medium ita ſe habet ad poſtremum, vt primum ad medium, viciſſimque vt poſtremum cum medio, ita medium cum primo congruit, tūc quod medium eſt, & primum fit, & poſtremum, poſtremum quoque, & primum media fiunt: Ita neceſſitas cogit, vt omnia, quæ ſic deuincta fuerint, eadem inter ſe ſint. Eadem verò cum facta ſint, efficitur, vt omnia ſint vnum: Quod ſi vniuerſi corpus latitudinem habere debuiſſet, nullam verò profunditatem, vnum ſanè tum ad ſeipsū tum ad extrema vincienda interiectum medium ſuffeciſſet, ſed cū ſoliditatem mundus requireret, ſolida verò non vno, ſed duobus ſemper mediis copulentur, inter ignem, & terram Deus aerem, aquamque locauit, eaque inter ſe inuicē, quoad fieri potuit, comparauit, ut quemadmodum ignis ad aerem, ita aer ad aquam, & vt aer ad aquam, ſic aqua ad terram congruè conferatur. Quia ex coniunctione ita conſtitutus eſt mūdus, ut aſpici, tangique poſſit. Propterea

Philo.

Simplici.

Ignis ſpecies.

Iudicium authoris.

præterea ex huius modi rebus numero quatuor mūdi corpus conflatum eſt ea connexum comparatione, qua dixi. Ex quo ſe ipſum amicitia concordi complectitur, atque ita aptè cohæret, vt nequeat diſſolui vllo modo, niſi ab eodem, a quo eſt colligatum. Quatuor igitur earum rerum quamlibet integram mundus accipit; ex omni quippe igne, aere, aqua, terra ipſius faber ita ipſum compoſuit, vt nullam cuiuſquam iſtorum partē, aut vim extra relinqueret. Hæc Plato, ex quibus nemo fuerit, qui non videat eum componere vniuerſum ex ſolis quatuor elementis, & quinto ſimplici corpori nullum locum relinquere, quocirca perſpicuè ſequitur eum voluiſſe non aliam eſse cæli, & ignis naturam. Nec verò neceſsariè concluditur ex eo, quod ignis cæleſtis diuerſæ ſit, quam carbo, & flammæ naturæ, ipſum ab igne elementali differre, quoniam & is, qui ponitur a Peripateticis in lunæ concauitate contineri, non eſt aut
Mundus cæli nomine ſignificatus. carbo, aut flammū. Nec præterea quiſpiam commoueatur, quod Plato ſcribat cælum ex quatuor elementis conſtare, nam cæli nomine ſignificat mundum, quem veteres hoc nomine appellare cōſueuerunt. Nec rurſus cuipiam imponant aduerſarii, dum ſcribūt quinque primas figuras quinque ſimplicibus corporibus a Platone impertiri, quoniam hic non cælum, aut aliud ſimplex corpus quinta figura exornat, ſed totum vniuerſum, idque eius verba non obſcurè declarant, quæ ſunt. Eſt & quinta quædam compoſitio, qua Deus ad vniuerſi conſtitutionem eſt vſus, atque deſcripſit, & figurauit. Cum his conſentiunt ea, quæ à Plutarcho *in lib. 2. de placitis*
Plutarch. *Philoſophorum cap. 6.* ſunt ſcripta hunc in modum: Pythagoras, cum ſint quinque formæ ſolidorum corporum (Mathematica etiā
Pythagoras hæc vocatur) è cubo ortam ait terram, e pyramide ignem, ex octo baſium corpore aerem, ex viginti baſium forma aquā, è duodecim baſium ſolido globum vniuerſi: Plato in his quoque Pythagoram imitatur. Eſt igitur Platonis opinio cælum eſſe ignem elementalē
Aegyptij Baſilius. D. Amb. puriſſimum, atque ſynceriſſimum, quæ opinio, ſi credēdum eſt Alberto Magno *in lib. 1. de cælo tract. 1. cap. 4.* ex Aegyptiis manauit eamque amplexi ſunt Baſilius *in hom. 3. Hexam.* D. Ambroſius *in lib. 2. Hexam.* & alii noſtræ religionis proceres Platonis
Primū argumentū. doctrinæ nimis addicti. Hoc placitum ſui amatores his confirmāt. Et primum huius argumento eſſe poteſt conſenſus Magorū, Chaldæorum, Aegyptiorum, veterumque omnium Græcorum, qui cæ-
Anaxagoras. lum eſſe ignem ſenſerunt. Hinc Anaxagoras nomen ætheris, quo
Aether unde dictus. cælum intelligitur, duxit ἀπὸ τοῦ αἴθειν, quod eſt vrere, putauitque ætherem vehementi conuerſione lapides è terra abripuiſſe, atque hos adurendo aſtra procreaſſe, & alii Platone authore in Cra
Plato. tyllo cælum hoc nomine appellatum eſſe voluerunt, quia ἀεὶ θεῖ περὶ ἀέρα ῥέον

ἀεῤῥέων, hoc eſt, ſemper currit circa aerem fluens, ignem verò fluere circa aerem nemo non dat, qui in Ariſtotelis doctrina ſit verſatus. Deinde lumen ſic ignem comitatur, vt hic ab illo non poſſit diſiungi, nā finitur ab Ariſtotele *in lib. 2. de anima 69.* ignis præſentia in perſpicuo: cęlum igitur, quod ex ſe maximum lumen demittit, eſt ignis ſimpliciſſimus. Ad hæc ſi cęlum non ſit ignis, qua ratione lumen fluens à ſideribus non calidis poterit efficere caliditatem? lumen enim putandum eſt parere calorem, quia fluit à corpore calido. Præterea, vt Philoponus argumentatur caſtigans Ariſtotelem apud Simplicium in com. lib. 1. de cęlo, cœlum eſt corpus leuiſſimum; ergo eſt ignis. Cōſegquutio nullam habet difficultatē, quando quidem ignis natura in ſumma leuitate conſiſtit. Aſſūptio intelligitur ex definitione leuiſſimi tradita ab Ariſtotele *in li. 1. de cælo. 17. quæ eſt*; leuiſſimum eſt id, quod omnibus ſupereminet, quæ curſum feruntur; & cęlum ſupereminet omnibus, quæ ſurſum mouentur. Rurſus (& eſt quoque Philoponi argumentum) loci differentiæ, & contrarietates ex Ariſtotele *in lib. 4. Phyſ.* in tractatione de loco, ſunt ſurſum, ac deorſum, quapropter neceſſe eſt, quodcunque corpus in loco exiſtit, id aut ſurſum, aut deorſū poni, aut collocari: ergo cum cælum ſit in loco, neq. deorſum ſit poſitū, id quod eſt ſurſum obtinebit: & quod relinquitur, erit leuitatis particeps, ignisq; natura donatum. Cælum eſſe in loco clarè cernitur in ſuis omnibus ſphæris prima excepta, quæ ſic conſtitutę ſunt, vt inferior ſit ab vltimo ſuperioris ſphæræ cōtinentis termino comprehenſa. Huius dogmatis Bernardinus Teleſius cum eſſet approbator, *in lib. 2. de rerum natura cap. 18.* ex ijs, quæ poſita ſunt ab Ariſtotele, conatur perſuadere cælū eſſe igneum, vt hic appareat Ariſtotelem e cęlo calorem eijcientem ſuarum poſitionum oblitum eſſe. At primum inquit non ſolum mixta corpora quæuis commota, agitataue calorem aſſumere, igniriq., ſed etiam primorum corporum calida quæ ſunt à motu, frigida verò ab immobilitate fieri Ariſtoteli viſum eſſe *in lib. 1. meteor cap. 4.* ergo cælum, quod celerrimo, & nunquam ceſſante motu agitur, aſſumere calorem, & calidum fieri, quinimmo iamdiu factum eſſe exiſtimandum fuit Ariſtoteli; eoque promptius id ab eo fuit colligēdum, qui attribuit frigori grauitatem, & immobilitatem, calori leuitatem, & mobilitatem. Amplius cum ipſemet Ariſtoteles *in lib. 2. poſt nat. 4.* ſtatuerit in omni ſerie ad vnum primum eſſe veniendum, quod cum tale ſua natura ſit, cur cætera, quæ in eadem ſerie continentur, talia efficiantur cauſſa exiſtat, planè in calidorum ſerie ad vnum primum erit veniendum, quod ſuapte natura calidum cum ſit, cur cætera ſint calida, vimque habeant calefaciendi, cauſſa ſit, id verò eſſe cæ-

Secundum

Lumen quid.

Tertium.

Quartum.

Leuiſſimū quid.

Quintum.

Bernardinus Teleſius ex quibus Ariſtotelicæ doct. locis conatus ſit perſuadere cælum eſſe ignem.

Primum argumentum.

Secundum

lum neceſse eſt ponere, quoniam neque ignis, neque aer poteſt poni ab Ariſtotele, qui horum neutrum ſummè propria natura calidum eſse exiſtimat, ſed vtrumque à cæli, Solisque motu circumactum, contritumque accendi, & igniri. Inſuper veluti circumlatio data eſt cælo ab Ariſtotele, quia nobiliſſimus motus nobiliſſimo corpori conuenit, ſic itidem, & calor in cælo fuit ponendus, quòd corpori præſtantiſſimo qualitas præſtantiſſima ſit tribuenda: eorũ etiam magis, quod quæ calorem præcipuè committantur, & quæ à calore exuperante fiunt manifeſtè, huncque perpetuò ſectantur, tenuitas, albedo, & lux cælo ineſse ſpectentur. Demum ab Ariſtotele ponendum fuit celum eſse calidum, quoniam modus, quo à Sole non calido fieri calorem decernit *in l. 1. metcor. cap.* 4. non lõgè modò abſurdiſſimus eſt, & qui nulla concipi queat imaginatione, verum etiam nec ipſi quidem Ariſtoteli ſatis placuiſse videtur, quippe qui interdum, vbi rem proximius intuetur, ipſum dãnet: Vult enim Ariſtoteles calorem, qui aſſiduè manat à Sole, non ab eius natura, & ſubſtantia fluere, ſed ab eius fieri motu, à quo aer ſublunaris commoueatur, conteratur, diuellatur, ſegregatur, & ad terram vſque deiciatur: Hunc modum Ariſtoteles manifeſtè reſpuit, dum alibi à Solis luce, à Solis ſubſtantia, & ab ipſo Sole fieri calorem ponit. His Tæleſius exagitat Ariſtotelem, quæ nunquid conficiant Ariſtotelẽ ſuorum decretorum immemorem pugnantia dicere, cogique ponere cælum eſse igneum, ſummeque calidum paulò poſt erit perſpicuum.

Tertium. *Quartum*

Cælum non eſſe ignem quibus argumentis conficiatur ab Ariſtotele. Cap. X I.

ARiſtoteles, ac Peripatetici contrariam opinionem approbãt, ac tuentur, hanc que ſe nec temere approbare, nec iniuria tueri his argumentis conficiunt: Quæcunque ſimplicia corpora diuerſis motibus ſua natura cientur, eorum naturæ ſunt diuerſæ: atqui cælum ſuapte natura in orbem conuertitur, & ignis ſuam naturam recto motu fertur ad ſublime: cælũ igitur, & ignis ſunt corpora diuerſa, naturasque diſsimiles obtinent. Propterea omnes homines tam Græci, quàm Barbari, qui Deos eſse putarũt, his tribuerunt cælum tanquam propriam ſedem, in qua cõtineretur, eo adducti quod locus immortalis Dijs immortalibus eſt concedendus: at verò natura ignis eſt maximè fragilis, & caduca: non igitur hic erit cælum, ſedeſque Deorum immortalium ſempiterna. Adhæc ſi cælum eſset ignis, corpus, quod verſatur in orbem, inſitam haberet leuitatem, id autem cùm ſit abſonũ, cælum planè non eſt ignis.

Primum argumentum. *Secundum* *Tertium.*

Connexum

Connexum eſt euidens. Aſſumptum perſuadetur: Si corpus, quod circulo fertur, inſitam leuitatem, ſua natura à medio, & ad loca ſupera moueretur, nam leue finitur id, quod natum eſt a medio moueri, id eſt, cui innata eſt propenſio, per quam à medio mouetur ſurſum pergendo: Sed fieri non poteſt, vt cælum ſua natura pectat locum ſuperiorem, quippe quod ſua natura in orbem agatur: & vnius ſimplicis corporis vnus eſt motus ſecũdum naturam: non igitur cælum inſitam habet leuitatem. Amplius ſi cælum eſset ignis, hic moueretur in orbem: id autem nequit fieri, quod ita declaratur: Motus omnis vel eſt ſecundum naturam, vel contra naturam: atqui ignis neque ſua natura, neque contra naturam poteſt in orbem moueri: nullo igitur modo ignis poteſt circulo ferri. Ignis ſua natura non poteſt circulari motu cieri, quia motu recto ad locum ſuperum ſua natura mouetur, & vni corpori ſimplici vnus motus ſimplex eſt à natura impertitus. Idem præterea nequit fieri, vt contra naturam circulo agatur, quia cum motus cõtra naturam ſit aduerſus motui ſecũdum naturam. cuius circularis motus eſset contrarius motui recto, quo is ſua natura mouetur in ſublime: id autem non eſt ponendum, quoniam vnum vni eſt contrarium, & motus, quibus infera, ſuperaque loca petuntur, nemo non fatetur eſse inter ſe contrarios. Præterea ſi cælum eſset ignis, conficitur, vt motus continuus atque perpetuus ſit violẽtus, & contra naturam; id autem non eſse ferendum argumento eſt, q; in omnibus, quæ ſunt contra naturam, hæc citiſſime corrumpi, perireque cernantur. Connexum declaratur, quoniam ſolus cęli motus eſt continuus, atque perennis, quapropter cũ motus omnis aut fluat à natura, aut ſit contra naturam: atque ignis ſua natura non poſsit in orbe moueri, vt repoſitum eſt, planè ſi cælum fuerit ignis, illius motus erit præter naturam, & quod relinquitur, continuus, perenniſque motus erit violentus, contraque naturam. Atque hæc ſunt argumenta, quæ ex ijs eruuntur, quæ *in lib. 1. de cælo* tradita ſunt ab Ariſtotele naturam cæli inueſtigante. Idem *in lib. 1. meteor. cap. 3.* oſtendit cælum non eſse igneum hoc argumento: Si cęlum ſit ignis, deſtruatur, eſt neceſse, communis proportionis æqualitas, in elementis, quæ ſic eſt neceſsaria, vt ea ſublata non poſſint diu ſeruari, manereque incolumia: Enimverò ſi vnum elemẽtum alia excederet vi, ac facultate, hoc cætera elementa abſumeret, in naturamque propriam conuerteret; qua de re iampridem hæc eſsent conſumpta. Conſequutio confirmatur: Cum ſidera, corporaque cœleſtia habeant maximam magnitudinem, longeque admultum ſuperent aeris, aquæ, & terrę molẽ, ſanè ſi ea eſsent ignea, ignis longo, multoque exceſsu ſuperaret reliqua elementa, atque

Quartum (margin, beside "Amplius ſi cælum eſset ignis")

Quintum. (margin, beside "Præterea ſi cælum eſset ignis")

Sextum. (margin, beside "Idem in lib. 1. meteor.")

deſtrueretur illa certa definitaq; ratio, & æqualitas uirtutis, quæ in elementis neceſſariè poſtulatur, quò diu maneant, ſuamq; tueâtur incolumitatem. Hac verò virtutis æqualitate ſublata oporteret iampridem quoduis reliquorum elementorum interijſſe, q; ignis ſuis quali atibus pugnat aduerſus reliqua elementa aerem, aquam, & terram, magn q; præditus ſit vi agêdi. Rurſus poſt paulò *in cap. 4. eiuſdem libri.* cælum non eſſe ignem duobus ſignis ſuadetur; vnum eſt, quoniam tranſcurſus, ſeu traiectiones ſtellarum in cælo nunquam fiunt, cùm tamen ſtellæ huiuſmodi tranſcurrentes, atq; diſſilientes accendi magis eo in loco, ſi igneus eſſet, ob motionis celeritatem debuiſſent: alterum, quia Sol, cui calorem, qui in hiſce locis inferis gignitur, maximè acceptum quærimus, hácq; ob cauſam calidus in primis exiſtimatur, igneus nobis non appaiet, ſed cãdidus, qui tamen ſi ex igne conſtaret, igneus videretur. Et hæc Ariſtoteles.

Septimũ.

Argumentorum Ariſtotelicorum accuſatio, & defenſio.
Cap. XII.

ARgumenta Ariſtotelica cùm aduerſarijs cognita eſſent, hi, vt ea conuellerent, ſuum ſtudium poſuerunt. Primum argumentum Philoponus Simplicio referente *in com. lib. 1. de cælo.* ita declinauit: ſi quæ differunt natura, contingit moueri eodem motu; nihil ſanè prohibet, quæ non mouentur eodem motu, in natura conuenire: ergo neceſſariè non concluditur cælum habere naturã ab ignea natura diuerſam, quòd motione diuerſa cieatur. Aſſumptum intelligitur ex elementis, nam terra, & aqua feruntur ad mèdium, quorum elementorum naturæ ſunt inter ſe aduerſæ, terra enim eſt ſicca, & aqua humida: & ignis, ac aer eadem latione mouentur à medio, quorum non eſt eadem, ſimiliſq; natura, nam aer eſt humidus, & ignis ſiccus. Hic nihil proficit, falſoq; aſſumit, quę naturas habent diuerſas, fieri poſſe, vt ſua natura eodem motu agãtur, nam cùm natura ſit principium, quo corpus in quo ineſt, aptè natum eſt motu cieri, & motus ſit proprietas, quæ ſequitur naturã, neceſſe eſt, quorum naturę ſunt diuerſæ, ea diuerſis motionibus ſua natura cieri. Neque contrarium ex elementis intelligitur, quoniã his eatenus tribuitur motus, nõ quatenus affecta ſunt qualitatibus patibilibus, ſed quatenus grauia, leuiaq; ſunt: quapropter terra, & aqua, ignis, & aer quamuis qualitatibus patibilibus inter ſe diſcordent, concordant tamen illa quidem in grauitate, & hæc in leuitate. Neque exiſtimandum eſt terræ, & aquæ naturas eſſe diuerſas, quia illa eſt magis, & hæc minus grauis; ac prætetea ignem, & aerẽ habere naturas diſſimiles, quia hic vincatur, & ille vincat leuitate, quoniam diſcrimen in eo, quod eſt magis, & minus poſitum non

Reſponſio ad primũ argumẽtũ Philopon.

Defenſio.

non conſtituit ſpeciei, & naturæ varietatē, quamquam cauſſa ſit, cur hæc corpora cognata non eodē modo ſint locata, ſiquidē terra, quæ eſt grauiſſima, ſubſtat aquæ, & ignis, qui eſt leuiſſimus, aeri ſupereminet.

Reſponſio ad ſecūdū Plotinus.

Ad ſecundum reſpondet Plotinus. *in lib. de cælo c. 4.* inquiens ignem ſibi aſciſcere naturā immortalē munere animæ ſibi aſſidentis, & beneficio regionis, in qua poſitus longè abeſt ab iniuria, & detrimento.

Arabes.

Idem nonnullis Arabum fuit approbatum, qui tradiderūt corpus humanum conſequi poſſe immortalitatem, ſi eius anima ſic fuerit affecta, vt corpori non ſecus imperet, ac cælo anima cæleſtis, nam animæ eſt ſeruare, ac tueri, & animæ immortalis perpetuam & nunquā deficientē tribuere incolumitatē.

Defenſio. Caducum ſua natura non poteſt cōſequi alterius munere perpetuitatem.

His fides non eſt habenda, quoniam quod ſua natura caducum eſt, id alterius munere non poteſt conſequi ſempiternitatem, nam caducitas, & perpetuitas ſic rei naturam comitātur, vt ex altera in alteram non poſſit fieri mutatio ſalua, & integra manente natura. Etſi caducum habet poteſtatē naturalē ad interitum excipiendū, planè ſi hæc poteſtas, ne ſit fruſtra, in actum trāsferatur, quis hinc non concludat futurum eſſe, vt idē ſimul ſit, & non ſit, ſi quod ſua natura caducum eſt, id alterius munere particeps fiat ſempiternitatis? Et ſi quæcumque natura conſtāt, ſic ſunt affecta, vt melius inſtitui non potuerint, quis non ſentiat, ſi cælū donandum eſt immortalitate, multò decētius eſſe hoc ponere ſua natura immortale, quā ſua natura caducum, & alterius vi ſempiternū?

Reſponſio ad tertium Philopon.

Tertij argumenti vim putauit Philoponus his poſſe eleuari. Hac argumentatione cōficitur ab Ariſtotele cælū nō eſſe leuitatis, aut grauitatis particeps, quia non mouetur recta latione: verum ſi ratio aliqua oſtēdat, licet cęlū habeat grauitatē, vel leuitatē, aut compoſitū ſit ex corporibus grauibus, & leuibus, nihilominus fieri nō poſſe, vt ipſum recta moueatur, clarum erit non eſſe neceſſarium grauitate, aut leuitate cælum carere, quòd non recta latione cieatur. Principium autē oſtenſionis ſit hoc; Cælum eſt corpus ſolidum, atque reſiſtens, neque ſicut aer, aut aqua cedens, & fluxibile; hocq; robur, & hanc ſoliditatem acceptā fert globoſæ figuræ, propter quam totum eſt in ſeipſum conglobatum, neque vlla pars poteſt ab eo diuelli: Si igitur cęlum recta moueatur, vel ex tota ſua vniuerſitate hoc motu cieretur, vel per partem: neutrū poteſt admitti: cælū igitur tametſi grauitatis, aut leuitatis particeps ſit, nihilominus nequit recta moueri. Connexum eſt euidens: Aſſumptū confirmatur: Cælū non poteſt moueri ad ſupera loca, vel ex tota ſua vniuerſitate, vel per partem, quoniam extra, & ſupra ipſum non eſt vacuū, aut locus, in quē deferatur:

Plotinus.

In hanc ſententiam Plotinus. *in lib. de motu cæli cap. 1.* dicebat cælum, quia motus recti cupiditate tenetur, ſeu potiùs quia e-

ius

ius natura eſt in motu verſari, in ea, quam occupat, ſede circumcurrit, cum vltra ipſum non ſit locus, in quem feratur. Neque etiam cælum ex tota ſua vniuerſitate poteſt ad infera loca, & ad medium moueri, tum quia medium non eſt aliquod vacuum: tum etiam quia minor locus non eſt capax corporis amplioris. At verò per partes cælum non poſse ad mundi medium perferri illud eſt argumento, quoniam cum oportuerit cælum manere, atque totum mundum ſubſiſtere, atque nequeat fieri, vt cælum maneat, totusque mundus ſubſiſtat, ſi figura cæli non fuerit globoſa, nequit quoque fieri, vt aliqua cæli pars à totius continuitate excidat, corporum enim reſiſtentium, ac ægrè partibilium ſi qua pars excidat, abrumpitur totius figura, id quod non cadit in corpora fluxibilia, ac facilè diuidua, in quibus ſi vlla pars auferatur è toto, in eius locum altera ſuccedit, totumque ipſum manet continuum.

Defenſio. Hic non minus in his eſt inanis, ac fuerit in primi argumenti declinatione, quoniam ſi cælum eſt graue, aut leue, atque ab ijs, quæ dicta ſunt, impeditur, ne ſurſum, aut deorſum moueatur; efficitur, vt cælum in ſtatu ſit deteriori, atque ſint elementa, cæteraque corpora, quibus plurimum præſtat dignitate: Enimuerò cælum haberet inſitam propenſionē ad motum rectum, ſed naturalis propenſio bonum perpetuò petit: ergo cum cælum nunquā hunc motum ſubeat, illius boni nunquam erit compos, cuius innatam habet appetitionem, id quod elementis, cæteriſque corporibus nō accidit, quorum naturalis appetitio expletur illius boni poſseſſione, quod eis eſt optabile, atque expetendum. Natura igitur ratione optima erit accuſanda, quæ in cælum corpus præſtantiſsimum adeo fuerit iniqua, vt illud ſic fuerit fabricata, vt nunquam bono expetito fruatur, nunquam illi figuram dederit, & ſubſtantiæ conſtantiam, quæ ne in actum erumpat naturalis ipſius propenſio, maximè eſt impedimento.

Figura comes formæ et naturę in corporibus perfectis. Amplius in corporibus perfectis figura ſeſe comitem præbet formę, & naturæ: ergo cælum, quod eſt corpus præſtantiſsimum, ea figura fuiſse donatum, quæ cum eius natura, & forma optimè faciat, eſt omnino exiſtimandum: Quapropter hæc nequaquam erit impedimento, ne in actum progrediatur propenſio, quæ arctiſſimo vinculo coniuncta eſt cum eius natura. Poſtremò nullum eſt incommodum, ſi aliqua cæli pars ex caua eius parte detracta feratur deorſum, quoniam hac exciſa non abrumpitur figura globoſa, ſine qua mundus, & cælum conſtare nō poteſt; quoniam figura globoſa cælo, mundoque neceſſaria eſt illa, qua cęli pars ſupera figuratur, & non illa, qua deſcribitur infera.

Reſponſio ad quartū & quintū Xenarchi, Philoponi. Quartum, & quintum argumentum conuellunt Xenarchus, & Philoponus, quod ignis ſua natura moueatur in orbem, nec firma ſit argumenta-

gumentatio, qua concluditur ignem non poſſe moueri ſua natura motu circulari, quoniam id,quod in ea aſſumitur,nempe vnū motum eſſe vnius corporis ſimplicis ſecundum naturam,non ſatis eſt tutum, idque intelligitur ex medijs elementis, quæ ſua natura duobus motibus aguntur: licet enim intueri aquam in aere deſcendere, & in terra aſcendere; atque aerem ex igne deorſum labi & ex aqua ſurſum efferri. Adiungit Xenarchus,quod Ptolomęo, & Plotino fuit quoque probatum,ignē poſſe duobus modis ſpectari,vno,dum fit,ac in generatione poſitus eſt conſiſtens in loco alieno;altero,cum iam factus eſt,integramque ſuam naturam obtinet propriam ſedem occupans;prioreque modo cōſideratum cieri motu recto,vt acquirat locum ſuæ naturæ familiarem, poſteriore autem in orbem conuerti, atque id quidem cum natura motus,naturaque ignis congruere,quando quidem motus rectus, qui eſt imperfectus,non eſt alienus igni ſua perfectione carenti: & conuerſio,quæ eſt motus perfectus, cognata eſt naturæ eiuſdem habentis ſuam perfectionem. Inquit Philoponus *in com. lib.* 1. *meteor.* totum ignem, totamque ignis vniuerſitatem ſua natura in orbem ferri, huius verò partes extra proprium locum peregrinantes recta moueri. Hæc plena ſunt errorum,quoniam nequit fieri,vt ignis vllo modo ſua natura conuertatur in orbem: Huius ea eſt ratio quia motus ille eſt naturalis,& ſecundum naturam,ad quem inſita eſt propenſio: verùm quoniam fieri nequaquam poteſt, vt corpori ſimplici multæ,ac variæ ad motus diuerſos fuerint tributæ propēſiones innatæ,planè ignis,qui eſt corpus ſimplex, motuque recto ſua natura cietur,non eſt,vt in orbem ſua natura moueatur. Multas ad motus diuerſos propenſiones non poſſe vna iungi in eodem ſimplici corpore inde conſtat,quia neque eandem partem poſſunt tenere,neque diuerſas: In diuerſis non ſunt ponendæ,quoniam inter partes ſimplicis corporis nulla eſt naturę diuerſitas:quare nō alia erit huius propenſio ad motum,& alia illius: neque etiam in eadem,quia cùm variæ ad motus diuerſos propēſiones in ſuis præſtandis officijs mutuò ſeſe impediant,corpus ſimplex,in quo ponētur,vel nullo motu ſua natura ciebitur,ſi omnes ſuæ propenſiones fuerint paribus viribus libratę, vel illius motu duntaxat agetur, quæ vincit,ac ſuperat,& quod ſequens eſt,aliæ erunt inanes,& ſuperuacaneæ,quippe quarum nullus erit vſus,nullaque vtilitas. Accedit propenſionem ad motum vel eſſe naturam, vel naturam proximè comitari: quapropter quoniam corporis vnius ſimplicis vna eſt natura, vnius quoque ſimplicis corporis vna erit ad vnum motum propenſio. Demum fieri non poteſt, vt vnius corporis ſimplicis duæ ſint ad duos motus propenſiones,quoniam neuter horū

Ptolemęus Plotinus.

Philoponus.

Defenſio.

Multæ ad motus diuerſos propenſiones non ſunt ī eodem ſimplici corpore.

motuum

motuũ ſimplicite ,& omnino eſſet naturalis, quippe qui erit præter alteram corporis propenſionem:quocirca ſimplex corpus quocumque agatur motu,cuius inſitam habeat propenſionem, non penitus,ac ſimpliciter mouebitur ſecundum naturam, ſed partim ſecundum naturam,& partim præter naturam:Quòd ſi fieri non poteſt,vt vnum ſimplex corpus multas contineat ad motus diuerſos propenſiones,verè ſumitur ab Ariſtotele vnius corporis ſimplicis vnum eſſe motum naturalẽ.Neque alicuius momenti eſt id, quod

Elementa media, cũ ſurſum et deorſum mouĕtur, an motib. contrarijs cieantur.

in medijs elementis cernitur. Id plerique Peripatetici euitant aſſeuerando aquam,& aerem vno naturali motu dumtaxat cieri, qui ſuam ſpeciem accipit à termino,& loco,ad quem progreditur:Itaque tametſi aer quandoque ſurſum,& quandoque deorſum moueatur,hũc tamen contrarijs lationibus nequaquam ferri,ſed vna ſimplici latione,quoniam his motibus aeris vnus, & idẽ terminus eſt conſtitutus: eandemque rationem eſſe aquæ ex terra ſuum aſcendentis,& ex aere deorſum deſcendentis.His non aſſentior, nã etſi

Multorũ opinio, q̄ non cõtrarijs.

diffitendum non ſit motum ſuam ſpeciem ex termino ad quẽ itur, nanciſci,attamen vt duo motus vnum, eundemque terminum petentes ſub eadem ſpecie cadant,oportet hunc terminum nulla rationis diuerſitate diſtingui.

Cõfutatio

Itaque quoniam terminus, quem aer aſcendens petit,non ſubit eandem rationem,quam tenet, cum ab aere deſcendente acquiritur,quippe qui eſt terminus motionis aeris aſcendẽtis,qua ex parte habet rationem illius,quod eſt ſurſum: & eſt terminus motionis aeris deſcendentis in eo, quòd ſuſtinet rationem illius, quòd eſt deorſum;non eſt aſſeuerandum hos aeris motus ſub eadem ſpecie contineri: nec ſecus ſentiendum eſt de aquæ motibus quibus ea aſcendendo,& deſcendendo petit vnum, eundemque locum.

Opin. propria.

Ego arbitror reſpondendum eſſe aquam, quia eſt grauis,ſuo pondere ad medium mundi locum ſemper deferri:& aerẽ,quia eſt leuis,ſua leuitate à medio ſemper moueri; quòd autẽ hic deorſum quandoque deſcendat,& illa ſurſum aſcendat eſſe contra ipſorum naturam:nam aquam à terra,cui pondere cedit,expulſã ſupera petere,& aerem deiectum ab igne,qui ſuperat leuitate, deorſum pelli videmus

Dubitat.

At exiſtit dubitatio,quia Ariſt. *in lib.* 1. *de* 76.aſſumit corpora ibi vi manere,quò vi ferũtur: quapropter ſi aer vi depulſus ſub igne maneret,vi ac præter naturam eſſet in hoc loco ſitus,quod abhorret à communi omnium ſententia.

Solutio.

Dicendum eſt Ariſtotelicam aſſumptionem ſic eſſe accipiendam, vt eius ſentẽtia ſit corpora ijs in locis vi manere,ad quos ſic vi feruntur, vt eos nunquam ſua natura petant:atqui aer tametſi in loco ignis ſupero collocatus vi deorſum pellatur ad ignis concauum, attamen eſt aptè natus ad hunc locum ſua natura moueri,ſi in locis inferis po-

ſitus

ſitus fuerit: Neque id videatur mirum, quoniam terra quandoq; vi deorſum pellitur, quæ ſua natura deorſum conſiſtit. Sed rurſus quiſpiam dubitabit, quoniam *in lib. 4. de cælo 39.* aer ſurſum in locum ignis, ſi hic tollatur, non fertur, niſi vi. Reſpondendum eſt Ariſtotelem hoc in loco, cùm nondum aperuerit aeris naturam eſſe caliditatis participem, ad communem vulgi opinionem ſeſe accommodaſſe, quæ ponit aerem ſua natura frigidum eſſe, & propterea plus grauitatis, quam leuitatis habere, quam quoque opinionem ſequutum eſſe *in lib. 1. meteor. cap. 4.* teſtatur Alexander in huius loci commentarijs. Id ſi Themiſtius, & Ptolomæus animaduertiſſent, Ariſtotelem aſſeuerantem aerem proprio in loco habere grauitatē, fortaſſe incaſtigatum dimiſiſſent, nam intellexiſſent id non ex animi ſententia fuiſſe pronunciatum; quoniam cùm Ariſtoteles ſentiat aerem ſua natura calidum eſſe, atque leuitas ſequatur caliditatem, quemadmodum grauitas frigiditatē, neceſſe eſt, vt quoque ſentiat in aere plus poſſe leuitatem, quam grauitatem; & propterea tantum abeſſe, vt aer ſubducta aqua deorſum ſua natura deſcendat, & igne ſublato ſurſum præter naturam aſcendat, vt contra ſe habeat, ſuaque vi in locum ignis euolet igne detracto, & aqua ſubducta præter naturam in aquæ locū ſeſe inſinuet. Atque id eſt conſentaneum, quoniam cum aer, & aqua ſint media interiecta inter ignem, & terram, atque aer nō ſecus ſit igni cognatus, ac terræ ſit aqua, planè cum aqua ſua natura inſtat in locum terræ, ſi hæc illi dederit locum, nec niſi vi aſcendat in aeris locū, aer quoque ſua natura igne amoto huius locum ſibi vēdicabit; nec niſi vi, & præter naturam aqua remota huius locum occupabit. Quod adiungit Xenarchus Ptolomæo, ac Plotino probatum, id refellitur, quia ignis proprio in loco eſt aptus ſua natura quieſcere, quemadmodum & reliqua elementa; mouetur autem in orbē vi, & contra naturam à cæli conuerſione circunductus: nam ſua natura non moueri id ſuadet, quia ſeruat inſitā ad motum rectum propenſionem; atque huius id fidem facit, quòd ignis, ſi propria e ſede eiiciatur ſic, vt idem numero maneat, ſuamq. naturam retineat, proculdubio ſua vi ſurſum feretur; quare cum nulla mutatio in ſubſtantia, & natura ignis anteceſſerit; ignis proprium locū tenens ſeruabit inſitam ad hunc motum propenſionem. Adiungēdum eſt, quod cum propenſio ad motum vel ſit natura, vel naturæ comitem præbeat ſe perpetuò; atque ignis in generatione poſitus continenter, niſi quippiam impediat, feratur ſurſum, quia continenter ſuam naturam acquirit, ad ſuæque naturæ perfectionem progreditur, abſurdum eſt ignem ſuam hanc propēſionem exuere, vt primum eſt generatus, propriumque locum conſequutus. Nec

Alexander
Themiſtius.
Ptolomæus

Digitized by Google

denique verum eſt, quod à Philopono fuit allatum, quoniam ſimili motu pars, & totum cientur, quod in corporibus ſimplicibus partis natura non diſcrepet à natura totius: cum itaque videamus quamlibet ignis partẽ ſua natura ſurſum euolare, tota planè ignis vniuerſitas ad hunc motum erit procliuis: verùm vnius corporis ſimplicis vna tantum ad motũ eſt innata propenſio; non igitur cũ Philopono ſentiendum eſt totam ignis vniuerſitatem eſſe ſua natura comparatam, quæ vertatur in orbem. Plotinus *in lib. de motu cæl. cap.* 1. multas, & varias affert rationes, cur cæleſtis ignis in orbem agatur, ſed hanc vel maximè videtur probare, quæ eſt, quia hac motione mentem imitatur: Quo autem pacto cælum ſua conuerſione mentem imitetur, exponit Philoponus *in com. lib.* 1. *meteor.* vbi hanc Plotini rationem adducit, inquitq́; quemadmodum mens diuina ſeipſam intelligendo modo quodam in ſe ipſam cõuertitur, ita ad huius diuinæ mentis imitationem cæleſtia corpora pro ſuis quæque viribus curſuum ſuorum reuerſionem in ſe ipſa facere: Et quemadmodum diuina illa mens nullum locum ſubſtantiæ ſuæ habet conſtitutum, in omnibus autem partibus, atque in omnibus mundi locis eius vis, ac ſumma poteſtas, æternaque ipſius actio reperitur, ac dominatur, ita & cęlum ipſum, quod corpus eſt, cum ſimul totum vbique eſſe non poſſit, vbique tamen poſſe ſecũdum ſuas ipſius partes eſſe: & quamquã ſua ſubſtantia cælum ab ijs, quæ infra ipſum gignuntur, ſit liberum, longeque diſiunctum, ſuis tamen actionibus, ſuiſque virtutibus cuncta regere. Cæterum vt hæc planius percipiantur, non eſt ignorandum de ſententia Platonis, omniumque Platonicorum cælum in animantibus, quæ ratione vtuntur, numerari, atque huic præter animam rationis compotem præſidere mentem ab omni materia ſegregatam; hanc igitur cælũ dũ apprehendit intelligentia, incredibili cietur cupiditate, vt ipſam imitetur, quando quidem in eius imitatione omne ipſius bonum eſt ſitum ac collocatum, Hæc quoque videntur improbabilia, tum quia non facit cum ratione ignem anima vti, animaque gubernari; tum etiam quoniam cum omnis motus ſit aut ſecundum naturam, aut contra naturam, proculdubio hic motus, qui non eſt à natura igni cæleſti tributus, huic contra naturam dabitur; qua e re non erit ſine labore, cæleſtisque anima, vt dicebat Ariſtoteles *in lib.* 2. *de cælo* 6. haud quaquam ſine moleſtia, & labore vitam propagabit, quippe cui à natura fuerit iniunctum, vt continenter moueat corpus, quod alio motu ſua natura ferri eſt aptè natum; id quod eſt valde operoſum, & ab omni voluptate ſolutũ. Argumentum, quo *in lib.* 1. *meteor. cap.* 3. conficitur cælum non eſſe ignem, quia iamdiu interijſſent reliqua elementa, caſtigat Philoponus

Plotinus.

Ignis cæleſtis cur in orbem agatũr.

Philoponus.

Plato.

Platonici.

Reprehenſio.

Reſponſio ad ſextum.

loponus *in huius loci commentarijs*, quod id ſequi non poſſit, primũ quia elementorum qualitates non augentur mole creſcente; non enim totius aquæ frigiditas ſuperat illam, quæ eſt in aqua puſillæ magnitudinis; deinde quoniam ignis hypecaumatis & cæleſtis non habet vim comburendi vti hic, qui eſt apud nos: etenim caliditas eſt ſanè principium agendi, ſed quod vis eius agendi magis, minusve ſit actuoſa ſubſtantiæ corporis agentis eſt acceptum referendum, quæ quò fuerit ſolidior, compactiorque, eò validior eſt actio, & quò tenuior, minuſque compacta, eò imbecillior: ergo cum ſubſtantia ignis aerem ambientis ſit longè omnium tenuiſſima, hic non mõ nõ comburit, ſed nec etiam admodum calefacit. poſtremò quoniam aſtra, quæ antiquis videbantur magis habere ſubſtantiam igneam, in elementa non agunt, à quibus ſic diſtant, vt propter nimiã diſtantiam in hæc vim ſuam nequeant exercere, & his ſuam caliditatem tribuere. Adiungendum eſt extremã ſphæram non agere in eas, quæ deinceps ſunt, quòd inter has, & illam ſit naturæ ſimilitudo; nec præterea has in hypecauma ob eandem rationem: non enim ſimile natum eſt pati à ſimile: quapropter hypecauma, quod in ſua ſemper natura manet, nihil magis agit in ea, quæ ipſius amplexu coercentur; neque ſequitur, ſi cæleſtia, & aſtra ſint ignea, vt iamdiu cętera elemẽta perierint. Cum his facit, quòd cùm immenſus aer flammæ lucernæ circumfuſus hanc non reſtinguat, non ſequitur neceſſariò, ſi corpora cæleſtia inducãtur ignea, vt vniuerſum iampridem incendio ſit abſumptum. Hęc omnia sũt inania, & ad primum reſpondetur; Etſi in elementis creſcente mole forma, & qualitas non magis intendatur, attamen totum ipſum ſit magis actuõſum, uimq. agendi multò maiorem acquirit, quippe quod cum omnibus ſuis partibus agat, quò plures habet partes, eò magis agit. Ac ſanè nemo eſt, qui neſciat ignem, quò ampliorem habuerit magnitudinem eò magis calefacere, ignemque magnum illa vrere, quæ facile poſſunt ignem puſillum extinguere, tametſi in eis ijdem ſint caliditatis gradus. Ad alterum dicimus ignẽ elementalem ob ſubſtantiæ tenuitatem non comburere, quemadmodum hunc noſtratem; cæterùm agere in reliqua elementa, quoniã ijs qualitatibus fuit à natura impertitus, quæ horum qualitatibus ſunt aduerſæ: ergo cum ignis, quamquam tenuiſſimus, agat in reliqua elementa, profectò ſi cælum, & aſtra ex igne conſtarent, vniuerſum oporteret iampridem eſſe diſſolutum: Accedit, quod cum ſtellę ſint denſæ, & reliquis cæli partibus ſolidiores, profectò maxima eſſet earum efficacitas: quapropter cum ſint innumerabiles, ſingulęq; ſua magnitudine vniuerſam terram excedant, quis non intelligat, ſi igneæ ſint, fore, vt reliqua elementa ob earum efficacitatem

Philopon.

Defenſio.

Digitized by Google

tem iamdudum ſint conſumpta? Ad proximũ reſpondemus aſtrorum diſtantiam non poſſe impedire, ne ea agant in mundum elementalem, quippe quę ſua mole hunc longè, multumq; ſuperant; Cùm adiungitur extremam ſpheram non agere in reliquas, neq; has in hypecauma ob naturę ſimilitudinem, reſpondetur hypecauma ab his quidem non pati, verum cęlo continuatum ab hoc vim agendi multò ampliorem accipere; qua e re cum agat in aerē, quē proximè complectitur, & virtute propria, & virtute cæli ipſam tãgentis hunc, & reliqua elementa prorſus corrumperet. Neque id alicui ſit admirationi, nam quemadmodum ſi igni puſillo alius adiungitur, is huius coniunctione fit longè efficacior, quamquã ignis additus abſit ab eo, quod incaleſcit; eodem modo hypecauma per ſe ſolum non eam quidem continet vim, qua poſſit reliqua elementa deſtruere, verùm ſi ei accedat cęlum eiuſdem naturę, huius acceſſione amplificatum, potentiuſque factum hęc planè poterit incendio abſumere. Nec verò cùm corpus ſua vi vniuerſa in alterũ agit, id oportet tangere hoc ſuis omnibus partibus, ſed aliquibus, quę agunt & virtute propria, & virtute reliquarum partium eis impertita. Nec pręterea ſi corpus ſuis omnibus partibus in alterum agit, neceſſe eſt, vt partes procul ab eo, quod patitur poſitæ prius agãt in eas, quę interijciuntur, nam id nequit fieri, quòd in omnibus agens ſit diuiſum ab eo, quod patitur *lib. 8. phyſ. 30.* & nullum continuum à ſeipſo patiatur *lib. 9. poſt nat. 2.* ſed ſat eſt vt illę his copulatæ vim agendi augeant, & amplificet. Quod extremum eſt, id re-

Olymp. futatur ab Olimpiodoro ſtatuente Ariſtotelis argumentum dũtaxat in igne habere pondus ob maximam huius agendi efficaci-

Theophr. tatem: Ignem enim inter cętera elementa, vt inquit Theophraſtus, plurimùm poſſe ea, quibus fuerit propinquus, ſibi ſimilia reddere. Non accipio hanc reſponſionem, quia frigiditas aeris ita eſt efficax, vt ignis caliditati non cedat, quippe cuius vi aqua fit glacies, vapores in nubem concreſcunt, & nubes in pluuiam, niuem, & grã-

Stoici. dinem conuertuntur: Hinc Stoici ſenſerunt aerem ſua natura ſum-

Flãma lucernę cur non extinguatur ab aeris frigiditate. mè frigidum eſſe. Dicendum eſt, cur lucernę flamma non extinguatur ab aeris frigiditate, in eo poſitum eſſe, quia illa ex oleo aſſiduè generatur; non enim flamma vna, & eadem numero manet, ſed in continua generatione & corruptione verſatur, continenterque oritur, & interit. Verùm aliquis rogabit, ſi aer immenſus non

Dubitatio extinguit flammam, neque eſt impedimento, ne hęc continuè reparetur, ecquid eſt, cur aquæ ſtilla, infuſa eam extinguat, eiuſque

Solutio. refectionem prohibeat? Reſponſio non eſt difficilis, nam huius id eſt cauſſa, quòd materia, ex qua oritur flamma, aquæ perfuſione amittat habilitatem, qua erat idonea, vt in flammam verteretur.

Atqui

Atqui rurſus aliquis inſtabit, ſi Ariſtotelis argumẽtum habet vim, quid prohibet, quo minus ignis aerem accendat, & inde reliqua elementa, cum multò maior ſit eius moles, quam horum omnium magnitudo? Reſpondendum eſt, quamuis aer magnitudine ſuperetur ab igne (plerique Peripateticorum arbitrantur decuplo ignem vincere aerem, atque eadem ratione ab aere aquam, & ab hac terram ſuperari) non tamen ſic vinci, vt hic valeat illum in ſuam naturam conuertere, quoniam inter elementa eſt certa, definitaque ratio, & æqualitas virtutis, propter quam manent, & ſeruantur abſque integra corruptione, quaque fit, vt ſibi viciſſim interitum afferant, & alterum ex altero viciſſim oriatur. Sed ad reliqua progrediamur: Aduerſus ſigna ab Ariſtotele poſita dubitãt Philoponus, & Olympiodorus, primumq; repellitur ab Olympiodoro, quod ſtellæ diſſiliẽtes non fiant in cælo, quoniam materia deeſt, ex qua earum generatio exiſtit, fiunt enim ex ſicco calidoque halitu. Philoponus ſcribit, quamuis cælum ſit igneum, eius tamen ſoliditate impediri, ne ſtellas illas tranſilientes motus excitet, quæ ſoliditas cum non ſit in igne cælis ſubiecto, nec in aere huic proximo, immo vero hæc ſimplicia corpora ſint fluxa, facileque diuidua, nihil poteſt eſſe impedimento, ne huiuſmodi ſtellæ in vtroque eorum accendantur. Hi fruſtra vellicant ſignum Ariſtotelicum, nam ſi halitus efferuntur vſque ad ignis regionem, & in hac accẽduntur quid prohibet, ne ijdem altius prouecti in cælis accendantur? Nec tanta poteſt eſſe in cælo ignis naturam habente & hunc ſubtilitate ſuperante ſoliditas, quæ id impediat, quoniam in elementis caducis corporis ſubſtantia quo ſubtilior eſt, eò magis fluxa, minuſque ſolida exiſtit. Alterum ſignum ijdem accuſant, quod ex coloribus non rectè diiudicantur temperationes, nam roſæ & ſanguinis color eſt rubeus, quorum hic calidus eſt, & illa frigida: lac item, ceruſa, vinum, allium, cæpæ candida ſunt, quorum alia cõtinent vim frigoris, alia caloris: hinc Galenus *in lib. 5. de ſimpl. medic. facult.* pręcipit, ne vires medicamentorum ex coloribus iudicentur! Adiungit Philoponus Solẽ non videri candidum, cuiuſmodi multorum ſiderum color apparet, ſed flauum, & rutilum circa horizõtẽ manifeſtè conſpici, qui color in flamma cernitur, quòd ſi albus quoq; cerneretur, id non eſſe argumentum efficax eum ex igne non eſſe factum, quia ob aliam & aliam materiam color ignis variat, & immutatur; & ſtellæ diſcurrentes, atque cometæ album colorem præſeferunt, quibus natura eſt ignea. Et ſi Sol non eſt igneus, quia cernitur albus, eadem ratione circulus lacteus, qui inſpicitur albus, non erit igneus, vt Ariſtoteles putat. His non eſt arduum occurrere: Et primùm licèt temperationes in mixtis non poſſint commodè ex

Dubitat. *Solutiõ.* *Reſponſio ad ſeptimũ Olympiodorus.* *Philopon.* *Defenſio.* *Reſponſio ad vltimũ.* *Galenus.* *Philopon.* *Defenſio.*

coloribus iudicari, quòd ſæpè horum partes variam habeant naturam, & partes exteriores diſſentiant ab interioribus, attamē in ſimplicibus corporibus, quorum partes non ſunt in natura diſſimiles, color non parui eſt momenti ad iudicium ferendum de natura, & temperatione, atque ex his quæcumque ſunt colore ſimilia, ea non eſſe natura diſſimili prædita exiſtimandum eſt. Neque negandum eſt rerum colores ſequi temperationes, quandoquidem cernere eſt in floribus, fructibus, & pilis, quibus animalia teguntur, ex varia humidi, & ſicci commixtione, & caloris, ac frigoris efficientia varios, ac multiplices colores efflореſcere. Cum Philoponus ſubiūgit Ariſtotelē nos fallere, quia Sol propinquus horizonti videtur flauus, ac rutilus: ipſe decipitur, & nos decipit, quoniam hic color nō
Alexād. eſt proprius Solis, ſed ei, vt Alexāder teſtatur *in com. lib. 1. meteor.* ab halitibus, craſſiſq; vaporibus tribuitur, qui inter ipſum Orientē, ac Occidentem, atque noſtros oculos interijciuntur; quo fit, vt his diſſolutis, ac depulſis Sol non rubeus, neque flauus, ſed albus inſpiciatur; atque huius quoque nos admonuit Ariſtoteles in lib. de ſen. & ſenſib. cap. 3. quo in loco ſcripſit Solem per ſe candidum eſſe, verùm per caliginem, ac fumum videri puniceum. Quod pertinet ad colorem crinitarum, tranſilientiumque ſtellarum, hunc ſi quis intueatur, perſpicuè intelliget eum ſic abeſſe à Solis candore, vt exiſtimandum ſit illas flammeam naturam in ſe continere. Poſtremò circulus lacteus etſi igneus ab Ariſtotele ſit poſitus, non tamen ſic igneus eſt, quemadmodum ſolem eſſe oportet, ſi hunc ponamus ex igne conſtare: enim verò cum veteres putarent ſolem ex ſe maximum calorem fundere, hincque concluderent eum eſſe igneum, neceſſum erat, vt ipſum inducerent calidiſſimum, maximâque ignis vim in ſe continentem: Itaque oportebat eum eſſe veluti car-
Anaxag. bonem accenſum, vel, vt putauit Anaxagoras, vti ferrum cādēs atque rubeo colore infectum non diſſimi'illius, qui in carbonibus, rebusque igneis cernitur. Sed de his hactenus, ex quibus conſtat, quæ Ariſtotelē induxerunt, vt ignis naturam cæleſti corpori adimeret, non exigui eſſe momenti, & quæ contra hæc diſputantur, non multi facienda.

Confutatio argumentorum, quibus cælum eſſe igneum fuit perſuaſum. Cap. XIII.

Ad prim. QVæ aduerſarijs perſuaſerūt cælū eſse igneū, ignisq; naturam habere, in his nihil eſt neruorum, horumq; primū multorū hominum conſenſu firmatū tum per ſe leue eſt, tum ēt falſum. Eſt leue, quia in ſcientijs tradēdis dedecet hoīum teſtimonijs certare,

quæ

quæ plerunque obſunt illis, qui rei veritatem ſcrutantur: Deſinũt
enim ſuum iudicium adhibere id ratum habentes, quod ab his vi-
dent iudicatum, quodque non rarò accedit ad ſomnium delirãtis;
Et ſinè quis non rideret audiens ex Thalete ſtellas eſſe terras igni- *Thales*
tas: ex Diogene pumices inflammatos; ex Xenophane nubes ardẽ- *Diogenes.*
tes, quæ diu extinguuntur, noctu accenduntur; ex Anaximandro *Xenophanes.*
aeris compages globoſas, & accenſas; & ex Archelao laminas fer- *Anaximãder.*
ree candentes? Eſt vero falſum, quoniam Chaldæi cælum credi- *Archelaus*
derunt eſſe non ignem, ſed vel aquam, vel ex aqua, & igne compo *Chaldæi.*
ſitum; hinc ei poſuerunt nomen, quo vel ibi aquas eſſe, vel ipſum *Hebræi.*
ex aqua, & igne conſtare ſignificarunt; atque huius teſtes ſunt He
bræi, qui etiam nunc huiuſmodi appellationem retinent cælum
vocantes Sha naim, cuius nominis apud ipſorũ doctores duæ ſunt *Cælum hebraicè shamaim, huiuſque nominis origo.*
origines, quarũ altera ibi aquas eſſe intelligitur; & altera ex igne,
& aqua conflatum eſſe Aegyptii tradiderunt cælum eſse humo-
rem concretum, quos aliquo pacto ſequutus eſt Seuerianus hæreti
cus, qui putauit Deum ex aquis cælum feciſſe ipſum inſtar criſtal-
li coagmentando. Proditum eſt à Plutarcho *in lib. 2. de placitis phil.* *Aegyptij.*
Thaletem voluiſse cælum eſse terreum, & Empedoclẽ ex aere cõ- *Seuerian.*
poſuiſse in morem criſtalli ab igne indurato. Diogenes arbitratus *Thales.*
eſt cælum eſse aerem puriorem, & Democritus ſtatuit cæli princi *Empedocles.*
pia eſse corpuſcula indiuidua; Pythagoræ ſucceſsores teſte Theo- *Diogenes.*
doreto *in lib. 5. de curat græc. aff.* quatuor elementis quintum æthe- *Democritus.*
reum adiunxerunt; atque ex horum numero perſpicuè fuerunt
Ocellus Lucanus, & Archytas Tarentinus, qui (ille in lib. de natu- *Pythagorici.*
ra vniuerſi, hic apud Porphyrium in lib. de abſtinentia ab eſu ani-
malium) cælum à quatuor vocatis elementis ſeiunxerunt, & in eã *Ocellus.*
opinionem abierunt, quam poſtea Ariſtoteles confirmauit, & In- *Archytas*
dos ſapientes tenuiſse ſcripſit Alexander ad Ariſtotelem Philopo-
no referente *in com. lib. 1. meteor.* Nec audiendus eſt Anaxago- *Indi ſapiẽtes.*
ras in explicatione nominis æther, quoniam, vt inquit Ariſtote-
les à Platone in Cratyllo non diſsentiens, æther dicitur ἀπὸ *Anaxag.*
τοῦ ἀεὶ θεῖν hoc eſt a curſu ſempiterno: Nec aliter ſentit au- *Aether vnde dictus.*
thor libri de mundo ad Alexandrum, qui in cap. ſecundo ſcri-
bit, cæli, ſiderumque ſubſtantiam appellari ætherem, non
quòd ignita flagrent, vt aliqui cenſuerunt plurimum aberrantes,
ſed quòd ſemper currat, cum ſit elementum à quatuor illis diuer-
ſum tum diuinum, tum interitus expers. Quòd alij teſte Platone
putauerint cælum ætheris nomen reportaſse, quod ſemper circa
aerem fluat, non habet momentum; quoniam hi non habentes vl-
lam ignis cælo proximè ſubiecti notitiã cælum putarunt circa ae-
rem fluere. Secundum argumentum peccat, quoniam lumen non *Ad ſecundum.*

perpetuo

perpetuo comitatur ignē: & multa fulgent, quę nō ſunt ignea: lu-
Alexander. mē nō perpetuò ſe igni comite adiūgere & Alexander teſtatur, à
quo proditū eſt ignē in locis prope Aethiopes, quia eſt ſimplex, ac
Fumus propter ignem aſcēdit. purus, nō lucere: & fumus declarat, qui plurimū ignis habet admix
tum, cui fert acceptum, quod ſurſum efferatur: non enim propter
aquam ſurſum mouetur, & multo minus propter terram; ſed neq;
propter aerem, quoniam in aere aſcendit: Quinetiam aduerſarij
idem probent, velint, aut nolint, eſt neceſſe. nam cùm ſtellas, & or
bes ex igne componant, ſtellæ, & non orbes lumen ex ſe mittūnt.
Iam vero quicquid lucet, id ignem non eſſe fidem faciunt lapides
quidam ſingulares, quorum natura frigida eſt, & glacies, qua nihil
igni magis eſt aduerſum. Neque his definitio luminis ſuffragatur,
in qua non ignis ſolius habita eſt ratio, ſed præterea huiuſmodi cu
Ad tertiū. iuſdam corporis, quale eſt ipſum ſuperum corpus. Tertium argu-
mentum me parum mouet, cuius rata eſt ſententia lumen non eſ-
ſe caloris opificem, vt in diſputatione de lumine patefeci: Verùm
ſi quoque conceſſum fuerit lumen à cælo profluens gignere calo-
rem, non hinc tamen efficitur neceſſariò, vt cæli calidi ſuppeditēt
calorem, quoniam non quicquid formam tribuit, id ſimilis for-
mæ particeps eſt, ſi quidē motus eſt cauſſa caloris, cuius eſt expers;
& calor ſapores, odoreſque procreat, cui nullus eſt odor, nulluſque
Ad 4. ſapor. De priore Philoponi argumentatione dicendum eſt leuiſſi-
Leuiſſimi definitio vt intelligenda. mi definitionis ſenſum eſſe: leuiſſimum eſt, quod cum ſurſum fera
tur, eminet ſuper omnia, quæ ſurſum feruntur. Non eſt igitur, vt
hæc diffinitio cadat in cęlum, cuius non eſt ad loca ſupera motus.
Auerroes. Cæterum hoc loco notandum eſt, quod habetis apud Auerroem
in com. lib. 4 de cælo ſumma 3. cap. 1. hanc leuiſſimi definitionem ita
eſſe intelligendam, non vt leuiſſimum ſemper actu emineat ſupra
omnia, quæ ſurſum mouentur: ſed vt ſemper ſit aptè natum om-
nia ſupereminere: enim vero cum rerum naturalium differentiæ
nobis plerumque ſint ignotæ, fit, vt harum loco in definitionibus
Diffinitiones pactiones & officia quomodo accipiēda. aſſumantur actiones, & officia: vbi vero diffinitio ex his eſt conſti-
tuta, hæc ita eſt audienda, non vt res ſemper actu in ſuo opere ver-
ſetur, ſed vt ſit aptè accommodata ſtatuto tempore illud exercere:
Et vt id exemplo fiat illuſtrius, palma cum finitur arbor, quæ da-
ctylos producit, huius diffinitionis ſententia eſt, non vt palma hos
fructus ſemper actu producat, ſed vt ſit aptè nata ſuo tempore hos
Themiſt. præbere: Ex his intelligite fruſtra eſſe Themiſtium, qui hāc leuiſ-
ſimi definitionem falsò inſimulauit, quod ignis ſit leuiſſimus, quā-
uis non ſit poſitus ſuper omnia, quæ ſurſum mouentur, non intelli-
gens hanc diffinitionem in eam ſententiam eſſe accipiendam, vt
leuiſſimum ſit id, quod ſua natura comparatum eſt, vt poſſit ſuper
om-

Digitized by Google

omnia eminere, quæ ſurſum mouentur. Verùm ſi Themiſtio data quoque fuerit huius diffinitionis ſententia, quam ſine vlla explicatione verba in ea poſita præſeferunt, non propterea non erit fruſtra aduerſus Ariſtotelem, quoniam ignis cum omnibus nō ſupereminet, quæ ſurſum feruntur, in loco ſuæ naturæ alieno poſitus neceſſariò inficitur qualitatibus contrarijs, ſemperque aliquid ſibi admixtum habet, quod eſt præter ipſius naturam, quo fit, vt leuiſſimus non ſit integram, ac ſynceram non habens leuitatem. Atq; hinc cauſſa exiſtit de ſententia Alexandri, cur ſimplicia corpora grauia, & leuia cum natura mouentur, quanto longius progrediūtur, tanto incitatius ferantur; nam quo longius à loco non naturali diſcedunt, ad locumque naturalem proprius accedunt, eò a contrarijs qualitatibus magis vendicantur, maioraque accipiunt grauitatis, aut leuitatis momenta, quibus auctis motus, qui ſequitur ea, augetur, fitq; incitatior. Poſterior Philoponi argumentatio repellitur, tum quia cælum non eſt per ſe in loco, ſi locus is accipiatur, qui fuit ab Ariſtotele *in lib. 4. phyſ.* definitus, vt aliàs explicabimus; tum etiam quia non quodlibet, quod ſurſum eſt, habet leuitatem, ſed quod ſurſum ſua naturâ mouetur. Primum Teleſij argumentum conuellitur, quod ea ſola corpora motu incaleſcunt, quæ ſolida cum ſint, & aptè idonea calorem ſuſcipere per aërem mouētur celerrimè, nam ab horum motione aere attrito fit calor: hinc nix tametſi motu incitatiſſimo in aere feratur, motu tamen non incaleſcit, quia neque ſolida eſt, neque apta calorem aſſumere. Non ſum neſcius Teleſium opinari niuem ſua natura calidam eſſe, verū nihil eſt opus, vt hac de re contendamus, quòd ſenſus omni ratione certior huius fidem faciat, atque ſit mētis infirmitas in iis, quæ ſenſu percipiuntur, ſenſu poſthabito rationem amplexari. Cælum igitur quamuis motu agatur concitatiſſimo, attamen non caleſcit quod non feratur in aere, & eius ſubſtantia non ſit capax vllius qualitatis patibilis. Neque eò promptius Ariſtoteli colligendum fuit cælum eſſe calidum, quod calor tribuat leuitatem, & mobilitatem, quoniam mobilitas quæ comitatur calorem, eſt imbecillitas, & impotentia, qua id, in quo ineſt, parū eſt aptum ijs reſiſtere motionibus, quæ extrinſecus accidunt, hanc vero mobilitatem ſi qs conſtituat in cœlo, is non audietur. Proximum argumentum reprehenditur, quoniam quod eſt primum in ſerie calidorū, id eſt ignis, cuius vi, quæcunque calida ſunt, continent caliditatem. Neque Ariſtoteles arbitratur ignem motu cœli incaleſcere, cuius verba ſunt hæc: Cum autem fertur primum elementum circulo, & corpora, quæ in ipſo ſunt, id, quod propinquum eſt ſemper inferioris mundi, & corporis, motu diſgregatum accenditur, & facit caliditatē.

Simplicia corpora cum natura mouentur, cur quo longius progrediuntur, eo incitatius moueantur.

Ad quintum.

Ad primum Teleſij.

Ad ſecundum.

Locus Ariſtotelis in lib. 1. meteor. c. 4. explicatur.

„ Oportet autem intelligere ſic,& hic cũ inceperimus. Quod enim
„ ſub ea,quæ ſurſum eſt,circumlatione corpus velut materia quædã
„ exiſtens,& poteſtate calida,& frigida,& ſicca,& humida,& quæ-
„ cunque aliæ has ſequuntur paſſiones,ſit talis,& eſt à motu, & im-
„ mobilitate. His nequaquam ſentit Ariſtoteles ignem,quòd caleat conſequi ex cęli conuerſione, ſed ponit corpus cęlo proximè ſubiectum celeſtis corporis conuerſione accendi,& incaleſcere, quod corpus eſt aer;nam Ariſtoteles in hoc capite, idque ad eius initiũ

Alexand. fuit animaduerſum ab Alexandro,ſumit de ſententia veterum totum hoc ſpacium à terra vſque ad cęlum protẽſum eſſe plenum aeris,atque hunc ſua natura aut frigere,aut eſſe caliditatis,ac frigiditatis expertem: fuiſſe autem in opinione veterum corpus cælo con-

Plato. tiguum aerem eſſe teſtatur Plato in Cratyllo, quo in loco αἰθέρα, quo nomine ſignificatur cælum, exponendum eſſe opinatur. quoniam ἀει θεῖ περὶ ἀέρα ῥέων, id eſt ſemper currit circa aerem fluens. Ecquid verò cauſſæ ſit,cur corpus ſubiectum cælo huius motione diſiectum accendatur, Ariſtoteles affert rationem erutam ex materiæ poteſtate,quæ eſt: Cum corpus illud,quod cæli amplexu coerceturnaturam habeat poteſtati coniunctam,ex qua exiſtit,vt ex aliis in alias affectiones tranſeat,eſt veluti materia aptè nata excipere caliditatem,frigiditatem,cæteraſque qualitates, quæ ex his oriuntur:etenim cùm hæc materia nunquam non ſit prædita formis elementorum,primiſque qualitatibus,exiſtens frigida & humida,eſt poteſtate calida & ſicca; & contra caliditati ſiccitatique ſubiecta habet poteſtatem excipiendi contrarias qualitates: Hæc igitur cum ita ſint,corpus hoc, & materia hęc cæli ambitu comprehenſa ex poteſtate ducitur in actum motu, ac mutatione, actu verò facta in hoc ſtatu immobilitate,mutationiſque vacuitate ſeruatur,nam mutatione materia in actum erumpit,mutationeq; ceſſante actum tenet,atque conſeruat. Hic eſt ſenſus verborum Ari-

Ad tertiũ ſtotelis,quem Teleſius aut ignorauit,aut neſcire diſſimulauit. Argumentum,quod ſequitur,magnam habet leuitatem, quoniam licet caliditas ſit qualitas præſtantiſſima,non eſt tamen ponenda in cælo,quod nullam poteſt excipere qualitatem patibilem, ſed illi corpori fuit à natura impertita,quod inter corpora qualitatibus patibilibus affecta excellit dignitate,id verò eſt ignis, qui inter elementa,quorum ſunt patibiles qualitates, primum obtinet locum dignitatis. Optima autem ratione Ariſtoteles dedit cælo corpori ſimplici nobiliſſimo conuerſionem motum præſtantiſſimum,quoniam omne corpus ſimplex ſua natura eſt aptè natum motu cieri, & conſentaneum eſt corpus ſimplex præſtantiſſimum agi motu præſtantiſſimo. Nec rurſus qualitates cælo tributæ ſunt propriæ

caloris,

Digitized by Google

caloris, fiuntque à calore exuperante, nam tenuitas coniuncta conſtantiæ & ſoliditati ex calore non exiſtit; neque ab eodem albedo ſemper manat, atque huius argumento eſt nix, quæ cum ſit alba, vim continet frigiditatis: nec præterea lux, quæ in multis corporibus cernitur à calore diſiunctis. Vt tollatur poſtrema argumentatio, non multum hic eſt laborãdum, quoniam in diſquiſitione de lumine expoſuimus modum, quo de ſententia Ariſtotelis fit calor à Sole non calido non eſſe adeo improbabilem, vt non commode poſſit ab omni reprehenſione vindicari. *Ad 4.*

Motus ignis in orbem neque ſimplex eſt, neque ineſt aut ſecundum naturam, aut ſupra naturam. Cap. XIV.

PRofligauimus argumenta, quæ Ariſtotelis placito videbãtur aduerſa, nunc obiectionem eidem infeſtã purgabimus, quę omnium Peripateticorum animos vehementer fatigauit, eaque eſt; Ignem in lunæ cauo poſitum in orbem moueri & communis eſt omnium Peripateticorum opinio, & eo argumento nos Ariſtoteles docuit *in lib. 1. meteor.* quòd ſtellæ crinitæ in igne accenſæ in orbem ducj cernantur. At verò ſi eſt id, non verè fuit à nobis aſſũptum & monſtratum ignem nullo pacto circulari motu cieri. Vt hæc obiectio diluatur, conſiderandum eſt, cuiuſmodi ſit hic motus ignis orbicularis. Cùm motus circularis in ſimplicẽ, & mixtum diuidatur, Philoponus, & alij voluerunt hũc ignis motum eſſe in numero ſimplicium motuum eo adducti, quòd motus ſimplex eſt corporis ſimplicis, & motus mixtus corporis mixti *in l. 1. de cælo 7.* Hi non ſunt audiendi, nam ignem non poſſe ferri motu ſimplici circulari conficitur Ariſtotelica argumentatione, qua *in lib. de cælo 10.* monſtratur nullum elementum grauitate, aut leuitate prȩditum in orbem moueri aut ſua natura, aut contra natura: & hunc ignis motum eſſe mixtum id declarat, quòd igne vi cæli in orbem acto quędam ipſius partes aſcendunt, aliæ deſcendunt; quædam ad læuam, aliæ ad dexteram mouentur, & denique aliæ multis, varijſque modis aguntur; ex quo fit, vt hic motus in mixtis numeretur. His reſiſtit Philoponus apud Simplicium *in com. lib. 1. de cælo,* quoniã licèt hac motione partes ignis diſiectæ aliæ ſurſum, & aliæ deorſum ferantur, & aliæ ad læuam, aliæ ad dexterã, non propterea huic motui adimenda eſt ſimplicitas, quandoquidem motus ſimplicitas, quæ eſt in igne ſurſum euolante, & in aqua deorſum labente, nequaquam tollitur, etſi huius, & illius partes ventorum vi agitatæ huc, & illuc ferantur; cælum præterea motu circulari ſimplici cieri nemo non affirmat, cuius partes nunc ſurſum attolluntur, & nũc deorſum

Ignis in orbem mouetur.

Ignis motus circularis ſimplex ne an mixtus.

Philoponi & aliorũ opinio.

Cõfutatio

Philoponi reſiſtẽtia.

deorſum labuntur: idque ſtellæ erraticæ nobis confirmant, quæ nō alia rōne fiūt nobis propinquæ, & à nobis remotæ, niſi quia in apiciclis, & accentricijs delatæ mō ſurſum, modo deorſum mouētur. Hic

Repulſio.

non rectè reſiſtit, nam cum motus ſimplicitas ſequatur ſpacij ſimplicitatem, nequit fieri, vt motus ignis ſurſum euolantis, aut aquæ deorſum labentis ſit ſimplex, ſi contingat huius, aut illius partes vētorum vi huc, & illuc depelli. Nec præterea vllam cæli partē aut ſurſum aſcendere, aut deorſum deſcendere ex ſtellis erraticis intelligitur, quæ nunquam ſic variant in ſuis motionibus, vt nūc ad nos accedant, & nunc à nobis recedant, ſed perpetuò ſunt à nobis, & à terra æquè diſtantes in nullis apiciclis, & eccentricis infixæ, de his quicquid ſentiant Hipparchus, & Ptolemæus, atque horum ſectatores aduerſus quos hic non eſt locus idoneus inſtituendi diſputationem. Sed ſi quoque datum fuerit ſtellas erraticas ab epiciclis, & accentricis delatas ſurſum, deorſumque ſimplici motu ferri, hinc tamen non erit concludendum ignem aſcendentem, ac deſcendentē ſimplici motu cieri, quoniam ignis ſic aſcendit, & deſcendit, vt alio motu aſcendat, & alio contrario deſcendat: & ſtellæ erraticæ vno, eodemque motu aſcendunt, ac deſcendunt: Quapropter harū motio erit ſimplex: & illius motus ex aſcenſu, & deſcenſu mixtus.

Reſponſio ad Philoponi argumentum.

Argumentum, quod impulit Philoponum, & alios, vt crederent, motum ignis in orbē eſſe ſimplicem, confutatur, quòd motus mixtus, qui ab Ariſtotele fuit ademptus corporibus ſimplicibus, & ijs, quę compoſita ſunt, tributus, eſt ille motus mixtus, qui eſt naturæ propoſitus, naturaliſque appellatur, quique propterea obtinuit à natura inſtrumenta, quibus efficiatur, veluti eſt animalium inceſſus: nam cum ſimplicia corpora nullis inſtrumentis ſint diſtincta, nulla ratione fieri poteſt, vt hoc motu mixto cieantur: hoc autem moueri poſſunt mixta corpora, non quidem omnia, ſed quæcunque ex partibus ſunt compoſita, quibus tanquam inſtrumentis hic motus conficitur: qua e re cautè ſcripſit Ariſtoteles hunc motum eſſet corporum compoſitorum, & non mixtorum, quoniam corpus mixtū in eo, quòd eſt mixtum, nullis inſtrumentis diſtinguitur, ſine quibus non exiſtit corpus compoſitum. Verum enim verò cum præter hunc motum ſit alius motus mixtus, qui naturæ non eſt propoſitus, & non naturalis dicitur, (quippe qui ijs, quibus ineſt, datus eſt non ſecundum naturam) atque conficitur abſque vllo inſtrumentorum adminiculo, hic ſanè nihil prohibet, quò minus inſit corpori ſimplici: huiuſmodi verò cum ſit motus mixtus circularis igni tributus, non eſt, vt eripiatur corpori ſimplici, cuius quidem eſt cieri motu ſimplici ſecundum naturam, ſed nihil vetat, vt id agatur hoc motu mixto non ſecūdum naturam. Nunquid verò hic motus mix

tus

Digitized by Google

tus in igne ſit ponendus præter naturam, ac alio quodam modo, magnam habet dubitationem. Peripateticorum plurimi cum non ignorarent Ariſtotelem conficere nullum elementum habens grauitatem, aut leuitatem in orbem moueri præter naturam, quoniā vni multa eſſent contraria: ac præterea aſſeuerare motum, qui alicui ineſt præter naturam, alijs ineſſe ſecundum naturam: & deniq; oſtendere corpora cæleſtia, quæ mouentur in orbem, non conuerti præter naturam, quòd mirabile ſit motum circularem, qui ſolus eſt continuus, atque perpetuus, præter naturam his corporibus ineſſe, cùm in cæteris omnibus, quæ præter naturam ſunt, citò corrūpantur, nec diuturno tempore maneant, aſſeuerauerūt hunc ignis motum, qui in nullo corpore ſecundum naturam cernitur, & ſempiterno tempore perſeuerat, non ineſſe igni præter naturam, ſed alio quodam modo. In hoc autem explicando ſunt inter ſe diuiſi.

Ignem moueri in orbem neque ſecundum, neque præter naturā opinio multorum.

Pleriqúe cum Damaſcio, & Simplicio motum ſupra naturam inducentes, qui virtute corporis ſuperioris in inferiore imprimitur, huiuſmodi eſſe dixerunt & motum, quo ignis à cælo circunducitur, & conuerſionem, qua ſphæræ erraticæ ab inerrante ducuntur ab ortu in occaſum. His non accedo, quoniam hoc motu dato dandum non erit Ariſtoteli *in lib. 1. de cælo, c. 4.* omnem motum aut eſſe ſecundum naturam, aut præter naturam: & eodem in igne poſito ruit argumentum, quo poſt paulò in eodem libro oſtenditur corpus, quod verſatur in orbem, non eſſe ignem, quod motus circularis non minus præter naturam inſit in igne, ac motus ille, quo infera loca petuntur. Ab his vt ſeſe expediant huius motus ſupra naturā amatores, inquiunt hi, cum Ariſtoteles ſumit omnem motum eſſe aut ſecundum naturam, aut præter naturam, ei vocem præter naturam ſignificare non ſolùm, quod naturam oppugnet, & naturæ contrarium eſt, ſed etiam quod ineſt non ſecundum naturam, atq; in hac ſignificatione motum præter naturam dilatari ad motum ſupra naturam, qui non ineſt ſecundum naturam; qua ex re hoc motu dato non eſſe fidem Ariſtoteli adimendam ſumanti omnē motum aut eſſe ſecundum naturam, aut præter naturam. Nec rurſus eodem poſito in igne inquiunt argumentationem, qua docemur ignem non eſſe illud corpus, quod ducitur in orbem, & cælum appellatur, quoniam ſi aliquis ſtatuat ignem eſſe corpus huiuſmodi, hic neceſſe habebit fateri ignem obtinere altiſſimam huius vniuerſitatis ſedem, ſupraque ignem non eſſe ad vllum corpus præſtabilius aſcenſum: quapropter confiteatur oportet ignem in orbem verti non ſupra naturam, quod ſupra ipſum non ſit vllum corpus conſtitutum, cuius motu ſupra naturam cieatur, ſed omnino contra naturam, nec ſecus, ac feratur infera loca petens. Hi nō rectè ab

Damaſcius.

Simplicius

Ignem moueri in orbem ſupra naturam, opinio quorundam.

Cōfutatio.

Reſponſio.

Repulſa

ijs, quæ

iis,quæ fuerunt obiecta,ſeſe vendicant, nam vox præter naturam ſignificat Ariſtoteli id,quod naturam oppugnat,& naturæ eſt aduerſum,quippe qui vbi aſſumpſit motum omnem eſſe aut ſecundū naturam,aut præter naturam,continuò adiungit motum eum,qui ineſt alicui præter naturam, alij ineſſe ſecundum naturam atq; id explicando inquit hoc cerni in illis motibus,quibus ſurſum & deorſum itur,nam horum illum, quo ſurſum petitur, quia terræ ineſt præter naturam, igni ineſſe ſecundum naturam; & illum, quo itur deorſum,quia igni datus eſt præter naturam, terræ ſecundum naturam fuiſſe impertitū. Quapropter ne explicatio diſcordet ab eo, quod explicandum aſſumitur,neceſſe eſt, vt præter naturam in aſſumptione poſitum illius ſit modi,cuius eſt præter naturam,quod tribuitur motui terræ ſurſum latæ,& motui ignis deorſum labentis:id autem eſſe præter naturam aduerſum naturæ non eſt,vt cuiquam ſit dubium. Adiungendum eſt Ariſtotelem in tex. 10. eiuſdem libri hanc eādem aſſumptionem habere in animo propoſitā, cum inquit conuerſionem, ſi non ſecundum naturam ineſt corpori,quod circūfertur,neceſſarium eſſe huic præter naturam ineſſe; & hoc in loco vocem præter naturam ei perſpicuè ſignificare, quod naturæ eſt contrarium,quando quidem ſtatuat motum,qui eſt præter naturam,ei,qui eſt ſecundum naturam, aduerſum, contrariumque eſſe. Quinetiā hoc motu ſupra naturam conceſſo fruſtra eſt Ariſtoteles, dum perſuadet ignem non eſſe illud corpus, quod circumfertur,nam tametſi iuxta Ariſtotelis dogma, quod alicui tribuit motum per mundum efficientis, id neceſſariò ſit corpus;ac propterea ſi ignis ponatur cælum,eius motus non poſſit appellari ſupra naturam,quod ſupra cælum non ſit vllum corpus cōſtitutum,à quo motum accipiat, attamen cum Plato voluerit primam cauſſam motus effectricem eſſe animam,atque ab anima motum in corpora fluere, reſpondebunt huius aſſeclæ motum ſupra naturam eſſe nō ſolùm eum,qui à corpore ſuperiore tribuitur, ſed illum prætereа,qui fluit à natura magis præſtabili,tametſi hęc fuerit ſine corpore:quapropter ignis motum eſſe ſupra naturam, qui tribuitur ab anima quouis corpore præſtantiore.

Motus ſphærarum erraticarum ab ortu in occaſum cuiuſmodi ſit. Cap. XV.

DVbitabit aliquis,ſi motus ſupra naturam Ariſtoteli eſt improbabilis,cuius generis iuxta eius ſententiam erit is motus, quo ſphæræ erraticæ à prima ductæ feruntur ab ortu in occaſum? Hęc dubitatio non eſt contemnenda,& in ea explicanda authores in va-

rias

rias opiniones diſtrahuntur. Fuerunt nonnulli, qui exiſtimãtes mo- *Opin. prima.*
tum ab ortu in occaſum eſſe contrarium motui ab occaſu in ortũ,
atque nulla ratione fieri poſſe, vt corpus idem contrarijs motibus
cieatur, hanc motuum diuerſitatem è cælis abſtulerunt, atque horũ
alij aſſeruerunt cælos dumtaxat moueri ab occaſu in ortũ; & cauſ-
ſam cur cæli nobis appareant duci ab ortu in occaſum, in eo poſitã
eſſe, quòd terra celerrimè circumferatur, & nos cum terra circum-
lati multo velociore motu, quam cæli, ab occaſu in ortũ feramur. *Nicolaus*
Huius opinionis author fuit Nicolaus Copernicus egregius ſanè *Copernicus.*
cæleſtium motuum obſeruator, ſed obſoletæ Ariſtarchi, & Nicetę
opinioni de motu terræ nimis addictus. Alij cõtra, vt Alpetragius *Cõfutatio*
vir inter Arabes non obſcurus, ſolo motu, qui eſt ab ortu in occaſũ *Opinio ſecunda.*
contenti contrarium motũ de cælis eiecerunt, & cauſſam, cur ſphę- *Alpetrag.*
ræ erraticæ videantur ab occaſu in ortum moueri, in eo conſiſtere
dixerunt, quoniam cùm hæ quò longius abſunt à prima, eo tardius
circumferuntur, nobis appareat ab occaſu in ortum ſenſim regre-
di. Verùm non eſt, vt his aſſentiamur, quibus perſuaſum eſt Aſtro- *Confut.*
nomos tam veteres, quàm recentes argumentis minimè leuibus
declaraſſe vtrumque motum in cælis ponendum eſſe. Voluerunt *Tertia op.*
alij, vt Auguſtinus Ricius, & Orontius, ſingulos cæleſtes globos *Auguſtin. Ricius.*
proprijs motibus ab occaſu in ortum cieri, & vniuerſam cæleſtiũ *Orontius.*
corporum conſtitutionem ab ortu in occaſum deferri. His quoque *Confut.*
non eſt, vt tribuatur aſſenſus, quoniam ſi totum vno motu cieatur,
& ſingulę huius partes motibus huic contrarijs agantur, ſequitur,
vt vno, eodemque tempore totum ipſum motibus contrarijs duca-
tur, quandoquidem totum non eſt quippiam præter ſingulas ſuas
partes vna iunctas. Sanè nihil prohibet, dum totum mouetur, aut
vnam, aut plures eius partes motu contrario agi, idque licet intueri
in animantibus gradientibus, & nequit fieri, vt ſingulæ nulla exce-
pta cieantur motu contrario motui, quo ducitur totum. Piccolo- *Quarta*
mineus *in lib. de cælorum motoribus, cap.* 20. ſtatuit motum ab ortu in *opin Piccolominei.*
occaſum tribui ſphæris erraticis non à prima ſphæra, vt Aſtrono-
mi putant, ſed à proprijs ipſorum motoribus, qui cum duobus mo-
dis poſſint ſpectari vel qua ex parte ſunt participationes primi mo-
toris, vel qua ex parte ſunt mentes quædam à primo motore, men-
teque prima ſecretæ, ſi priore modo ſpectentur, pellunt proprium
orbem motu primi motoris, qui eſt ab ortu in occaſum: ſi poſterio-
re, tribuunt alterum motum, qui eſt in ortum ab occaſu. Hæc opi- *Confut.*
nio non caret difficultate, nam vt mittam mentes ſeparatas nõ mo-
uere per modum efficientis, cæleſteſque motus non habere cauſſã
effectricem, rogo, nunquid hi duo motus ſint contrarii, an vnius,
eiuſdemque ſpeciei: ſi ponantur contrarii, quod ſphęrarum errati-

carum,

carum motoribus ex communi natura tribuitur, id erit aduerſum illi, quod comitatur proprias ipſorum naturas, id quod non eſt ferendum: Enim verò cuique poſt primum motori datum eſt in eo, quod eſt primi motoris participatio, mouere ab ortu in occaſum, quod pugnat cum eo, quod ei peculiariter accommodatur, quodque eſt in ortum ab occaſu mouere: Sin verò vnius, & eiuſdem ſpeciei inducantur, nō intelligo, cur reliqui poſt primum motores in eo, quòd ſunt primi motoris participationes, nequeant ab occaſu in ortum mouere, vnumque duntaxat motū tribuere, atque ſibi eripere, onus ciendi proprium orbem abſque vlla neceſſitate multis eiuſdem ſpeciei motionibus. Præterea hi motores & hæ mentes ſphærarum erraticarum motrices vel ſunt naturæ penitus ſimplices, vel ex duabus naturis compoſitæ, quarum altera participat, & altera participetur. Si omnino ſimplices ponātur, in eis non alia erit natura propria, & alia primi motoris participatio; ex quo fit, vt quocunque conſiderentur modo, ſemper eodē moueant motu: Sin compoſitæ, in eis aliquid erit materiæ ſimile, & aliquid ſimile formæ, quod ex duabus naturis non poſſit vnum quippiam per ſe fieri, niſi earum altera ſit materia, aut inſtar materiæ, & altera forma, aut iſtar formæ; quod ſi ita eſt, planè quod in his mentibus dicitur primi motoris participatio, par eſt, id eſſe formam, vel formę ſimilitudinem habere: atqui vnunquodque ſuo actu, ſuaque forma a cæteris diſtinguitur, ergo hæ mentes in eo, q: ſunt primi motoris participationes, inter ſe differant, eſt neceſſe: quapropter tantum abeſt, vt hoc modo conſideratæ motibus ſimilibus moueant, vt diſſimilibus mouere oporteat. Auerroes in lib. 2. de cęlo com. 42. & 44. in epit. poſtna. tract. 4. atque in diſput. 3. aduerſus Algazelem in ſol. 28. dub. ſtatuit cælum eſſe veluti quoddam animal magnum, cuius partes, & membra ſint ſingulæ ſphæræ, atque hoc ſua natura moueri tanquam motu proprio ab ortu in occaſum, & cum eo omnes ſuas partes, quòd dum mouetur totum animal, omnes ſuę partes, omniaque ſua membra neceſſariò ipſius motum accipiant; hincque colligit motum diurnum ab ortu in occaſum non eſſe proprium ſupremæ ſphæræ, vt Aſtronomi cenſent, quippe qui ſit motus totius cęli, nec præterea violentum eſſe ſphæris erraticis, ſed naturalem, nam quemadmodum motus, quo animal caducum progrediendo cietur etſi in corde primū principium habeat, attamen naturalis eſt ſingulis ſuis partib. quæ præter hunc proprijs quoque motibus aguntur, eodem modo motū diurnum, quo cælum vniuerſum ſua natura circunducitur, naturalē eſſe ſingulis cæli partibus, ac ſphæris, quibus præterea dati ſunt à natura motus proprij, quibus ab occaſu in ortum conuertuntur.

Vnum per ſe non fit ex duobus niſi horū alterū ſit materia, vel inſtar materiæ, & alterū forma, vel inſtar formæ.

Quinta opinio Auerrois.

Hæc

Hæc Auerrois opinio etſi Zabarellæ in lib. de motu ignis in orbē *Zabarel-*
fuerit probata, mihi tamen non explet animum, quoniam cælum *la confu-*
vniuerſum non eſt vnum animal, cuius vna ſit anima informans, *tatio.*
& animans omnes eius partes, ſed tot in cælo ſunt animæ, quot cæ-
leſtes globi: Nec rurſus verè dicitur totius partes moueri ſecundū
naturā motu totius, quoniam, vt ſcribit Ariſtot. in lib. 8. phyſ. 27.
animal quidem totum natura mouetur, corpus verò, & partem il-
lius contingit natura, & præter naturam moueri: refert enim &
quali motu moueatur, & ex quali elemēto conſtet. Cū igitur ſphę
ræ erraticæ non habeāt vllā inſitam propenſionē ad motū ab ortu
in occaſum, quia his inſita eſt propēſio ad motū, qui contrario mo-
do efficitur, & in vno ſimplici corpore nō poſſunt ineſſe variæ ad
varios motus propenſiones, ſequitur, vt hic motus diurnus ſphæris
erraticis nequaq̃ ſit naturalis. Quocirca multò probabilius eſſe opi
nor ſtatuere hūc in ſphæris erraticis motum non eſſe naturalē, & *Opinio*
ſcđm naturā, ſed ſcđm accidēs, nec ſecus has ſphęras cieri hoc mo *propria.*
tu, ac totius partes moueātur motu totius: Cū.n. motus extimę ſphę
rę ſit motus totius mūdi, par eſt, dū hæc ab ortu in occaſū vertitur,
eodem motu ſecundum accidens conuerti omnes reliquas mundi
partes vno excepto centro, quod ſua natura eſt immutabile, niſi q̄d
piam impediat. Motum primæ, & extimæ ſphæræ ab ortu in occa
ſum, quem alio nomine appellamus diurnum, eſſe motum totius
mundi ſignificauit Ariſtoteles. in lib. 8. phyſ. 84. & in lib. 2. de gen.
& int. 56. & in lib. 12. poſtnat. 43. quibus in locis hunc motum vo-
cauit motum totius: Eundem motum tribui ſphæris erraticis per
accidens quiſpiam fortaſſe exiſtimabit ab eodem fuiſse ſignifica-
tum *in lib. 8. Phiſ.* 52. vbi ſcriptum eſt moueri ſecundum accidēs
ab alio ineſſe quibuſdam cæleſtibus principijs, quæ ſecundum plu-
res feruntur lationes, hoc eſt Simplicio interpretante ſphæris erra
ticis, quæ præter motus proprios, quibus ab occaſu in ortum mo- *Simpli-*
uentur circa proprios cardines, ducuntur quoque ſecundum acci- *cius.*
dens motu ſphæræ inerrantis ab ortu in occaſum. Non ſum ne-
ſcius Alexandrum hunc locum ita explicaſſe, vt cæleſtia principia
ſignificent Ariſtoteli non cæleſtes orbes, aut ſidera, ſed animas cæ *Alexan-*
leſtes, atque Ariſtotelem velle has eatenus moueri ab alio ſecundū *der.*
accidens, quatenus earum orbes ex accidēti mouētur ab orbe iner
rante; cæterum priore explicatione recepta, & probata, quam Vi-
comercatus, & alij probauerunt, perſpicuè id de quo agitur, ſigni- *Vicomer-*
ficatur: nunquid verò ea, an altera, quæ eſt Alexandri, ſit pluris fa *catus.*
cienda, idoneo loco conſiderabo. Non poſſum hoc in loco vos nō
admonere hanc meam opinionem Alexandro fortaſſe probatam *Alexāder*
fuiſse, nam cum hic in lib. de principijs vniuerſi de ſententia Ari-

ſtotelis ſtatuerit referente Auerroe in tract.4.epit.poſtnat.motorẽ à quo cęleſtes orbes diurno motu cientur,eſse vnum, neque in tot diduci,quot orbes,forſitan intellexit ſphæras erraticas hoc motu cieri per accidens,& propterea in his quærendum non eſse vllum alium motorem præter eum,qui eſt motor totius vniuerſi,primęque ſphæræ. Atque id quoque clarius ſignificauit apud ſimpliciũ *in lib.8.phyſ.com.*108.quo in loco dubitans,qui ſphærę erraticę poſſint à ſphæra inerrante moueri motu diurno,continuo,& ęterno, ſi id,quod mouet,dum mouetur,non poteſt tribuere motum æternum continuum,ſoluit inquiens ſphæras erraticas non moueri à ſphæra inerrante per vim motricẽ,quæ ſit in ipſa,ſed hac à motore immobili mota conſequi earum motum, qui ipſe quoque ſit à motore immobili ſphęræ inerrantis. Porrò etſi motus diurnus ab ortu in occaſum non ſecundum naturam ſit erraticis ſphæris tributus non propterea aut contra naturam,aut ſupra naturam eſt exiſtimandus,quoniam diſtributio motus in eum, qui eſt ſecundũ naturam,& in eum,qui eſt contra naturam,eſt illius motus, qui per ſe,& non ſecundum accidens tribuitur corpori,quod mouetur; atque huius etiam modi ſit motus ſupra naturam,eſt neceſse,ſi huic detur locus inter motus huius vniuerſi; quapropter ſphæræ erraticæ ſic mouentur ab ortu in occaſum,vt in hac motione verſentur ſecundum accidens,neque vllo pacto aut ſecundum naturam, aut præter naturam,aut denique ſupra naturam,quod eſt eorum, quę per ſe,& non ſecundum accidens motui ſubijciuntur. Sed hactenus de hoc ſphærarum erraticarum motu, & ad eum,quo ignis fertur in orbem,regrediamur.

Sphæræ erraticæ mouentur per accidens ab ortu in occaſum, atque ita vt neque ſecũdum, neque præter naturã moueã tur.

Motus ignis in orbem non eſt partim ſecundum naturam,& partim non ſecundum naturam. Cap. XVI.

PLacuit alijs motum ignis circularem inducere partim ſecundũ naturam,& partim non ſecundum naturam; id autem vt ſit, variæ ſunt explicationes. Vicentius Madius vir ætate ſuperiore in hoc Ferrarienſi Gymnaſio,& in hac ſede clariſſimus dicebat ignẽ non ſecus ad cælum ſe habere,atque cælum ad mentem ſeparatã, nam quemadmodum hæc eſt forma cæli, non quidem inhærens, ſed præſidens,& ex ipſa,ac cæleſti corpore vnum quoddam conſtituitur,cuius eſt circulo ferri,eodem modo cælum eſſe ignis formã non quidem inhærentem,ſed aſſidentem,atque ex cælo & igne vnum exiſtere,cuius eſt in orbem moueri. Itaque vt cæleſtis motus partim eſt naturalis,quia fluit à forma cæli,& partim non naturalis,quia mens,à qua procedit,non eſt forma in cælo hærens,cæliũque

Opinio Vicentij Madij.

que

Digitized by Google

que in formans, haud diſſimiliter ignis conuerſionem partim eſſe naturalem,& partim non naturalem, nam cælum hanc tribuere, quod poteſt ignis forma videri, & non videri: eſſe enim formam aſſidentem,& non inhærentem,aut informantem. Diſplicet huius viri explicatio,tum quia cælum non ſecus à mente ſeparata mouetur,atque id,quod intelligit,& appetit,ab eo,quod intelligitur, & expetitur *lib.12.poſt nat.36.* id quod non poteſt in ignem cadere animæ expertem;tum etiam quoniam motus in orbem eo prorſus modo igni tribueretur,quo in cęlo poſitus eſt: quod perſpicuè abhorret à vero,& à dogmate Ariſtotelico. Mitto interim motum eſſe naturalē non intelligi ex principio illius efficiente,ſed ex eo, quod mouetur,cui ad eum inſita eſt propēſio,etſi detur intelligi ex principio mouente,oportere hoc principium intus in eo, quod mouetur,eſſe incluſum,& non poſitum extra,& aſſidēs. Piccolomineus in gradu 2.philoſophiæ moralis cap.15. ſcribit hunc ignis motū non eſſe penitus naturalem, nec penitus violentum, ſed medium, quia non eſt aut ſecundum,aut contra naturam propriam, ſed ſecūdum naturam communem,eminentiorem atque diuinam, & propterea partim ſecundum naturam, & partim non ſecundum naturam eſſe appellandum. Quòd ſi aliquis ſciſcitetur, nunquid ignis vim conferat,ſitque ad hunc motum propenſus,reſpondet ignem bifariam conſiderari, vno modo ratione habita propriæ illius eſſentię,& naturę ſeparatę ab aliis,atque hoc modo vim non cōferre,neque ad hunc motum eſſe procliuem, ſed natura comparatum eſſe, vt ſoli recto motui ſubijciatur; altero in eo, quod eſt mundi pars,mundumque conſtituit,atque hoc modo eſſe aptum,& natū cieri motu totius mundi,qui eſt motus in orbem ab ortu in occaſū. Huic non accedo,quia,vt ſupra quoque aduerſum ipſum diſſerebā, fieri non poteſt, vt alicui ex communi natura id conueniat, quod pugnat cum proprietate,vel impedit proprietatem, quę ipſi congruit ſecundum propriam naturam vt ſi homo in eo,quod eſt animal, ſentit, abſurdū eſt,vt in eo,quod homo habeat quippiā quod ne ſentiat,ſit impedimento:ergo ſi cum propria ignis natura non facit ad motum circularem procliuitas, planè ignis ex communi natura,atque in eo,quòd eſt mundi pars, non erit ad hunc motum propenſus. Deinde ſi quoque ignis fuerit poſitus nō ex natura propria,ſed ex communi pars mundi,id tamen non erit abſque difficultate,quoniam idem iudicium de reliquis elementis eſſet faciendū, quæ ſunt mundi partes,ex cęloque pendent;hoc autem non eſſe faciendum terra eſt argumento,in qua nulla eſt procliuitas ad motū circularem. Præterea quicquid extrinſecus non accedens ineſt alicui,id vel ex forma;vel ex materia illius exiſtit;atqui procliuitas ad

Reprehenſio.

Opin. Piccolomin.

Reprehenſio.

motum circularem non fluit à materia ignis, idque nemo non fatetur; neque ab eius forma, alioquin hic motus eſſet igni prorſus naturalis: non igitur vlla ad hunc motum propenſio fuit igni à natura impertita. Rurſus propenſio ad motum circularem non eſt ſine leuitatis, & grauitatis carentia, nam cęlum in orbem verſatur, quia ſua natura non eſt graue, neque leue: ergo ſi ignis ad hunc motum eſſet propenſus, ſimul careret leuitate, & haberet leuitatē. Poſtremò ſi ignis, vt ignis, eſſet propenſus ad motum, quo itur ſurſū, & vt pars mundi ad motum circularem, vnius corporis ſimplicis duæ eſſent ad motus duos propenſiones: & cùm ille motus ſit ſecūdum naturam, qui ſequitur corporis propenſionem, conficitur, vnius corporis non vnum eſſe motum ei ſecundum naturam tributum, vt ſtatuit Ariſtoteles *in lib. 1. de cælo* §

Op. Zab. Zabarella in lib. de motu ignis in orbem ſcribit hunc motum non eſſe naturalem, ſi motus naturalis vocabulum in ea ſignificatione capiatur, qua ſignificatur motus fluens à principio interiore; nec præterea eſſe pręter naturam ſic, vt oppugnet, lędatque naturam, nam potius naturam ignis fouet, atque tuetur, ſed inter hos motus interiectum, & aliquo pacto vtriuſque ſimilitudinem gerere, ſiquidem quatenus fit à principio exteriore, & non interiore, eatenus ſimilem eſse motui violento, quatenus verò habet vim ignis conſeruatricem, eiuſque violentia non eſt ad interimendam, ſed ad ſeruandam ignis naturā, eatenus poſse appellari potius ſecundum naturam, quàm pręter naturam. Cæli vero motum eſse ignis, igneęque naturæ ſeruatorē ex eo confirmat, quoniam eius beneficio caliditas, quę vel eſt ignis natura, vel ignis naturam ſic comitatur, vt hęc ab illa diuulſa manere non poſſit, incolumis ſeruatur: & in hanc ſententiam citat Ariſtotelem *in lib. 1. meteor. cap. 4.* vbi ſcriptum eſt elementa calida cæli motu fieri calida ac ſeruari; & id quidem, vt ipſe inquit, ratione optima, quoniam motus incitatus vim habet atterendi, inducendique tenuitatem: & ignis dum atteritur. Fitque tenuior, neceſsariò concipit caliditatem.

Reprehenſio. Hæc quoquę explicatio ſuas habet difficultates: enim verò ſi terra in centro poſita nullā deſiderat cauſsā ſeruatricem, non eſt, vt hec cauſsa poſtuletur ab igne in cauo lunę poſito, & ab omni cauſsa interimente, ſibique aduerſa remoto. Et ſi caliditas ignis eſt in propria materia, naturaque habet ſtabilem, & non fluxibilem, quorſum illi tribuitur cauſsa ſeruatrix, quę eorū dumtaxat eſt, quę in fluxu verſantur, vel ſunt infixa in materia ſuę naturę aliena. Et cùm ignis in genere calidorum per ſe ac primùm caleat, quis hinc non concludat tantùm abeſse, vt alicui calorem ferat acceptum, vt contra ipſe reliquis omnibus ſit cauſsa, vt incaleſcant? Et cum ſua natura ſit calidiſſimus, ac tenuiſſimus, quo pa-

cto

Digitized by Google

ctò ſuſcipiet ex cęli motione caliditatis,ac tenuitatis incrementũ. Neque id voluit Ariſtoteles *in lib. 1. meteor. cap. 4.* cuius loci ſenten tia fuit ſupra à nobis explicata aduerſus Teleſium diſputantibus. Demum quamuis minimè diffitendum ſit ignem ferri ad cęli cõ cauum,tanquam ad id,in quo maximè conſeruatur, attamen non eſt dandum cæli motu ignem,ignîſque naturam ſeruari; nam id tã tum abeſt, vt contra cæli motus ignem non mediocriter lædat, quandoquidem cæli motione,vt inquit Ariſtoteles in loco proximè recitato,ignis diſiiciatur,ad inferaque loca depellatur: & motus ad infera pugnet cum natura ignis,qui in locis inferis extraque propriam ſedem longè,lateque diffuſus à reliquis elementis oppugnatur,caſtigatur,& quandoque extinguitur. At quiſpiam dubitabit,ſi ignis læditur cæli motu,cur ſua natura petit ea loca, quæ tenens non poteſt non accipere cæli motionem? Reſpondeo ratione optima ignem ad hæc loca efferri, quoniam in his poſitus conſtituit hanc rerum vniuerſitatem,cuius gratia vel maximè fuit comparatus,minuſque patitur incommoda, quæ poſſunt afferri ab inimicis elementis: Verumenimuero quoniam ignis prætera locum obtinuit in rerum vniuerſitate,vt ex ipſo,& reliquis elementis inter ſe commixtis variæ,ac multiplices orirentur mixtorum corporum ſpecies,oportuit eum ad hæc loca infera accedere, in quibus fiunt mixtorum corporum generationes,nec perpetuò in ſede propria manere;quare merito ac iure is locus fuit ipſi à natura conſtitutus,in quo ſitus diſijcitur,& ad infera loca depellitur. Accedit,quòd cum aer igni contiguus,promptius conuertatur in ignẽ, quàm hic in illum,profectò ſi ignis proprio in loco ſemper maneret inoffenſus,ex perenni aeris in ipſum conuerſione ſic viribus, & magnitudine eſſet auctus, vt iampridem ſublata eſſet illa virtutis æqualitas,qua continetur ſalus elementorum, & vniuerſitatis.

Ignis læditur à motu cæli.

Dubit.

Reſponſio.

Motus ignis in orbem eſt contra ipſius naturam, difficultateſque tolluntur contrarium perſuadentes. Cap. XVIII.

EGo opinor,cùm ignis neque ſecundum naturam, neque ſupra naturam,neque partim ſecundum naturam & partim non ſecundum naturam in orbem moueatur,vt oſtenſum eſt, hunc motum ei tribuendum eſſe præter naturam, quod tantum reliquum eſt;nec momentum habere difficultates, quæ omnes ferè Peripateticos ab hac opinione auocarunt. Prima difficultas eſt: Cum motus præter naturam contrarius ſit motui ſecundum naturam *lib. 1. de cælo* 10. profectò ſi præter naturam ignis agatur in orbẽ, hic motus erit contrarius motui eius naturali, cui cum præterea aduerſus

Prima difficultas.

Digitized by Google

Explicatio. ſit motus, quo itur deorſum, vni multa erunt contraria, quod Ariſtoteli eſt improbabile in loco proximè memorato. Reſpondendum eſt hunc motum planè contrarium eſſe motui ignis naturali, & vni multa eſſe contraria; nam hoc enunciatum: Vnum vni eſt contrarium in libro decimo poſtnat. 14. monſtratum audiendum eſt in iis contrariis, quæ perfecta & extrema contrarietate inter ſe pugnant; quia perfecta contrarietas eſt maxima diſtantia; & vnum ab vno maximè diſtat; minimè vero in iis, quorum contrarietas non eſt perfecta, & extrema, cuius modi eſt repugnantia inter media & extrema; atque in iis, quę duplici tenentur contrarietate, extrema ſcilicet, ac dimidiata, nam hęc cum vni aduerſa ſint extrema contrarietate, nihil vetat, quin pugnent cum alio contrarietate dimidiata; idque cernitur in vitijs eidem virtuti oppoſitis, quę à ſe inuicem maximè extremeque diſtant, & à virtute non extremè; atque id quoque datum eſt motibus, quib. cietur ignis, nam motus ſimplices, quibus infera, & ſupera loca petit. extremè ſunt inter ſe contrarij; his autem motus circularis mixtus, quo ignis conuertitur, non extremè eſt aduerſus. Nec verò propter hoc reprehendenda eſt Ariſtotelis argumentatio, qua conficitur ignem non moueri pręter naturam motu circulari, quod vni multa eſsent contraria; quoniam in hac argumentatione motus circularis ſimplex aſſumitur; quo ſi moueatur ignis, (vt oportet moueri, ſi hic cęlum eſse ſtatuatur) ſequitur vni multa eſſe contraria maxima, & perfecta cõtrarietate, quod inter ſimplices motus nulla niſi maxima, & extrema poſſit eſse contrarietas: At ſi moueatur ignis motu circulari mixto, vni quidem multa erunt contraria, verum non maxima, & perfecta contrarietate, ſed vnum maximè, et alterum non ſummè; enim vero licet motus ſimplex ad medium ſit perfectè, extremèque contrarius motui ignis naturali, huic tamen motus circularis mixtus non maximè contrarius eſt, ſed tanquam medium extremo. Secunda difficultas eſt: Cum motus, qui alicui præter naturam ineſt, in alio ſecundum naturam cernatur *lib. 1. de cælo* 14. ſequitur, ſi ignis hoc motu mixto circulari præter naturam agatur, aliud corpus, cui ſecundum naturam hic motus conueniat, in rerum natura eſse conſtituendum. Soluitur, quoniam hæc Ariſtotelis aſsumptio: Motus alicuius naturę aduerſus eſt alteri naturali; non tam latè patet, vt motus mixtos amplectatur; nec prærerea ad motus quoſcunque ſimplices dilatatur, ſed ad eos ſolum, qui ſunt naturales, & à natura inſtituti. Motus illi ſimplices dicuntur à natura inſtituti, qui in rerum natura locũ obtinuerunt, vt eorum opera corpora ſimplicia fines ſuę naturę cognatos conſequerentur, quorumque vſus eſt naturę propoſitus. Hi quoq; vocantur

Vnum vni eſſe contrariũ in quibus contrarij, audiendum.

Secunda.

Explicatio.

Motus ſimplices naturales qui.

cantur naturalis, quoniam in ijs lineis conficiuntur, quæ vniuerſo naturalis ſunt, quæque ſunt lineæ a centro ad circumferentiam ductæ, & linea circumferentiæ: enim verò cum vniuerſum ſit corpus ſphæricum, atque centrum & circumferentia ſint huius principia lib. 8. phyſ. 84. ſiue, ut inquit Auerroes in com. 76. huius libri, ſint partes, in quas naturaliter corpus ſphæricum diſtribuitur, linea circumferentiæ ac lineæ a cētro ad circunferentiam protractæ erunt lineæ vniuerſo naturales; quare quicunque motus ſimplices in his fiunt, hi nominantur naturales. Ex his intelligitur licèt corpora naturalia quandoque motu ſimplici ferantur interdum ad læuam, & interdum ad dexteram præter naturam, non propterea vlla ſimplicia corpora eſſe inducenda, quibus hi motus ſecūdum naturam tribuantur, quoniam hi motus ſimplices non ſunt naturales, naturæque propoſiti: Eadem ratio eſt illius motus, quo in gyrum mouetur rota, quemque iniuria plerique negant ſimplicem eſſe, cum fiat in ſimplici ſpacio. Neque hos debebat deterere, quod Ariſtoteles *in lib. 1. de cælo 5.* ſcribat duos tantum eſſe motus ſimplices rectum, & circularem, qui eſt circa medium mundi, quoniam is hoc in loco eos ſimplices motus duntaxat habet propoſitos, qui ſunt vniuerſo naturales, naturæque propoſiti, hocque paulò poſt aſſeuerat eſſe corporum ſimplicium, & mixtos corporum compoſitorum.

Tertia.

Tertia, & poſtrema difficultas; qui fieri poteſt, vt ignis præter naturā agatur in orbem, cum hæc ignis conuerſio nunquam deficiat; & in omnibus, quæ ſunt præter naturam, ea cito intereant *lib. 1. de cælo* 15.

Explicatio Conciliatoris.

Conciliator in differentia 14. expendens hanc enūtiationem; Nullum violentum eſt perpetuum; eam ita interpretatur, vt ſententia ſit nullum violentum eſſe perpetuum, niſi cauſſam habuerit ſuæ perpetuitatis effectricem.

Confutatio

Hæc interpretatio & rudis eſt, & non Ariſtotelica; rudis eſt, quoniam dum cadit in quæſtionem, an quippiam violentum ſit perpetuum, in quæſtionem venit, nunquid violentum quippiam habeat cauſſam, ex qua conſequatur perpetuitatem, quoniam omnis quæſtio eſt quæſtio cauſſæ initio lib. 2. poſt. analyt. itaque dicere violentum eſſe perpetuum, ſi cauſſam habuerit ſuæ perpetuitatis; perinde eſt, ac ſi diceretur violentum eſſe perpetuum, ſi fuerit perpetuum; vel violentum cauſſam habere perpetuitatis, ſi cauſſam habuerit perpetuitatis; id autem prorſus eſt rude ac hominis imperiti. Non eſt præterea Ariſtotelica, quoniam ea conceſſa facilis erit confutatio argumenti Ariſtotelici, quo *in lib. 1. de cælo.* 15. conficitur corpus, quod circunfertur, non circūferri præter naturam, quia in omnibus quod eſt violentum, & præter naturam, id citiſſimè perit.

Explicatio Zimaræ.

Zimara in theor. 19. ſentit nullum violentum eſſe perpetuum per ſe, at ex accidenti poſſe fieri perpetuum

Enim

Enim verò licèt nulla cauſsa naturalis per ſe producat effectũ vio duraturũ, fieri tamẽ poteſt, vt id contingat ex accidenti, id quod lẽtũ perpetuò cadit in id, de quo agitur, quodque facit propoſitã difficultatẽ ſi quidẽ cũ cælũ perpetuò verſetur in motu, atq; accidat in eo, quod perenniter mouetur, ignẽ ſub ipſo cõtineri, cõficitur, ut ignis ex accidenti perpetuò circumferatur præter naturam. Hic non eſt audiendus, nam ſi in omnibus, quæ ſunt præter naturam, hæc citiſſimè pereunt, vt inquit Ariſtoteles, ſatis conſtat, quod eſt præter naturam, & violentum, id ſua natura eſse caducum, quia qđ ſemper fit, aut maiori ex parte, id naturæ tribuendum eſt, quod vero eſt huiuſmodi, id munere alterius vel per ſe, vel per accidens nõ poteſt conſequi ſempiternitatem *ſub exitum lib. 1. de cælo*. Alij aliter ſentiunt de propoſita difficultate, quæ ſanè non eſt multi faciẽda, quoniam ſententia Ariſtotelis eſt nullum motum perpetuum, qui ſit vnus, & continuus, eſse præter naturam; ex quo conficitur fieri non poſse, vt ignis ſit illud corpus, quod circulo fertur, quodque cælum nuncupamus: nam cum ſolus huius corporis motus ſit continuus, atque perpetuus: & motus circularis igni non poſſit niſi præter naturam ineſse: motus continuus, atque perpetuus eſset præter naturam, quod eſt mirabile, cum in omnibus ea intereant citiſſimè, quæcunque ſunt præter naturam. At vero motus mixtus circularis, qui fuit a nobis poſitus in igne præternaturam, non eſt continuus: quocirca non eſt, vt cuiquam videatur mirabile, ſi is nunquã deficiat. Hunc motum non eſse continuum illud perſuadet, quia vt motus ſit continuus, oportet id, quod mouetur, idem numero ſemper manere, neque vllam accipere varietatem ſic vt vno tempore ſit vnum, & alio tempore aliud; id autem non cadit in motum ignis circularem, quoniam idem numero ignis non perpetuo ſubijcitur huic motioni, tum quia ignis non eſt numero perpetuus, tametſi nũquam deſerat rerum vniuerſitatem, quod ipſius partibus, quæ extinguuntur, aliæ generatæ ſuccedant: tum etiam quia igne cæli motione diſiecto multæ illius partes ad infera loca pelluntur, quibus aliæ ex locis inferis ſuccedunt ignis vniuerſitatem complentes. Atque hactenus de motu ignis in orbem.

Confutatio.

Explicatio propria.

Cælum non eſſe compoſitum ex forma & materia quibus argumentis ab Auerroe, & ab alijs fuerit confirmatum. Cap. XVIII.

CONſtitutum eſt cælum eſse corpus ſimplex, ſuaque natura diuerſum ab ijs corporibus ſimplicibus, quæ grauitate, aut leuitate prædita recta latione mouentur, nunc veniat in conſiderationem, nunquid ita ſimplex ſit, vt reſpuat formæ, & materiæ compoſitionem.

ſitionem. Plerique arbitrantur cęlum eſſe ſubſtantiam ſimplicem, neque ex forma & materia vllo pacto componi, quorum multæ, ac variæ ſunt argumentationes. Et primũ nonnulli ita argumentãtur. Cum mundus ex perfecta elegantia, ſingularique ornatu inuenerit mundi nomen; & quoniam vniuerſas naturas corporeas in ſe continet, vocetur vniuerſum, ne amittat hanc appellationem, & ne ei quicquam deſit, quod faciat ad ſpecioſam ipſius pulchritudinẽ, quæ ex corporum varietate exiſtit, in eo ponenda eſt natura corporea, quæ non ſolum non ſit conflata ex quatuor elementis, ſed p̃terea non excipiat formæ & materię compoſitionẽ; atqui præter cęlũ nihil, quod huius ſit modi, nobis occurrit huius vniuerſitatis corpora contemplantibus; natura igitur cæli ſine vlla formæ & materiæ compoſitione conſtabit. Durandus *in lib. 2. ſent. diſt. 12. quæſt.* 1. vtitur hoc argumẽto: Cùm Dei natura ſit ſummè ſimplex, conſentaneum eſt quæcumque ex ipſo pendent, quò propius, aut remotius ſunt ab eo poſita, eo minorem, aut maiorem habere compoſitionem: Porrò cum tres ſint compoſitionum ſpecies, vna ex ſubſtantia & accidente; altera ex ſubſtantiis & partibus eiuſdẽ rationis; & tertia ex iis, quorum naturæ ſunt rationis diuerſæ, hoc eſt ex forma & materia; atque hę tres compoſitionum ſpecies ſic inter ſe affectæ ſint, vt prima à reliquis, & ſecunda à tertia diſiungatur, hæc autem non ſine reliquis, & ſecunda non ſine prima conſtet, planè quoniam ſola prima compoſitio fuit Angelis conceſſa, & corporibus caducis omnes fuerunt tributæ, conſentaneum eſt cæleſtia corpora, quæ longiùs quàm Angeli, & propius quàm corpora natiua abſunt à Deo, ſolùm primam, & ſecundam compoſitionem in ſe coercere, & quod relinquitur hæc eſſe diſiuncta à compoſitione ex forma & materia. Auerroes *in lib. de ſubſt. orbis* ideo dogma his confirmauit; ſi natura cæli eſſet compoſita ex materia & forma eo modo, quo hæc caduca, cælum eſſet natiuum, & caducum; atqui id falſum eſſe intelligitur ex Ariſtotele *in lib.* 1. *de cælo;* non igitur cælum ex forma & materia compoſitum eſt. Connexum illud cõfirmat, quoniam in compoſitis ex forma & materia ſita eſt poteſtas excipiendi terminos contradicentes, id eſt eſſe & non eſſe, quę nũquam à materia eſt diuulſa: hæc autem poteſtas aliquando in actũ ducatur, oportet, quoniam poteſtas naturalis fruſtra eſſe nõ poteſt; id autem quoniam non fit ſine generatione, & interitu, ſequitur, ſi cælum ex forma & materia ſit conflatum, ipſum minimè æternũ eſſe. Idem *in lib.* 1. *de cælo com.* 20. ita argumentatur: ſi cælum ex forma & materia eſſet compactum, haberet contrarium; id quod in falſis ponendum eſſe oſtenſum eſt *in lib.* 1. *de cælo.* Conſequutionem illud perſuadet, quòd nulla forma ſit in materia, quæ ſit libera ab

Quorũdã argumẽtũ.

Mundus vnde dictus.

Mundus cur vniuerſum appelletur.

Dur. arg.

Compoſitionũ tres ſpecies.

Auerrois 1. argum.

Alterum argum.

K omni

omni contrarietate: atque huius id eſt argumento, quòd cum ſubſtantia, & natura materiæ in hoc conſiſtat, vt aliam & aliam formam poſſit excipere, contineaturque poteſtate, plane ſi forma carens contrario materiam compleret, hæc, quia eſt perennis, nunquam poſterior à materia diuelli; quapropter poteſtas, quæ eſt in materia, ad multas diuerſaſque formas nunquam exibit in actum, fruſtraque materia à natura erit impoſita, id quod non caret abſurditate. Zabarella *in lib. de natura cæli* multis conatur perſuadere naturam cæli ſimplicem eſſe, quorum primum eſt: Formam in materia reperiri ſola mutatio in ſubſtantia nobis perſuaſit; ſed cælū eſt remotum ab omni mutatione, quæ ſuam attingat ſubſtantiam; ergo non eſt, vt temere aliqua forma in eo ponatur, atque ex forma & materia ipſum componatur. Solam in ſubſtantia mutationē perſuadere materiam eſſe inducendam, quæ formæ ſubijciatur, ex Ariſtotele intelligitur, qui *in lib. 1. phyſ.* ex hac aditum ſibi facit ad materiæ cognitionem, nec vnquam hic, aut alibi alia via progreſſus eſt ad materiæ inuentionem; quod cum Auerroes non ignoraret, ſcripſit *in lib. 1 phyſ. com vltimo, in lib. 2. com. 22. & in lib. 4. com. 38.* primam materiam nō poſſe inquiri, niſi à philoſopho naturali, nec alia via, quàm mutatione in ſubſtantia ſecundum non eſt à primo Auerrois argumento diſſimile, ſed quoniam in eo explicādo multa ponuntur, quæ ab Auerroe fuerunt vel omiſſa, vel neglecta, illud quoque eſt afferendum. Si corpus cæleſte ex forma & materia compoſitum ſit, in interitum poſſerit labi; id quod pugnat cum decretis Ariſtotelicis. Conſequutio bifariā confirmatur, ac vnus quidem modus eam confirmandi eſt; ſi in cælo ſit materia formæ ſubiecta, oportet materiam reſpectu huius formæ habere poteſtatem patibilem, & ad eſſe, ſiquidem forma dat eſſe; verum quoniam omnis poteſtas patibilis, & ad eſſe eſt via ad interitum, atque principiū quo id, cui ineſt, labitur in interitum, ſanè in cælum, ſi ex forma & materia compoſitum ſit, interitus cadat, oportebit. Omnem ad eſſe poteſtatem ducere ad interitum ex eo conſtat, quòd hæc poteſtas ſit quoque ad non eſſe, reſpiciatque contradicentia; idque clarè aſſeuerat Ariſtoteles *ad calcem lib. de interpret. atque in l. 9. poſt nat. 17.* Illud autem eſſe mortale, cui data eſt poteſtas patibilis, intelligitur ex huius poteſtatis diffinitione, quæ *in lib. 5. poſt nat. 17. & in lib. 9. eiuſdem operis* 2. eſt principiū, vt id, cui ineſt, mutetur ab alio, quatenus aliud eſt: enim verò cum omnis mutatio in oppoſitis verſetur, ſitque vel ex non eſſe ad eſſe, vel contra ex eſſe ad non eſſe, neceſſum eſt quicquid in ſe coercet poteſtatem patibilem, id omne interitui expoſitum eſſe. Alter modus eſt, quoniā *in lib. 12. poſt nat.* 30. conficitur cælorum motores eſſe diſiunctos à materia, quippe qu. ſunt

Zab. arg. Primum.

Auerroes.

Secūdum

qui ſunt ſubſtantiæ ſempiternæ: atqui hæc argumentatio non habebit pondus, niſi ſtatuatur omnem formam in materia hærētem eſſe mortalem, & nullo pacto æternam. Tertium argumentum eſt huiuſmodi: ſi cælum ex forma & materia eſſet compoſitum, pręter animam motricem haberet aliam formā, quæ in eius materia hæreret: Id autem non eſt ferendum. Connexum eſt euidens, quia cæleſtis anima non eſt forma, quæ hæreat in materia, cùm ſit mens beata, & ab omni materia ſegregata: Aſſumpti illud fidem facit, quòd forma conſtituēs corpus naturale ſit natura quæ finitur principium motus; quare ſi cælum præter animam motricem haberet aliam formam, in eo aliquis motus conſpiceretur, cuius principium eſſet hæc forma in cælo hærens; ſed in cælo nullus apparet motus præter circularem, cuius cauſſa effectrix eſt mens à materia ſoluta: non igitur præter animam motricem vlla alia forma, tribuēda eſt cælo, ex qua componatur. Sunt denique alij, qui nō ſecus, atque Auerroes, & Zabarella conficiunt cęlum non eſſe ex forma & materia compoſitum, quoniam eſſet caducum, verùm ad connexū confirmandum vtuntur ijs, quæ à Philopono emanarunt, quæque ſunt. Compoſitum omne habet rationem diſſolutionis: hinc Plato *in Timæo* ſtatuit, quod vinctum eſt, id omne ſolui poſſe, quamquam poſſit fieri, vt Dei voluntate nunquam diſſoluatur, quoniam hæc eſt maius vinculum, quàm nexus illi, quibus quæ vincta ſunt, atq; compoſita colliguntur: atque interitus eſt diſſolutio, & diremptio earum partium, quæ ante interitum iunctione aliqua tenebantur; ergo cælum ſi ex forma & materia fuerit compoſitum, naturā habebit, quam interitus, & partium diremptio conſequatur. Deinde nulla forma ſuapte natura eſt apta, quæ in qualibet hęreat magnitudine: verum enim verò quoniam corpus omne poteſt diuidi in infinitum, planè ſi corpora cæleſtia diuidantur, ſectio veniet ad huiuſmodi aliquam magnitudinem, cum qua cæleſtis forma non poterit conſtare; & quod ſequitur huiuſmodi diuiſione forma cęli tādem in interitum delabatur, erit neceſſarium. Præterea quæ conſtant ex forma & materia, ea his opus habent, vt ſint; quæ vt ſint, quorundam indigent, ea ad manendum ex ſe non ſufficiunt, quę vt maneant, non ſibi ſatis ſunt, ſua natura poſsunt non eſse; quæ ſua natura poſsunt non eſse, eorum natura eſt fragilis, atque caduca; ergo ſi cælum ex forma & materia fuerit compoſitum, id huiuſmodi erit, vt in ipſum cadant ortus, & interitus. Atque hæc ex Philopono extiterunt, quibus adiungere poſsumus Ariſtotelis teſtimoniū in hac quæſtione obſeruatum à nemine, idque legitur in lib. 14. poſtnat. cap. 3. Hoc in loco conficitur nullum æternum eſse compoſitum, quoniam quod eſt compoſitum, id habet materiam; &

Tertium.

Aliorum argum.

Plato.

Ariſt. teſtimonium a nemine obſeruatum.

Digitized by Google

Cuius eſt materia, illius eſt ortus & interitus.

cuius eſt materia, illius eſt ortus & interitus; ergo cum cælum eſſe immortale *in lib.1.de cælo* fuerit monſtratum, concludendum eſt ipſum ita ſimplex eſſe, vt non excipiat formæ & materiæ compoſitionem. Hæc ſunt ea, quæ cælo eripiunt ex forma & materia cõpoſitionẽ: quod dogma Græcis omnibus explicationibus vno excepto Philopono probatum fuiſſe ſentit Zabarella *in lib. de natura cæli*: Quòd ſi obijcias apud hos ſæpenumero legi cælum compoſitum eſſe, reſpondet cælum duobus modis poſſe ſpectari; vno qua ex parte coniunctum eſt animæ, mentique motrici: altero per ſe ſolum, menteque motrice ab ipſo ſeparata; atque Græcos, dum inquiunt cælum ex forma & materia componi, priore modo cælum intueri, huiuſque materiam nominare orbem, formam verò animam, menteque motricem; modo autem poſteriore inſpectum ab his poni ſine vlla prorſus compoſitione ex forma, & materia.

Obiectio. *Solutio.*

Cælum non eſt forma ſimplex ſine materia conſiſtens. Cap. XIX.

QVamuis ad tollendam e cælo compoſitionem ex forma & materia multi conſpirauerint, hi tamẽ cum ex Ariſtotele intellexiſſent ſubſtantiam ſimplicem bipartito diuidi, aliamque appellari formam, & aliam materiam, in conſtituenda ſimplici ſubſtantia cæleſtis corporis ſunt inter ſe diſcordes, alijque affirmant hanc eſſe formam, & alij materiam: Quibus probatum fuit cælũ ſtatuere formam ſine materia conſtantem, hi ſuum dogma ita cõfirmant: Cum cælum, vt oſtenſum eſt, ſit ſubſtantia ſimplex, atq; hæc in formam, & materiam diſtribuatur, profectò ſi cælum nõ eſt materia, exiſtimandum eſt ipſum eſſe formam; atqui cælũ non eſt materia, tum quia huius non eſt agere, ſed pati *lib.2.de gen. & int.* 53. & cælum ſumma agendi vi præditum eſt, qua hæc caduca gubernat; tum etiam quoniam materia ſecundum ſe non eſt hoc aliquid, hoc eſt ſubſtantia integra; quæ per ſe, ſuiſque viribus cohæreat in rerum vniuerſitate, cuiuſmodi cælum eſſe nemo non concedit: ergo in formis eſt annumerandum. Hoc dogma ſunt, qui exiſtiment Iamblicho nõ diſplicuiſſe, quod in huius lib. de myſterijs

Argum.

Iambl.

,, Aegyptiorum hæc verba legãtur a Ficino conuerſa. Non fit in cæ-
,, lo compoſitio ex anima & corpore in tertiam naturam vnam, ſed
,, prorſus ad naturam animæ trahitur, atque eſt quaſi viſibilis quædã
,, anima: Fortè cælum eſt lumen ipſum ſine materia, ac ſine dimen-
,, ſione: Dimenſio enim ibi propter amplam eius præſentiam appa-
,, ret: vnde cælum eſt anima cæli ſe ipſam accommodans oculis, re-
,, buſque caducis; atque circulus ille eſt circuitus animæ, lumen eſt

in-

intellectus eiuſdem. Ex his coniiciunt hi Iamblichum in eam opinionem deſcendiſſe, quæ ſtatuit cælum eſſe formam ſimplicem ſine materia cohærentem. Eidem videtur Themiſtius aliquo pacto ſuffragari, qui apud Auerroem *in com. lib. 8. poſt nat. com.* 12. ſcripſit *Themiſtius.* Solem, Lunam, & Stellas aut eſſe formas ſine materia aut ex materia conſtare, quæ dicitur æquiuocè. Sed & eãdem aliquis forſitan ſibi perſuadebit Ariſtoteli fuiſſe probatam ſcribenti *in lib. 1. de cælo* *Ariſtotel.* 93. cum, qui ſimpliciter, & abſolutè pronunciat cęlũ, formã ſignificare; ac preterea ab Auer. amatã, ſi Ficinio ſuam fidẽ adiũgat, qui *in lib. 1. Theol. & in com. lib. de cęlo Plotini* tribuit Auerroi, quod voluerit cęli naturam non eſſe materiam, ſed formam quandam a materia ſolutam, atque dimenſionibus, & quantitati coniunctam; *Auerroes* q̃dque dixerit hanc formam cæleſtem inter diuinas, & naturales formas medium locum tenere, quippe quæ coniuncta ſit dimenſionibus, in quibus cum formis naturalibus conuenit, & a diuinis diſcordat, & careat materia, qua in re cognata eſt formis diuinis, & aliena a naturalibus: atque ea ratione fuiſſe à natura conditam, quoniã hic eſt conſtans eius ordo, vt ab extremo ad extremum progrediatur, cum aliquod medium ſemper interiiciatur. *Naturæ ordo.* Hæc opinio non caret abſurditate, nam cęlum eſt pura, ſimplexque forma, magnitudinis quoque eſt expers, & proſus impartibile, quoniam quantitas, *Confutat.* & diuiſio nuſquam eſt ſine materia; verum id eſſe in falſis & ſenſus declarat, & ratio perſuadet, quoniam ſi cælum nullam habet magnitudinem, & eſt impartibile, non poterit in orbem moueri, cum id, quod eſt ſine magnitudine, & impartibile non eſſe aptũ accipere motum ſit ab Ariſtotele oſtenſum *in lib. 6. phyſ.* Et cum Ariſtoteles *in lib. 1. de cælo* 92. ſcripſerit quod in ſenſum cadit, id omne in materia poſitum eſſe: *& in lib. 8. poſt nat.* 3. ſcriptum reliquerit omnes ſubſtantias in ſenſum cadentes habere materiam; atque *in lib. 12. eiuſdem operis* 10. ſtatuerit omnia, quæ mutantur, ſiue caduca, ſiue æterna non eſſe abſq; materia; & multis interiectis in tex. 51. voluerit illud oẽ eſſe indiuiduum, quod materia caret, qua rõne poteſt ei placere cęlũ, quod eſt aſpectabile, in multas partes diuiduũ, & in perenni motu poſitum, eſſe formam ſimplicem ab omni materia diſiunctam? Nec verò id Ariſtoteli fuiſſe probatum poteſt colligi ex loco memorato, quoniam cæli vocabulum hic ſignificat non cælum, de quo loquimur, cuiuſque naturam inueſtigamus, ſed mundum, huiuſque loci ſententia eſt hæc: *Ariſtotel. loci explicatio.* Cum nominibus potiſſimum formæ ſignificentur, atque hæ bifariam poſſint animo apprehendi, vno modo per ſe ſolæ; altero mixtæ cum materia, ſi nomina abſolutèp roferantur, & ſine vlla nota particularitatis, vt cælum, formæ per ſe ſolæ ſignificantur; ſin vero nota particularitatis adiũ-

gatur

Themiſtius explicatur. gatur, vt hoc cælum, formæ cum materia mixtæ intelliguntur. Nec præterea Temiſtius huic abſurdæ opinioni ſuffragatur, cuius verba ita ſunt accipienda, vt ſenſus ſit ſtellas eſſe ſubſtantias aut materia carentes, aut materiam non habentes, quę verè, ac propriè nuncupatur materia. Nec rurſus eidem Auerroes ſuum calculum adiunxit, in cuius ſententia explicanda Ficinum turpiſſimè falli,

Ficini error. *ut alios interim locos mittam, ex lib. 9. poſtnat. com. 17. & ex paraphraſi in lib. 1. de cælo ſum. 6.* ita clarum & apertum eſt, vt nullus ſit locus dubitationi; Etenim in loco priore nihil prohibet, quò minus cælum ſit materia; at idem eſſe formam nullo pacto fieri poteſt: in poſteriore autem habentur hęc:

Auerrois ſententia. Cum fuerit perſpicuum cæli nullum
,, eſſe ſubiectum, neque contrarium, concludendum erit id ſimplex
,, eſſe nō compactū ex materia, & forma, ſed veluti ad formas abſtra-
,, ctas materiam in actu, magiſque ſimile materiæ, quam formæ, li-
,, cèt neutri horum perfectam ſimilitudinem obtineat: Adumbrat. n.
,, materiam, tum quia ſenſibile: tum quia poteſtatem habet ad locū:
,, tum quia eſt corpus: Aſſimilatur autem formę ex eo, quod exiſten-
,, tiā poſſidet actu, eiuſque ſubſtantia non poteſtate eſt.

Videte quęſo quo modo Aueroes apertiſſimè aſſeuerat naturam cæli corpoream re vera non eſſe formam, atque ad materiam propius, quam ad formam accedere. Et ſanè cū ſentiat Auerroes formam, quod ſit dimenſionibus coniuncta, materiæ acceptum ferre, non eſt, vt ex eius ſententia inducatur forma a materia ſeparata, quæ coniunctā habeat quantitatem, cæteroquin quod eſſet à materia ſolutum, id ſimul eſſet materiæ copulatum: id quod non caret repugnantia. Nunquid verò hæc opinio ita abſona, & a ratione abhorrens ex verbis Iamblichi poſſit hauriri, valde dubius, ancepſque ſum; quando quidem in Iamblicho, quem Nicolaus Scutelius latinum fecit,

Nicolaus Scutelius. verba hunc ſenſum habentia non leguntur, & loco eorum, quæ fuerunt allata, habentur hæc:

Iamblichi locus. *Cælū natura Deorum incorporea ſimile.* Ipſum cęlum corpus eſt (ſi fari liceat) Deorum incorporeę naturę tam ſimile, tam cognatum, vt nihil vel ſimilius eſſe queat, vel cognatius, perinde vt fertur prouerbio, non adeo lac lacti, aut ouū ouo, vel nix nivi cognatione, & ſimilitudine conuenit. Ecce natura diuina vna eſt, cælum pariter ſimplex; Dij impartibiles, cælum quoque non ſectile: Numina immobilia
,, itidem & cælum peregrinas impreſſiones, varietateſque nō admit-
,, tit Si quis etiam Dijs actiones dedicet vnicolores conſtantes, & ad
,, vnitatem maximè accedentes, nonne etiam ipſi cælo vna tribui-
,, tur circulatio? Imitatur ergo corpus cæleſte Deorum tenorem il-
,, lum, qui ſemper eodem modo permanet: currit enim motu ſempi-
,, terno circa idē ſemper, & eadem rōne, eadē via, eodē ordine: Aemu
,, latur etiam diuinam vitam vita ſua ęthereis innata corporibus,

quoniam

quoniam à pugna contrariorum,& à diſſimilitudine,ac diſſidio re ,,
rum differentiam quam longiſſimè abeſt,vt pote ex contrarijs mi ,,
nimè concretum,neque enim ſuum corpus concretum eſt, veluti ,,
noſtrum conſtat corpus: nec anima quidē cęleſtis agglutinata cor- ,,
pori compingitur duobus ex animātibus coeuntibus in vnum,ſed ,,
cæleſtia animantia Deorum vndique ſimilia,& connexa, tota in ,,
totis,& vnicoloria,& ſimplicia ſunt,a concretione prorſus abiun- ,,
cta ea potiſſimum ratione,quod in eis ſuperiora,& meliora vnicè ,,
ſemper, & idētidem ſupereminent,inferiora vero ſequuntur ſupe ,,
riorum penitus principatum,quem nunquam ita ad ſeſe trahunt, ,,
vt ſibi ſuperiora morem gerant; magis inferiora morem induunt ,,
ſuperiorum,cum vniuerſim coeant vnum in contextum, atque in ,,
vnam abſolutiſſimam municipij conſummationem:ideo quodam ,,
modo omnia ſunt incorporea,& diuina: immo Dij rectius appellan ,,
tur,eò quòd dominatur,atque imperat diuinū in eis ſpecimē. Hęc ,,
Iamblicus Nicolao Scutellio interprete,ex quibus nemo fuerit tā rudis,qui conijciat Iamblichum fuiſſe in opinione recitata. Scaliger in lib. I. de plantis ad huius opinionem ſtatuit in cęlo aut nullā eſſe materiam,aut ſi hæc noſtra ponenda eſt,hanc adeo immutatā, vt effecta ſit forma: Cælum enim,quod videmus, materiam eſſe formalē,ſicuti contra formam,quę rebus ineſt inferioribus, factā eſſe materialem. Quæ opinio hunc in modum explicata, nihil eſt, vt accuſetur,nam cum poteſtas ſit materiæ propria, & actus formæ: atque cælum plus habeat actus,quam poteſtatis,corpora autē caduca plus poteſtatis,quam actus,non immeritò quiſpiam exiſtimabit materiam in cęlo non quidem fieri formam,ſed ad naturam formæ accedere,atque (vt ita loquar)formaſcere: in caducis verò formam materiæ conditiones induere,atque materiaſcere. Sed Iāblichum mittamus,& argumentum expendamus,quo hæc opinio fulcimenta. Hoc nititur fundamento ſatis lubrico,nam in eo aſſumitur cælum non eſſe ſubſtantiam,ex forma & materia concretā, quod non eſſe aſſumendum ex hac diſputatione planè conſtabit.

Scaliger.

Argumenti refutatio.

Cælum non eſt materia ſimplex per ſe actu exiſtens. Cap. XX.

QVi tuentur cęlum eſſe materiam,hi repudiata materia,quam Ariſtoteles ſtatuit eſſe generationis principium,quòd hęc nō ſit tanti,vt per ſe ſuiſque viribus cohæreat, & a forma diſiuncta in orbem vertatur, aliam induxerunt, quam dixerunt eſſe naturam integram,ac ſubſtantiam ſuis numeris abſolutam,ſuaque vi conſtare ab omni forma,quæ ipſam perficiat,& in ipſa hæreat, diſſociatam.

Auerroes. Scotus.

tam. Horum princeps eſt Auerroes, quem Scotus *in lib. 2. ſent. diſt. 14. quæſt. 1.* ſic commendat, vt ſcribat eum in hac quæſtione multò rectius, quàm cæteros Peripateticos ſenſum Ariſtotelicum aperuiſſe. Hic ſuum dogma cum multis in locis, tum maximè in lib. de ſubſt. orbis patefecit, atque vt illud amplexaretur, ab his fuit inductus. Et primum Auerroes cælũ conſiderans ea ratione, qua menti motrici eſt copulatum, ſtatuit ipſum componi ex duabus naturis, perinde atque ea, quæ generantur, & intereunt, idque didicit ex eius conuerſione: enimvero cum cæleſtia corpora ex ſe locoq mouẽatur; atque quicquid ex ſe mouetur, ex duabus naturis componatur, quarum vna ſuſcipit motum, altera efficit, quod nequeat fieri, vt idem quatenus idem moueat, & moueatur, motumque efficiat, ſimulque accipiat, ſequitur corpora cæleſtia componi ex duabus naturis. Exquirẽs deinde vtrum hæ naturæ, ex quibus cæleſte corpus componitur, ſint ſimiles illis, ex quibus componũtur caduca, quarum alteram formam nominamus, & alteram materiam, eas eſſe diuerſæ ſpeciei, & naturæ hac ratione putauit: Cauſſæ rerum æternarum eædem eſſe, atque caducarum minimè queunt: corpora cæleſtia ſunt æterna, ergo eaſdẽ cauſſas hæc atque caduca habere non poſſunt. Harum verò naturarum, ex quibus corpus cæleſte componitur, vim & eſſentiam declarans voluit formam, & naturam motricem non pendere ex materia, ſed per ſe conſtare ſolutam à materia; idque ex eo collegit, quia nulla vis, quæ hæreat in materia, atque conſtat per materiam, poteſt infinito tempore mouere, & cæleſtia corpora ſempiterno tempore ſuis à formis mouentur. Naturã verò, quæ ſubijcitur motui, atque accipit motum, aſſeuerauit eſſe corpus ſimplex, non afflatum ex materia & forma, atque mediam quandam naturam & eſſentiam habens inter materiam, quæ omniquaque poteſtas eſt, cuiuſmodi eſt rerum caducarum materia, & beatas mentes, quæ ſunt formæ ſimplices, actuſque puri; eſſe enim corpus ſimplex, in quo non eſt poteſtas ſpectans quemcunq; actũ, ſed tantum poteſtas ad locum; quocirca non penitus ſimile eſſe materiæ rerum caducarum, quia eius poteſtas non refertur ad quemcumque actum: neque etiam omnino ſimile eſse beatis mentibus, quoniam non eſt actus purus, cum in ſe contineat poteſtatem ad locum. Adiecit huiuſmodi corpus eſse quaſi materiam formæ ſolutę: dixit quaſi materiam, quoniam naturæ in formis & ſubiectæ, quam vocamus materiam, duæ ſunt conditiones, vna, vt ſit poteſtate ad formam, quam non habet, accipiendam: altera, vt receptam formã retineat, atque hoc pacto ex ipſa & forma corpus materiale componatur: ex prima conditione magis propriè dicitur materia; ex ſecunda ſubiectum: cùm igitur corpus cæleſte ſuæ formæ ſit perpetuò

Auerroes quibus inductus fuerit calũ eſſe materiã ſimplicem per ſe actu exiſtẽtem.

Naturæ ĩformis et ſubiectæ cõditiones duæ.

tuò actu ſubiectum nec in ſe vllam poteſtatem coerceat excipiendi aliam nouamque formam ; non materia, ſed quaſi materia poteſt videri, multoque accommodatius ſubiecti nomine nuncupatur, quam materiæ. Scripſit præterea corpus hoc, vt in rerum vniuerſitate ſit, & vigeat, non eodem modo eſſe indigens ſuæ formæ, quo caducorum animalium corpora : hæc enim, quod multa habeant aduerſa, & aſſiduè dilabantur, ſenſu, ac vi imaginatrice indiguiſſe, quibus amica compararent, & inimica, nocentiaque refugerent, corpus autem cæleſte, quia nullum habet contrarium, à quo peruertatur, nec ſenſum, nec virtutem imaginatricem poſtulare, ſed tantum animam, quæ motum perpetuum ſibi prębeat, & per quam æterno tempore maneat, deque eſſentia ſua non dimoueatur. Ponit enim Auerroes corpori cæleſti ab hac forma tribui non ſolum motum æternum, ſed etiam ſubſtantiæ incolumitatem æternam, tametſi ſimplex ſit, neque internam propenſionem ad varias formas habeat, vnde ſequatur interitus: cuius rei hanc rationem affert. Ex quo pendet, & fluit alicuius rei propria muneris functio, ex eodem quoque pendet eſſentia ; nam quemadmodum dans formam dat etiam cōſequentia formam, ita quod tribuit actionem, functionemque propriam alicui naturæ, ipſam quoque naturam tribuit, quæ ſine ipſa functione conſtare non poteſt : quocirca cum cælum ſuam actionem, & functionem, ideſt conuerſionem formæ acceptam referre, eidem quoque ſuæ ſubſtantiæ incolumitatem acceptam referat, debebit. Ex his conſtare poteſt, qualem ſimilitudinem, & diſſimilitudinem gerat cælum cum caducis corporibus ad Auerrois ſententiam. Enimuero quod pertinet ad naturam cæli corpoream, quæ accipit motum, hæc ea in re cum caducis conuenit, quia eſt ſubſtantia dimenſionibus prædita: in eo autem diſcrepat, quod in caducis corporibus ſubſtantia dimenſionibus ſubiecta, ideſt materia prima eaſdem quidem numero dimenſiones perpetuo retineat, ſed eaſdem poteſtate, non actu, omninoque interminatas, non terminatas, hoc eſt carentes proprijs terminis, ſed aptè natas quoſcunque accipere a formis aduenientibus : & cæleſtis natura, quæ eandem perpetuo eſſentiam retinet, & generationi atque interitui non ſubiicitur, affecta ſit dimenſionibus actu terminatis, proprioſque terminos habentibus. Rurſus hæc natura cæli in eo conuenit cum materia corporum caducorum, quia eſt res ſingularis, & ſub ſenſum cadens, habetque poteſtatem ad motum, qui ad locum pertinet, ſuſcipiendum ; in eo autem diſcrepat, quoniam ipſa ſemper eſt actu, nec in ſubſtantia poteſt mutari, cum materia corporum mortalium non ſit ſemper ſubſtantia vna actu, & mutari queat ex non eſſe ad eſſe, & ex eſſe ad non eſſe. Quod autem ſpectat ad formas corporum

Animalia caduca cur ſenſu & imaginatrice indiguerint.

Cæleſtis materiæ, & corporū caducorum materiæ ſimilitudo et diſſimilitudo ex Auerr.

Corporũ cæleſtium formæ, & animaliũ caducorũ formæ quo modo ſimiles, & quo modo diſſimiles ex Auerroe.

cæleſtium formæ cum formis caducorum animalium in eo conueniunt, quod eſt conſeruare ſuum ſubiectum, & loco mouere; diſcrepant verò in eo, quoniam non conſtant per ſubiectum, ſed ſolutæ ſtant ab omni mutatione liberæ; id quod animæ caducorum animalium aſſequi nequiuerunt. Ex hac ſimilitudine, ac diſſimilitudine tam materiæ, quam formæ effectum eſt, vt Auerroes ſenſerit cælo, & animalibus caducis tribui non eſt animalis non omnino vniuocè, neque ſimpliciter æquiuocè, ſed medio quodam modo, atque vt aiunt, analogicè, & ex proportione. Hæc eſt Auerrois opinio omnibus tam ſuperioris, quam noſtræ ætatis Peripateticis ſic probata, vt de natura cæli nulla ſit magis trita, magiſque vulgata ſententia.

Mercenarii argumentum.

Hanc Mercenarius nobis perſuadere conatus eſt hoc argumento in dilucidationbus: Forma, & materia in ijs numerantur, quæ ad aliud referuntur, nam alia materia ad aliam formam eſt accommodata *lib. 2. phyſ. 26.* verum cum duo ſint formarum genera, quorum vnum eſt prorſus a materia diſiunctum, ac per ſe conſtans in rerum natura: alterum à materia nunquam diuellitur, cui adeo coniunctum eſt, vt ſine ea non conſtet: duæ materiæ erunt inducendæ, quarum vna nunquam ſit diſſociata à forma, cui, quod ſit, acceptum fert; altera vi ſua conſtet, nec vllam formam expoſtulet, cuius munere cohæreat, & exiſtat: atqui niſi materia conſtituat hoc poſterius materiæ genus, nulla erit materia, quæ hoc genere contineatur; quapropter cõſentaneum eſt naturam cæli corpoream eſſe matriam per ſe, ſuiſque viribus conſtantem.

Confut.

Hæc Auerrois opinio de natura cæli etſi à probatiſſimis noſtræ ætatis Peripateticis defendatur, mihi tamen ſemper viſa eſt non magnopere probabilis, & vt videretur, multa effecerunt.

1. Argum.

Principio nulla eſt neceſſitas, quæ nos cogat inuehere hanc cæleſtem materiam per ſe, ſuiſque viribus conſtantem; nam quod impulit Auerroem ad ponendam hanc naturam cæleſtem per ſe manentem, illud fuit, quoniam abſurdum putauit corpus cæleſte ſubiectum conuerſioni ex forma & matria componi; nos autem paulò poſt aperiemus nullã imminere abſurditatem, ſi cælum ſtatuatur ex forma & materia conflatum, non ſecus ac natiua, caducaque corpora.

Secundũ.

Accedit hanc naturam ab Ariſtotele nullibi fuiſſe ſignificatam, & pro nihilo ſemper habitam tam in naturalibus, quam in poſt naturalibus ſubſtantiam diſtribuente in materiam, formam, & id, quod eſt ex his: Enimuero natura cæleſtis ab Auerroe poſita non eſt materia in hac partitione aſſumpta quod hæc ſecundum ſe non ſit hoc aliquid, hoc eſt ſubſtantia per ſe ſuiſque viribus conſtans ſic, vt certa rerum ſpecie contineatur, & digito poſſit monſtrari, cuiuſmodi eſt ſubſtantia cæli circumlata. Itaque non eſt, vt noſtram aſſenſionem Auerroi ac-

Digitized by Google

accomodemus fingenti cæleſtem ſubſtantiam, quæ nullum habet locum in Ariſtotelica ſubſtantiæ diſtributione. Reſpondebunt *Reſponſio.* forſitan Auerrois aſſeclæ hanc ſubſtantiæ partitionem eſſe caducæ *Euerſio.* mortaliſque ſubſtantiæ; ſed accuſabuntur, quod initio lib. 8. poſtnat. ſubſtantiis diſtributis in eas, quæ ab omnibus conceduntur, & in eas, quæ à quibuſdam propria opinione fuerunt allatæ, hiſque omiſſis de illis, quæ ſunt naturales, ſenſibileſque ſubſtantiæ, & in quibus cælum, cælique partes numerantur, inſtituatur diſputatio, in qua primum affirmatur omnes ſubſtantias ſenſibiles materiam habere, quæ non eſt actu hoc aliquid, ſed potentia, continuoque ſubiungitur partitio ſubſtantiæ memorata: Quapropter quoniã in hãc partitionem veniunt omnes ſubſtantiæ naturales, ac ſenſibiles, non eſt, vt ex ea cælum eiiciatur, quod fuit in ſubſtantiis ſenſibilibus numeratum. Præterea *in lib. 2. de anima* 2. forma finitur id, ſecundum *Tertium.* quod res eſt hoc aliquid, & vero hæc deffinitio non erit abſque crimine, ſi natura cæli corporea inducatur per ſe conſtans diſiuncta a forma, per quam conſequatur, quod ſit hoc aliquid. Etſi Auerroes *in lib. 2. phyſ. com.* 12. oſtendit materiam non poſſe per ſe actu exiſtere *Quartum* ſine forma, ne ſequatur id eſſe actu, quod non eſt actu; quo pacto ſi in hoc argumento verè concludit, verus erit inducens materiam, & naturam quandam, quæ non eſt actus, per ſe abſque forma actu *Quintum* exiſtentem? Deinde cum ea, quæ natura conſtant, tripartito diuidantur *initio lib. 1. de cælo*, aliaque ſint corpora, alia horum paſſiones, & motus, & alia horum principia, planè quia cæleſtis ſubſtantia ab Auerroe poſita non eſt horum quicquam, nam eam non eſſe in naturalium corporum paſſionibus ac motibus, atque horum principiis notius eſt, quam vt egeat perſuaſione, & non eſſe corpus naturale illud ſuadet, quod corpus naturale habeat naturam, atque naturam habens ſit ſubſtantia compoſita, *lib. 2. phyſ.* 4. & Auerrois ſubſtantia cæleſtis eſt incompoſita; profectò cælum non erit in iis, quæ natura conſtant, immeritoque ſcientia naturalis in eo contemplando ſuam operam locabit, cuius eſt verſari in iis, quæ natura conſtãt, perſpiciendis. At vero ſi non intereſt ſciẽtiæ naturalis docere de ſubſtantia cæli, quoniam nemo non perſuaſum habet hanc non eſſe primæ philoſophiæ, aut diſciplinis mathematicis tribuendã, nulla erit ſcientia, cuius ſit de ſubſtantia cæleſti docere, aut ſciẽtiarum numerus erit augendus, ne hæc ſit incognita, & deſerta ab iis, qui naturas eorum, quæ ſunt, contemplantur. Ex hoc argum. fortaſſe quiſpiam ſeſe expediet dicendo cum Raguſæo *in quæſtione de ſubiecto ſcientiæ* *Reſponſio.* *naturalis* naturam cæleſtem ad nullam ſcientiam ex iis, quæ initio *Raguſeus.* lib. 6. poſtnat. memorantur, pertinere; nam cum non ſit corporis expers vt mens a materia ſeparata, non cadere in conſiderationem

philoſophi poſtnaturalis, & cum non ſit ex forma & materia conflata, non eſſe iuris naturalis; & cum denique non ſit pura, ſimplex dimenſio, non eſſe, vt tribuatur mathematico: quapropter noua eſſe opus ſcientia, cuius ſit de cæleſti natura docere: cæterum, Ariſtotelem, ne ſcientiarum numerus augeretur, ob quandam affinitatem, quæ cæleſti naturæ cum ſeparatis ſubſtantiis, & cum rebus ſenſibilibus intercedit, de ea & in poſt naturali philoſophia, & in naturali diſſeruiſſe, ita tamen vt locus etiam de ipſa aliquid diſputandi mathematicis relinqueretur; in ſcientia naturali vero diſſeruiſſe de natura cæleſti in duobus primis libris illius operis, quod de cælo eſt inſcriptum; idque duabus potiſſimum rationibus, quarum altera eſt, quia cum *in lib. 8. Phyſ.* ad primam ſupremamque cauſſam rerum omnium effectricem nos deduxiſſet, par erat, antequam aggrederetur alicuius natiui corporis tractationem, vt proximum rerum ſublunarium efficiens principium explicaret, quod eſt corpus illud excelſum, cui nomen eſt cælum: Altera eſt, quoniam cum in lib. 8. phyſ. oſtenſum fuiſſet motum eſſe æternum, atque motus ſine mobili eſſe non poſſit, neceſſe erat introducere aliquod corpus, quod perpetuò moueretur in orbem.

Euerſio.

Hæc non carent difficultate, nam Ariſtote. *initio lib. 6. poſtneat.* omnia quæcunque poſſunt cadere in ſcientiam fuit complexus, eaque partitus eſt inter philoſophiam naturalem mathematicas diſciplinas, & ſcientiam poſt naturalem; nec vnquam ſignificauit præter has ſcientias alteram ſcientiam reperiri, cuius ſit cæleſtem ſubſtantiam contemplari.

Cælū per ſe conſideratur a naturali philoſopho.

Et ſi Ariſtoteles tribuit philoſophiæ naturali hoc in loco quicquid eſt a magnitudine inſeparabile, & mobile: in li. 12. eiuſdē operis. 6. omnem ſubſtantiam ſenſibilem tam æternam, quam caducam, & in lib. 2. phyſ. 71. quæcunque mouent, cum moueantur, quis non ſentiat cælum, cui hæc omnia inſunt, a philoſopho naturali primum, & per ſe conſiderari? Et ſi præterea Ariſtoteles, vt ſcientiarum multitudinem euitaret, in natuali ſcientia contemplatus eſt naturam cæleſtem, quæ ad illam haud quaquam pertinet, cur etiam omnia quæcunque ſunt, non fuit in eadem ſcientia intuitus, vnamque propterea non conſtituit ſcientiam, cuius ſit verſari in rebus omnibus perſpiciciendis, & contemplandis? Etenim tam ea, quæ in ſcientia poſtnaturali, quam quæ in mathematicis diſciplinis conſiderantur, cum rebus naturalibus magnam habent affinitatem, quarum illa ſunt prima principia, ex quibus pendent, & hæc affectiones, & accidentia. Et ſi rurſus quæ ſunt diuerſarum ſcientiarum, ea variè definiuntur, atque fieri poteſt, vt vno eodemque modo finiantur, atque vnius ſcientiæ vnuſſit modus definiendi, qui fieri poteſt, vt id, quod eſt alterius ſcientię, in aliqua ſcientia ab hac diuerſa com-

modè,

Digitized by Google

modè, ac ſine reprehenſione explicetur? Poſtremo Ariſtotelem in ſcientia naturali conſiderare cæleſtem naturam non veluti quippiam ad eam non propriè pertinens intelligitur ex librorum, quibus cæleſtis natura explicatur, inſcriptione: Etenim hi libri de cælo ſunt inſcripti, cuius inſcriptioni duæ ſunt explicationes, in quarum altera cæli nomine intelligitur tota rerum vniuerſitas, in altera cæleſtis natura; at qualis qualis explicatio fuerit probata, non erit ſine crimine his in literis diſputari de cæleſti corpore tanquam de eo, quod non propriè pertinet ad ſcientiam naturalem, ſiquidem dedecet alicuius ſcientię partem inſcribi ex eo, quod per ſe non eſt illius ſcientiæ, & par eſt, vt id omne per ſe conſideretur, quod eſt pars illius, ex quo ducitur libri inſcriptio. Accedit, quod ſi philoſophus naturalis per ſe nos deducit ad cognitionem primi, ſupremique rerum omnium efficientis, atque hoc per ſe contemplatur, cur etiam non poterit per ſe, ac propriè verſari in contemplanda proxima rerum caducarum cauſſa effectrice? Et ſi idem per ſe conſiderat, ac demonſtrat motus æternitatem, cur naturam cæleſtem propriè, ac per ſe non habebit propoſitam, cum eiuſdem ſit cōtempleri affectionem, & affectionis ſubiectum? Atque hæc ſint diſputata aduerſus cæleſtem naturam ab Auerroe poſitam, quam quoque non eſſe ferendam ex ijs intelligetur, quibus deinceps ſumus confecturi cęlum non reſpuere formæ, & materiæ compoſitionem: ad hæc autem antequam aggrediamur, occurrendum eſt iis, quibus hæc opinio fuit Auerroi perſuaſa. Hic igitur a nobis non auditur, dum cælum ex duabus naturis componit, quarum vna accipit motum, & altera efficit, quoniam, vt alias diximus, cæli conuerſio nullam cauſſam effectricem poſtulat. Cum multis declarat, & aperit cæleſtem naturam, quæ motui ſubijcitur, eſſe corpus ſimplex, & mediam quandam naturam tenere inter materiam rerum caducarum & mentes beatas nos, dicimus cælum eſſe quidem corpus ſimplex, verum non ita ſimplex, vt reſpuat formæ & materiæ compoſitionem: ac præterea multò conuenientius ſtatui medium inter corpora caduca & mentes immortales, quod ipſe quoque voluit *in lib. 1. de cælo com. 22. & alibi*, quam inter has, & materiam, quæ non eſt quippiam per ſe conſtans, & natura integra. Quod excogitauit Mercenarius, id fruſtra fuiſſe excogitatum Peripatetici præſtantiſſimi exiſtimant, qui vnum ſolum genus formarum agnoſcūt, quod eſt earum, quę informant materiam, enimuero formas, quas plerique ſtatuunt a materiā ſeparatas, putant nōn eſſe verè, propriè que formas, nec conſentire cum Ariſtotelis doctrina, in qua forma omnis in eo, quod eſt forma, nunquam eſt à materia ſeparata, cuius rei teſtes ſunt Alexander, & Auerroes, quorum ille *in lib. de ani-*

Refutatio eorum, quibus Auerroes ĩ ſuā opinionem fuit inductus.

Refutatio argumenti Mercenarii.

Vnum ſolū formarum genus ponēdum.

Forma in eo, quod forma, nūquā a materia ſeparata. Alexander.

Auerroes

ma

ma cap. 4. ſtauit hanc eſſe in omni forma conditionem, vt ab eo, cuius eſt forma, nunquam ſit diſiuncta, hic *in lib. 4. phyſ. com.* 17. ſcripſit formam non eſſe a materia ſeparatam in iis eſſe, quæ à naturali philoſopho ponuntur. Eiuſdem quoque teſtis eſt Plotinus, qui *in lib. 3. ana. 4. cap.* 20. voluit animam noſtram non eſſe in corpore tanquam formam in materia, quoniam forma non eſt ab eo, cuius eſt forma, ſeparata. Conſtat quidem in rerum natura mens à materia ſeiuncta, verum hæc perperam ſtatuitur forma cæli, ſed eſt motrix, mouetque vt id, quod intelligentia comprehenditur, & expetitur. Sed hoc quoque formarum genere conceſſo non ſequitur neceſſario aliquam materiam eſſe ponendam, quæ per ſe actu cohæreat, quando quidem nihil vetat harum formarum materiam eſſe ex forma & materia concretam: idque ab Auerroe non eſt diſſentaneum, qui *in tract.* 1. *epit. primæ philoſophiæ ferè ad calcem* materiā diſtinguit in eam, quæ eſt prima, ac imperceptibilis, cuius vis formæ expers eſt, & in eam, quæ formam habet, cuius duo genera facit, alterum, cuius forma non penitus integra, illæſaque manet, ſed aliqua ex parte corrumpitur ob aduentum nouæ formæ, veluti eſt corporum mixtarum materia, quæ prædita eſt formis elementorum fractis, & ad quandam mediocritatem redactis; alterum, quod formam integram ſeruat noua forma ſuperueniente, cuiuſmodi ſunt corpora ſimilaria, quæ animam accipiunt, quique præterea menti humanæ per ſe exiſtenti neque ex materia pendenti ſubiecit tanquam materiam corpus anima cogitatrice animatum, quod eius amaſij vocant hominem animalem.

Plotinus.

Materiæ diuiſio.

Cælum eſt ſubſtantia ex forma, & materia compoſita. *Cap.* XXI.

CVm ſubſtantia ab Ariſtotele tripartito diuidatur, aliaque ſit materia, alia forma, & alia ex his compoſita, planè quoniam oſtenſum eſt cælum non eſſe formam a materia liberam, aut materiam actu exiſtentem a forma diſſociatam, neceſſario relinquitur id ex forma & materia componi: idque præterea hinc poteſt perſuaderi. Ariſtoteles *in lib. 3. phyſ.* 3. quæcumque in rerum natura conſiſtunt, ea ſic diuidit, vt alia ſint actu ſolum, & alia actu ſimul & poteſtate; nam quicquid ſubſiſtit, id, quod ſubſiſtat, actu fert acceptum, nec fieri poteſt, vt quippiam ſubſiſtat, quod ſola poteſtate cõtineatur. Cælum igitur, quod per ſe, ſuaque natura exiſtit, vel erit actu tantum, vel actu ſimul ac poteſtate: atqui fieri nequit, vt cælum in ijs numeretur, quæ ſolo actu continentur, tum quia mouetur in orbem, & motus eſt actus, cui admixta eſt poteſtas: tum etiam quoniam

Argumentũ primũ.

Digitized by Google

niam ea dumtaxat ſolo actu continentur, quę ſunt materiæ immunia, nec vllam in ſe admittunt varietatem, veluti eſt mens à materia ſeparata, quæ ſemper & ſui par, & ſibi ſimilis deprehenditur: in eorum igitur numero erit ponendum, quæ ſimul actu ſunt, & poteſtate: hęc vero ex forma, & materia ſunt compoſita, quod in corporibus naturalibus, quæ actu ſunt, ea ſint huiuſmodi munere formæ, & quæ poteſtate, ea poteſtatem ex materia conſequantur. Haud diſſimili argumento D. Thomas *in lib. 1. de cælo lect. 6.* exagitat Auerroem: hoc enim pacto argumentatur: Cum cælum ſit ens actu, quippe quod agat in hæc inferiora, & agere illius eſt, quod actu exiſtit; atque quicquid eſt huiuſmodi, id ſit actus, vel habeat actum, planè quoniam cælum non eſt actus, alioquin eſſet forma per ſe conſiſtens, ſolaque intelligentia comprehenderetur, nec in ſenſum caderet, neceſſario habebit actum, eritque ex duabus naturis compoſitum, quarum vna erit actus, qui eſt forma, & altera ſubiicietur actui, quæ eſt materia. Qui Auerrois doctrinam tuentur, multum ſtudij poſuerunt, vt hanc D. Thomæ argumentationem reprehenderent, eiuſque vim Zimara *in tab. In verbis: Cælum ſimplex eſt, & non compoſitum ex materia & forma*: Franciſcus Cagnus *in theoremate 29.* Zabarella *in lib. de natura cæli*, & alii plerique eleuant, quod mutilata ſit hæc propoſitio: Quicquid actu exiſtit, id vel actus eſt vel actum habet, nam præter hæc eſt materia per ſe exiſtens, quæ non eſt actus, neque actum habet. Hi nō ſunt audiendi: nam D. Thomæ propoſitio eadem eſt, ac Ariſtotelis propoſitio *in lib. 3. phyſ. 3.* nam quod eſt actus in propoſitione D. Thomæ, id tantum actu continetur in propoſitione Ariſtotelica, & quod in hac ſimul eſt actu, ac poteſtate, id ſtatuit D. Thomas actum habere: atqui hunc Ariſtotelis locum quicunque interpretantur, omnes affirmant, in Ariſtotelis propoſitione contineri omnia, quæcunque actu exiſtunt: ergo non eſt, vt quippiam actu exiſtens inducatur, quod fugiat D. Thomæ propoſitionem. Quod ſi aduerſarij nos audire noluerint, qui aſſeueramus D. Thomæ propoſitionem re ipſa diuerſam non eſſe ab Ariſtotelis propoſitione, eos rogabimus, cui parti Ariſtotelicæ partitionis tribuant ſuam materiam per ſe actu exiſtentem? Profecto minimè dabunt hanc ſolo actu contineri, quoniam quæ ſunt huiuſmodi, ea ab omni motu libera ſunt, nec vllam habent cum materia, qualis qualis hæc fuerit, coniunctionem: ſin vero dixerint eſſe actu ſimul & poteſtate, neceſſe habebunt hanc componere ex duabus naturis, & quoniam poteſtas, & actus ſic inter ſe diſtant, vt nequeant ab vna, eademque natura emanare; quod cum Græci explicatores non ignorarent, dixerunt, quæ ſunt actu pariter & poteſtate, ea omnia ex forma & materia eſſe cō-

D. Thom.

Reſponſio Zimaræ, & Franciſci Cagni, & Zabarellæ.

Euerſio.

Reſponſio aliorum.

po-

poſita. Reſpondent alij cælum eſſe actum, nec propterea ſequi, vt
Euerſio. ſit forma materiæ expers, quoniam non eſt actus ad formam perti-
nens, ſed actus corporis proprius, qui eſt abſolutus, & ex forma non
pendens. Hi non in minori verſantur periculo: Enimuero actus vo-
ἐντελέχεια bifariam vſurpatur cabulum, quod græcè eſt ἐντελέχεια bifariam ſolet vſurpari, vno
modo abſolutè; altero cum adiunctione illius, cuius eſt actus; ſi mo-
do poſteriore vſurpetur, actus ſic formæ eſt proprius, vt præter for-
mam nulli rei conueniat: ſin priore, hoc nomine intelligitur ſub-
ſtantia ab omni materia ſoluta, & ab omni poteſtate diſiuncta: qua è
re non eſt, vt ſtatuatur cælum eſſe actum abſolutum, aut actus quip-
piam inducatur abſolutus, qui ſit corporeus, & non ab omni poteſta
te ſolutus. Deinde cum Ariſtotelis partitio tam latè pateat, vt ad
omnia dilatetur, quæcunque aliquo modo ſunt actu, hi ſunt inter-
rogandi, in qua parte ſit hic corporis actus abſolutus: Si reſpondeāt
eſſe in eorum numero, quæ ſunt actu ſolum, erit forma ingenita ex-
pers materiæ, quod tam abſurdum eſt, quam quod maximè: ſin verò
in iis numerent, quæ cum actu coniunctam habent poteſtatem, is ſa
Secũdum argumentum. nè non erit ſimplex natura, ſed ex forma materiaque conſtabit. Sed
præter hoc id quoque perſuadet cæli compoſitionem, quod cælum
ſit corpus naturale, & corpus natutale cum habeat naturam, conſtet
ex natura, & ex eo, in quo eſt natura, ſitque omnino ſubſtantia com-
Reſpōſio. poſita *lib. 2. phyſ. 4.* Huic argumento aduerſarij occurrunt ſtatuen-
tes cælum eſſe naturam ſimplicem, nempe materiam per ſe conſtan-
Euerſio. tem, & in cælo idem eſſe naturam, & habens naturam; verum non
rectè occurrunt, quoniam ſi in cælo idem eſſet natura, & habens na-
turam, in ipſo quoque idem eſſet quidditas, & habens quidditatem:
id vero falſum eſt, quoniam cęlũ eſt ſingulare, in quo aliud eſt quid-
ditas, & aliud habens quidditatem *lib. 1. de cælo 92.* Qui præterea in
Natura non eſt idẽ quod habẽs naturam. cælo idem erit natura, & habens naturam ſi, Ariſtoteles *in lib. 2. phyſ.*
4. diſtinguit naturam ab eo, quod naturã habet? nec ab re profectò,
quia cum natura ſit principium motus in eo quod habet naturam, &
quod naturam habet, id motui ſubijciatur, nulla poteſt ratione fieri,
Forma ſola propriè natura. vt natura ſit idem, quod habens naturam, quandoquidem princi-
pium motus non excipiat motum, id cum ſit, quo illud, in quo ineſt,
motui ſubiicitur. Et ſi forma ſola, vt aliàs docui, verè, ac propriè vo-
catur natura, & materia eatenus eſt natura, quatenus eſt aptè nata
formam ſuſcipere, & huic ſubiici *lib. 5. poſtnat.* 5. quo pacto materia
cęleſtis, cui nõ data eſt vlla forma, quæ verè ſit natura, tenebit natu
rę appellationem? Equidem materia cæli ad Auerrois, & ſectatorũ
Tertium argumentum. opinionem ſubiicitur menti motrici, verum hæc nec verè, nec pro-
priè eſt natura cæli, cui aſſidet, & non ineſt. Præterea ſi natura &
ſubſtantia Cæli eſſet ſimplex neque, ex forma, & materia conſtaret,
ſequitu

ſequitur compoſitionem per accidens ſimpliciter, atque abſolutè tempore antecedere compoſitionem per ſe; id autem non eſt admittendum, quoniam quod eſt per accidens, id ſemper eſt poſterius eo quod eſt per ſe *lib. 2. phyſ. 66.* Connexionem illud confirmat, quia in cælis eſt compoſitio ex ſubiecto, & accidentibus, quæ eſt compoſitio per accidens, & cæli tempore antecedunt corpora caduca, quorum compoſitio eſt per ſe ex forma & materia. Reſpondent nõ nulli in iis, quæ infra cælum poſita ſunt, compoſitionem per accidens perpetuò eſſe poſteriorem compoſitionem per ſe, nam cum in his proximum accidentium ſubiectum ſit compoſitum ex forma & materia, nulla in eis poteſt eſſe compoſitio per accidens, quin ſemper antecedat compoſitio ex forma & materia, quæ eſt cõpoſitio per ſe; ſecus in corporibus cæleſtibus, quæ ſimplicia ſunt, nec vllam patiuntur ex forma & materia compoſitionem. Hi ab Ariſtotele abhorrent, qui *in lib. 2. phyſ. 67.* concludens aduerſus Democritũ ſi caſus, qui eſt cauſſa per accidens, eſt cauſſa cæli, ac vniuerſi, neceſſarium eſſe mentem, & naturam, quę ſunt cauſſæ per ſe, in his efficiendis eſſe cauſſas priores, quod nihil eorum, quæ ſunt per accidens, ſit prius iis, quæ ſunt per ſe, perſpicuè ſentit tam in caducis, quam in cæleſtibus corporibus, quod eſt per accidens, id eſſe poſterius eo, quod eſt per ſe. Poſtremò ſi cælum non excipiat formæ & materię compoſitionem, e numero corporum animatorum, quę nemo non dat, & Ariſtoteles affirmat *in lib. 2. de anima 3.* ex forma & materia eſſe conflata, erit eiiciendum, ex quo non eſſe eiiciendũ paulò poſt declarabimus. Reſiſtunt aduerſarii, inquiuntq; mentem motricem eſſe animam cęli, atque cęlum à mente abiunctum non eſſe animatum. Decipiuntur, quoniam mens motrix non eſt anima cęli, & cęlum diſiunctum à mente motrice eſt animatum. Mens motrix non eſt anima cęli, quoniam anima eſt forma, & quidditas rei animatę; & mens motrix nequit eſſe forma, & quidditas cœli, quod forma, & quidditas non eſt ſeparata à re, cuius eſt forma, & quidditas. Cœlum verò à mente motrice diſiunctum eſſe animatum ſignificauit Ariſtoteles *in lib. 21. poſt nat. 39.* quo in loco exquirens modum, quo motor immobilis, & mens à materia ſeparata moueat cęlum, ſtatuit hunc motorem non ſecus mouere cœlum, atque id, quod intelligitur, & expetitur. Verum ſi mens q̃ eſt motor immobilis, mouet cælum tanquam id, quod eſt intelligibile, & expetendum, liquet cęlum a mente diſiunctum eſſe prędi-tum anima, qua intelligit mentem, huiuſq; deſiderio afficitur; nõ enim mens caderet in intelligentiam cęli, atque huius appetentiã cieret, niſi pręter mentem anima intelligens fuiſſet cęlo imperti-ta. Multis aliis cęli compoſitio poſſet confirmari, ſed hæc ſunt prę

Reſponſio

Euerſio.

Quartum argumentum.

Reſponſio.

Euerſio.

Cælũ diſiũctũ a mente motrice animatũ eſt.

Digitized by Google

tereunda, tum quia his ſatis eſt ſtabilita, tum etiam quia in progreſſu diſputationis hæc magis apparebit. Nec verò hæc opinio vacua eſt ab amicis in ſchola Ariſtotelis, nam cum Euſebius Cæſarienſis *in lib. 14. de præparat. Euang. ca. 6.* tribuerit Ariſtoteli, quod cœlũ ex forma & materia compoſuerit, exiſtimandum eſt id ei a priſcis Peripateticis fuiſſe perſuaſum: Et ſanè Græci interpretes huius placiti fuerunt amatores, quos cum Zabarella, & alii in contrariũ pertraxerint, nonnullos horum locos in medium afferemus, ex quibus illos non ſecus, ac nos ſenſiſſe clarè percipietis. Theophraſtus ſummus Ariſtotelis auditor *ſub mittum lib. nat.* monſtrans res naturales habere principia, quod veluti perſpicuum fuit ab Ariſtotele neglectum, ſumit Philopono, & Simplicio atteſtantibus *in com. 1. lib. 1. phyſ.* vti conceſſum ab omnibus corpora omnia naturalia eſſe compoſita: Qua de re cum nemo poſſit dubitare, quin hic cęlum repoſuerit in numero corporum naturalium, hinc colligitur eum voluiſſe cęlum ex forma & materia componi. Idem ſenſit Alexander, qui referente Simplicio *in lib 9. phyſ. com. 31. & 61. atque in lib. 2. de cœlo. com. 3.* putauit cæleſtem animam eſſe naturam, & formam cæli, atque actum perficientem à corpore inſeparabilem. Alexander euinetiam enarrator lib. poſtnat. *com. 31. & 34. lib. 12.* tribuit ſphęris cæleſtibus formas, & animas, per quas mouentur, quæque diuerſæ ſunt à motoribus immobilibus, materiæque expertibus. Eiuſdẽ opinionis Themiſtium extitiſſe *ex illius commentariis in lib. 12. poſt nat.* intelligitur, & Auerroes fidem facit *in com. 41. lib. 12. poſt nat.* Ammonius præterea *ad calcem ſect. 4. lib. de interpret.* cum formas diſtribuat in ſimplices, & compoſitas; atque ſtatuat illas eſſe actus ſynceros, & à materia ſolutas, has non eſſe actus, ſed actu, & materiæ fieri participes, quæ vel ad formam perpetuò retinendam idonea eſt, vt in cæleſtibus, vel ipſam per vices ſuſcipit, atque amittit, in iis, quæ lunæ ſubiacent, perſpicue in cælis ponit formæ & materiæ compoſitionem; quam quoque fuiſse probatam Simplicio ipſemet teſtis eſt locupletiſſimus, qui *in lib. 1. phyſ. com. 79.* ſcribit materiam appetere formam propter eius abſentiam, nam ſi formæ ſemper eſſet particeps, vt in cæleſtibus, neque indiga eſset, neque appeteret, ſed eſset quædam vna ex ambobus coniuncta natura: *& in libro 8. eiuſdem operis com. 101.* occurrens Philopono ſtatuenti cælũ eſse interitus capax, quia omne compoſitum eſt diſsolubile, aſseuerat cælũ nõ ſic cõpoſitũ eſse, vt poſſit excipere diſsolutionẽ, nã illa tantum poſse diſsolui, quæ habent ſubiectũ nõ continens formas, quæque conſtant ex formis habentibus contrarium in cęleſtibus verò ſubiecta ſuas formas perpetuò continere, quibus nihil eſt contrarium. His clarè teſtatur Simplicius, ſe in eorum opinionem

Euſebius Cæſarienſis.

Græci omnes cælũ ex forma & materia compoſuerunt.

Theophr.

Alexãder

Alexãder enarrator l. poſtnat.

Themiſt.

Ammon.

Simplicius

nem deſcendere, qui cælum ex forma materiaque componunt; quibus quoque Olympiodorus ſeſe adiūgit *initio com. lib. 4. meteor.* Nō ſum neſcius Zabarellam, & alios, vt Græcos explicatores ibi adiūgant, aſſeuerare his in locis cælum ab his inſpici, qua ex parte conſtat ex orbe & mente motrice, verum mihi quoque conſcius ſum eos turpiter labi; nam Alexandri ſententia ita eſt clara, & perſpicua, vt mirum ſit hanc à Zabarella fuiſſe ignoratam. Ammonius quoque manifeſtè dilserit de formis in materia hærētibus, ſiquidē formę materię expertes iuxta eius opinionem ſunt actus ſimplices, atque ſynceri, & non compoſitæ, actuque cuius generis eſt forma globis cæleſtibus ab eo conceſſa. Simplicius præterea contemplatur cælum à mente motrice diſiunctum, quoniam formam, quam tribuit materiæ cæleſti, ſtatuit materiam informare, atque in earū genere contineri, quæ cum materia copulatæ compoſitum conſtituunt. Et cum Philoponus liquido voluerit cælum ex forma & materia conſtare, putandum eſt Simplicium huic occurrentem, cælique compoſitionem admittentem ſentire cælum non ſecus compoſitum eſſe, ac fuerit à Philopono creditum. Sed & Olympiodorus verā, ac propriā attribuit cælo ex forma & materia cōpoſitionē; quippe qui eo modo, quo elemēta, ſtatuat cælū ex forma & materia coaleſcere. Verū aduerſarij objiciat nobis Græcos explicatores multis in locis materiā cælo adimere; atque *in l. 3. phyſ. 3.* ſcribere corpus æthereum eſſe ſolum actu. Hæc non perſuadent, quia, vt paulò poſt intelligetis, natura informis, quæ in cælis ſubijcitur formæ, minus propriè appellatur nomine materię. Locus ex lib. 3. phyſ. excerptus non ſolum non efficit propoſitum, ſed contra concludit oppoſitum. Etenim cùm hoc in loco ab Ariſtotele eaquę sūt actu, diuidantur in ea, quæ ſolo actu continentur, & in ea, quæ ſimul actum, & poteſtatem participant, Simplicius, Themiſtius, & reliqui Græci enarratores interpretantur ea, quæ tantū actu ſunt, eſſe formas materiæ expertes; & quæ ſimul ſunt actu & poteſtate, eſſe concreta ex forma & materia: Cùm verò id haberet dubitationem, quoniam cælum, quod ex forma & materia conſtat, non videtur actus & poteſtatis particeps, ſed actu tantùm contineri, quippe quod in ſua ſubſtantia nullam accipit mutationem, cōtinuò adiungunt corpus cæleſte ſolo actu quidem eſſe, qua ex parte nequit de forma, & ſpecie ſua mutari, cæterùm particeps poteſtatis eſſe, quatenus mouetur in loco, & ſimul vbique eſſe non poteſt. Ex his intelligitur hos ſentire cælum ex forma & materia conſtare, verū nequaquam in ſe coercere poteſtatem, quæ pertineat ad ſubſtantiam, quoniam ſemper ſuam formam retinet, neque in aliam ſubſtantiam poteſt conuerti, ſed vnam eam tenere poteſtatem, quæ cō-

Olymp.
Reſp. Zabarella.
Euerſio.
Alexand.
Ammon.
Simplic.
Philopon.
Olymp.
Obiectio.
Reſponſio.

Auerr. iuncta eſt motui ad locum accommodato. Nec verò ſolùm hi de cæli compoſitione ita ſenſerunt, ſed & Auerroes idem aliquandò ſenſit, nam *in lib. de animi beatitudine cap.* 1. cum omnia, quæ ſunt, in tres ſpecies diſtribuat, quarum una continet materiam infimam, & quæcunque ex hac generantur, in altera huic proxima poſita ſunt corpora cæleſtia, quorum formæ in ſuis materijs hæreat fixæ, ac ſtabiles: & tertia omnium præſtantiſſima eſt mentium ſeparatarum, quæ per ſe cohæreat ex nullo ſubiecto pendentes, perſpicuè agnoſcit, & ponit in cælis formæ & materiæ compoſitionem; qui enim diceret corporum cæleſtium formas in ſuis materijs hærere fixas, & ſtabiles, ſi putaret cęlos eſſe corpora penitus ſimplicia; atque reſpuere ex forma & materia coagmentationem? Eiuſdem opinionis approbatores ſunt inter Arabes Auicebron *in li. Fontis vitæ*, Auicenna, *in lib. 6. natural. cap. 2. & in lib. 9. primæ philoſophiæ cap. 2.* Algazeles *in lib. 1. ſuæ philoſophiæ tract. 4. cap. 2.* & Auennaſar apud Auerroem *in lib. de animæ beatitudine cap. 5.* inter Hebræos Moyſes Aegyptius *in lib. 1. illius operis, in quo eſt dux dubitantium, & perplexorum cap. 57.* qui pręterea *in lib. de Vno Deo* ſcriptum reliquit corpus omne compoſitum eſſe, atque id eſſe pronunciatū per ſe notum; & inter latinos Albertus *in ſumma de quatuor coæuis p. 1. q. 4. art. 3.* D. Thomas *in ſumma p. 1. quæſt. 66. art. 1. & 2.* & alij quamplures, qui eo libentius in hanc ſententiam videntur deſcendere, quòd ea ſit non ſolum Ariſtotelis doctrinæ conſentanea, verum etiam noſtræ religionis proceribus vehementer probata.

Auicebrō. Auicenn. Algazel. Auennaſ. Moyſes Aegypt. Alb. Magnus. D. Thom.

Confutantur argumenta, quibus cælum fuit poſitum expers compoſitionis, quæ ſit ex forma & materia. Cap. XXII.

ARgumenta, quibus cælum fuit conſtitutum expers compoſitionis, quæ ſit ex forma & materia, confutantur, & primum quidem reijcitur, quoniam natura, quæ non ſit ex forma & materia compoſita, non eſt quærenda in corporibus, quorum naturę aduerſum eſt non conſtare ex forma & materia ſed in iis, quæ nullam habent magnitudinem, ſuntque à materia ſeparata. In Durandi argumento non verè aſſumitur res, quo longius, aut proprius abſunt à Deo, eo maiorem, aut minorem habere compoſitionem, nā inter caduca homo quàm proximè ad Deum accedit, cuius natura magis eſt compoſita, ac ſint naturæ elementorum, quæ nemo non fatetur longiſſimè à Deo eſſe poſita. Adiungendum eſt cæleſtia corpora tametſi ex forma & materia ſint compoſita, minorem tamen quàm corpora caduca habere compoſitionem, quoniam illa ſuas formas perpetuò retinent; & hęc multis, ac variis expoſita ſunt mutationibus, quibus ex aliis in alias tranſeunt affectiones, diuerſaſq; patiuntur compoſitiones. Primum Auerrois argumentum diſſoluitur,

Argumenti primi refutatio. Durandi argumenti reprehēſio.

uitur,quoniam materia,quæ ponitur in cælo, non eſt idonea ad accipiendos terminos contradicentes;id quod paulò poſt declarabimus: Neque omnibus compoſitis ex forma & materia ineſt materia,quæ ad hoſce terminos accipiendos ſit comparata, ſed iis duntaxat,quorum non eſſe temporis origine anteceſſit eſſe, nam quod prius non fuit,id vt poſterius non ſit, natura eſt accommodatum.

Auerrois primi argumẽti diſſolutio.

Alterum concidit,quia falſum eſt omnem formam in materia hęrentem habere contrarium,vitioſaque eſt huius confirmatio, vt ex iis intelligetur,quæ infra ſumus dicturi. Ad primum Zabarellæ argumentum dicendum eſt non ſolum mutationem ad ſubſtantiam nos docere formam in materia reperiri,& corpus ex forma & materia compoſitum eſſe; verum id quoque ex aliis intelligi,atque ex motu in loco,id quod ita declaratur: Quicquid mouetur motu in loco,ſit hoc aliquid,& per ſe conſtet,oportet,atque id & patet ſenſui,& nobis fuit ab Ariſtotele ſignificatum *in lib. 5. phyſ. 8.* ergo cũ nec forma, nec materia per ſe ſola queat ſubſiſtere, ſitque hoc aliquid,relinquitur illud,quod eſt ex his,quod per ſe cõſtat, & eſt hoc aliquid,eſſe id,quod motu in loco cietur;quare cum cælum huic motui ſubiiciatur,id ſanè ex forma & materia conſtabit. Sed & prępter hunc motum cælum ex forma & materia eſſe compoſitũ hinc poteſt ſciri. Cælum ſeparatum à mente motrice vel eſt forma, vel materia,uel ex utriſque compoſitum: formam quidem eſſe non eſt rationi conſonum,quo enim pacto ſi abſque materia ſit,molem & magnitudinem habebit? Sed neque eſt materia,quoniam hęc nullo ſenſu percipitur,& cælum eſt corpus aſpectabile: Ergo ex forma & materia conſtabit. Haud diſſimili genere argumenti Plotinus eſt vſus in lib. de materia ad perſuadendum materiam eſſe in corporibus. Et ſanè multis modis materiæ neceſſitas poteſt declarari, vt aliàs copioſè fuit à nobis expoſitum de materia diſſerentibus. Nec quicquam facit,quòd Ariſtoteles ex mutatione in ſubſtantia progreſſus fuerit ad materiæ inueſtigationem, quoniam nõ eſt neceſſe hunc ad ſuum dogma conſtituendum ſemper adhibuiſſe omnia firma argumenta,quæ poſſunt afferri; & par eſt eum ſæpenumero nonnulla omiſiſſe,vel quia difficiliorem habebant explicationem,longioremque poſtulabant diſputationem,quàm id, de quo agebatur,pateretur,vel quia breuitatis ſtudioſus ea in ſilentio libens relinquebat, quæ mente adhibita poterant intelligi ex iis, quæ eo in loco tradebantur,aut alibi fuerunt explicata. Nec præterea audiendus eſt Auerroes,dum ſentit naturam materię primę nõ poſſe inueſtigari niſi à philoſopho naturali,nec alia via, quàm mutatione in ſubſtantia: Atqui de his diſſerere non eſt huius contemplationis. Secundum Zabarellæ argumentum habere exiguam efficaci-

Alterius Auerrois argumenti caſtigatio.

Primi argumenti Zab. refutatio.

Materia, & forma ac materia compoſitio intelligitur non ex ſola mutatione in ſubſtãtia.

Quod mouetur in loco id omne eſt compoſitum.

Cælum à mente motrice ſeparatum ex forma & materia cõpoſitum eſſe unde poſſit ſciri.

Plotinus.

Secũdi Zabarellæ argumẽti refutatio.

Digitized by Google

ficacitatem ex iis intelligetur, quæ de natura materiæ idoneo loco

Tertii caſtigatio.

ſumus dicturi. Tertium labefactamus, tum quia forma cæli eſt principium motus circularis in cælo, cuius eſt propria, præcipuaque natura; tū etiam quia in hoc argumento aſſumuntur duo, quæ non concederētur à nobis: vnum eſt naturam eſſe cauſſam effectricem, principiumque actiuum motus in eo, in quo ineſt: alterum mentem à materia ſolutam mouere cælum per modum cauſſæ efficientis. Ecquid ſit cauſſæ, cur primum non ſit à nobis conceſſum, abundè expoſuimus naturæ diffinitionē conſiderantes: Cauſſam verò, propter quam alteri non accedimus, in diſputatione de mentibus à materia ſeparatis aperuimus. Adiungimus hanc Zabarellæ argumentationem non minus ſuam, quàm noſtram opinionem demoliri: Enimuero fert eius ſententia naturam cæli eſſe materiam per ſe actu exiſtentem: verum cum omnis natura ſit principium motus, efficitur hanc materiam eſſe principium alicuius motionis: atqui in cælo nullus apparet motus preter circularem, cuius principium eſt mens beata; non igitur cæli natura eſt materia per ſe actu conſtans: Reſpondebit forſitan hanc cæleſtem naturam eſse prinoipium motus patibile, cuius motus cauſſa effectrix eſt mēs beata: Verùm nos hac quoque reſpōſione proprium dogma tuebimur ſtatuentes cæli formam eſse principium motus patibile; nō enim abhorret à formæ naturæ eſse huius generis principium, idque alias expoſuimus naturæ diffinitionem explicantes. Reſtant argumenta, quæ manarunt ex Philopono; horum primum repellitur, quod alienum ſit à vero compoſitum omne eſse diſsolubile, cum id ſit accipiendum in compoſito, cuius coagmentatio eſt noua, ac temporaria, atque ex materia & forma habente contrarium, nam hoc vt factum eſt, cum ante non eſset, ſic poteſt diſsolui, vt vlterius non ſit. Quinetiam poteſt repelli, quod omne compoſitum, quale ſit, cum extra ſe habeat quippiam, ex quo pendet, (non enim poteſt fieri, quod eſt compoſitum, id eſse primum principium, ex quo cūcta pendent, quod hoc ſit omnino ſimplex, nec vllam in re admittat compoſitionem) naturam habeat diſsolubilē, hoc eſt illius ſit naturæ, vt eſse non poſſit non ſimpliciter, ſed ex ſuppoſitione, & ſi id, ex quo pendet, ponatur non eſse. Quapropter nihil vetat, quia cælum hac ratione ſit diſsolubile; cęterum nunquam diſsoluetur, quoniam non ſimpliciter, ſed ex ſuppoſitione, cui nunquam erit locus, eſt diſsolubile; neque intus poſitum habet ſuę diſsolutionis principium, ſed extrinſecus, atque huiuſmodi, vt ex eo nullus vnquam interitus ſit ad cælum peruenturus: non enim primum principium, ex quo pendet cælum, fieri poteſt, vt non ſit. At verò hoc ſeculis immortalibus manente cælum quoque maneat immortaliter

Argumenti poſtremi diſſolutio.

Cōpoſitū omne eſſe diſſolubile, de quo compoſito, & quo intelligendum.

Quod eſt cōpoſitum, id non eſt primū principium, ex quo omnia pendent.

ter

ter oportet, qđ principio manente & id maneat, neceſse ſit, quod ad ipſum eſt continuum li. 8. phyſ. 52. Alterum perfringitur, quia cùm dicimus corpus eſse diuiduum in infinitum, non ita intelligimus, vt re ipſa diuidatur, & actu ſuam ſoluat continuitatem, ſed ſignificamus corpus conſtare ex partibus diuiduis inter ſe coniunctis, licèt interuallo quodam diſtinctis, & non ex athomis, corpuſculiſque indiuiduis. Cæterùm corporibus caducis ingeneratū eſt, vt actu ſecari poſſint in partes, quæ & ipſæ queunt diuidi; quę vero ſunt immortalia, non ſecantur re ipſa, ſed hominis cogitatione, ſuntque diuiſa, & partibus actu diſtincta diſtantia corporea, etſi maneant continuata. Quamobrem quia ex hoc, quòd corpus ſit diuiduum in infinitum, non ſequitur neceſsariò corpus actu, & re ipſa diuidi, ruit hæc argumentatio, nec cælorum formæ vnquam interibunt. De tertio dicimus, cui opus eſt aliquo extrinſecus poſito, quod ipſum tueatur, arceatque quicquid damni poteſt ad ipſum peruenire, id non eſse ex ſe ſufficiens ad manendum, naturamque habere caducam, & mortalem: atqui cælum non eſt huius generis, quoniam materia, vt forma, quarum eſt indigens, ipſius naturā, & eſsentiam compleat, neque extra ipſum poſitæ ſunt. Planè cęlū ex ſe non ſimpliciter eſt ſufficiens ad manendum, quoniam nūquā non opus habet primo principio, ex quo ipſum, & natura pendet; verùm hęc inſufficientia non eſt huiuſmodi, quemadmodum declarauimus, vt ſit interitus argumentum. Poſtremū refutatur, quoniam compoſitio, quæ *in lib. 14. poſtnat. cap. 3.* adimitur rebus æternis, eſt ea, quæ cum ante non eſset, exiſtit ex iis, quæ erant diuiſa, & incompoſita, nam hæc compoſitio ſua natura eſt diſsolubilis: at cælum ſic compoſitum eſt, vt ea, ex quibus conſtat, nunquam fuerint diuiſa, & ſine compoſitione. Ex his patet Platonem & Platonicos non rectè ſentire vniuerſum, quia compoſitum eſt, poſse diſsolui, cæterum nunquam diſsolutum iri Dei voluntate, quoniam cum vniuerſum ſic ab eis inducatur compoſitnm, vt ea, ex quibus exiſtit, ante eſsent diuiſa, & incompoſita, omnino neceſsarium eſt, vt aliquādo intereat. Neque Dei voluntas poteſt ei auferre interitum, quoniam non eſt conſentaneum Dei voluntatem eſse aduerſam naturæ rei à ſe cond. tæ. Quapropter ſi cælum, & vniuerſum nunquam ſunt interitura, par eſt hæc eſse ſua natura indiſsolubilia, quòd in natura id ſemper ſit ponendum, quod eſt melius, & potius ſit quod eſt ſua natura indiſsolubile, ſempiternis ſeculis manere, quā quod ſua natura eſt diſsolubile, nunquam interire.

Corpus eſſe diuiduū in infinitū, ut intelligendum.

Loci Ariſtotelici explicatio.

Dei voluntas non eſt aduerſa naturæ rei à ſe conditæ.

Qui-

Quicunque ſtatuunt inter materiam cæleſtem, & materiam ſublunarem nullum eſſe naturæ diſcrimen, quibus argumentis ſe tueantur, & quibus exagitentur. Cap. XXIII.

POſtquam a nobis confectum eſt cælum ex forma, & materia componi, proximùm eſt, ut naturam huius formæ, huiuſque materiæ inueſtigemus, materiæ autem naturam primum indagabimus, nam hac patefacta facilior erit aditus ad naturam formę inueniendam. Omnes ferè noſtræ religionis proceres Baſilius, Gregorius Nyſenus, Hieronimus, Ambroſius, Theodoretus, Chryſoſtomus, Damaſcenus, & alij cum arbitrarentur non aliam eſſe cæli naturam, & aliam elementorum, hæc & illud ex eadem materia compoſuerunt. His tametſi D. Bonauentura *in lib. 2. ſent. diſt.* 12. *quæſt.* 1. Egidius *in lib. 2. ſent. diſt.* 14. Ochamus *in lib. 2. ſent. diſt.* 22. & alii Magiſtrũ ſententiarũ imitati ſintaſſenſi, plurimi tamẽ ex Scholaſticæ Theologiæ Magiſtris in diuerſam ſententiam abierũt eo adducti, quod Ariſtotelem ſecus ſentire fuerint arbitrati; cui hac in re fidem non habere turpe videbatur. Cæterum, cum nos doctrinæ Ariſtotelicæ ſimus alumni, ſententiãque Ariſtotelis exquiramus, illis prætermiſſis quid ab iis, qui dogmata Ariſtotelica profitentur, in hac quæſtione proditum ſit, duntaxat conſiderabimus. Philoponus, Auicennas, & Egidius vno animi conſenſu ſtatuerunt nihil intereſſe inter materiam cæli & materiam elementorum, aſſeuerauerũtque cæleſtem materiam, ſi ab omni forma ſeparata conſideretur; non ſecus ac materiam elementalem poſſe multas, diuerſaſque formas excipere, quando quidem in natura materiæ ſita eſt poteſtas excipiendi, & abiiciendi omnes formas, hiſque omnibus, quæ ipſius eſt natura, poteſt indui, & exui. Cæterum Philoponus putauit materiam cæleſti formæ coniunctam retinere hanc poteſtatem excipiendi multas, variaſque formas, haſque poſſe aſciſcere, & abiicere; hincque confecit, ne hæc poteſtas fruſtra ſit materiæ data, illam has aliquando eſſe ſuſcepturam, & quod ſequitur cælum habere naturam diſſolubilem, qua in re plane deficit ab Ariſtotele: Alii verò ne cælum, inducant ortui, & interitui obnoxium, cæleſtem materiam liberant a formarum caducarum ſuſceptione horumquam nonnulli ſtatuunt formam cæli, quæ caret contrario, nec a cælo poteſt dimoueri, eſſe impedimento, ne in actum materiæ poteſtas ducatur, & alii ſentiunt, cũ formarum aliæ obtineant rationem partis, & aliæ totius, has explere vniuerſam materię poteſtatem, quippe quæ virtute quadã ſingulari in ſe continent quicquid perfectionis rebus natiuis, &

Baſilius, Gregor. Nyſenus, Hierony. Ambroſ. Theodor. Chryſoſt. Damaſc. D. Bon. Egidius, Ochamus Magiſter ſententiarum.

Philoponi, Auicẽnæ, & Egidii opinio.

mortalibus

mortalibus fuit tributum; illas minimè, quoniam partem perfe-ctionis, & non totam perfectionem ampleſtuntur, quæ cum omnibus caducis rebus fuit communicata: Itaque ne materia cæli vllā aliam formam expetat, inde dixerunt exiſtere, quòd eius forma ſit generis poſterioris, ſuaque perfectione compleat vniuerſum ipſius appetitum, cuius generis cum minimè ſint formæ: quas induit materia rerum caducarum, illę ex hac non valent totum appetitum eijcere; quapropter hęc materia aſſiduè tenetur alicuius formæ appetitu. Rationes, quibus hæc opinio ſtabilitur, multæ ſunt, nos iis contenti erimus, quæ à Philopono prodierunt, atque ijs, quibus vſus eſt Ficinus ad hoc dogma perſuadendum *in com. lib. de cælo Plotini cap.* 1. quaſque nonnulli Peripatetici non indignas eſſe ſenſerunt, quarum in hac quæſtione ratio haberetur. Ficinus igitur in loco recitato, vt perſuadeat vnam eſſe totius vniuerſi materiam, duas adhibet argumentationes; vna eſt: vniuerſum eſt vnum, quia vnius opificis vnum eſt opus: ſed quod eſt vnum, per vnam formā, vnamque materiam eſt vnum; hinc *in lib.* 5. *poſt nat.* 12. vnum numero finitur id, cuius materia eſt vna; totius igitur vniuerſi vna eſt materia. Altera eſt: vnitas formæ, ac materiæ cauſſam omnibus præſtat communionis inter ſe agendi, ac patiendi: ſed omnes mundi partes vndique ſibi inuicem conſentiunt, atque compatiuntur: vna igitur & omnium mundi partium materia. Philoponus verò Simplicio referente *in lib.* 1. *de cælo com.* 29. primùm monſtrauit cælum conſtare ex materia his argumentis: ſi cœlum eſſet materiæ expers, eſſet immateriatum, ſolaque mente, &. non ſenſu perciperetur. Deinde materia nihil aliud eſt, quàm magnitudo tripl ci interuallo diſtincta, idque ſatis copiosè fuit ab hoc viro monſtratum *in lib. de mundi æternitate*: ſed cælum eſt corpus, & magnitudo; cęlum igitur materiam habebit. At verò hanc materiam non eſſe diuerſam à rerum caducarum materia intellexit primùm quidem, quoniam hæ materiæ eiſdem accidentibus præditæ ſunt, veluti ſunt raritas, denſitas, perſpicuitas, & lumen, quare cùm accidentia fluant ex natura rei, exiſtimandum eſt, quorum eadem ſunt accidentia, eorū naturas non eſſe diſſimiles: tum verò quia ſi cęleſtium, & mortalium materiæ inter ſe differant, illud incommodum erit præſtò, quòd hæc caducorum materia, cuius ſimplicitas multis in locis ab Ariſtotele celebratur, ex duabus naturis conſtabit videlicet ex propria, & ex ea, quæ ei cum cœli materia eſt communis; nam quę inter ſe differunt, ea in aliqua communi natura cōueniunt, & in propria diſſentiunt: poſtremò quoniam qui inter has materias conſtituunt aliquid diſcriminis, hi ſunt interrogandi, nunquid hæ materiæ parem habeant dignitatem, an vna alteri præſtet: ſi primum

Ficini primum argumentū.

Alterum.

Philoponi primū argumentū.

Secundum

Tertium.

Quartum

Quintum

dent, audiendi non erunt has inter ſe differre aſſeuerantes: ſin alterum, cæleſtis materia huic noſtræ erit anteferenda, & quod ſequitur, hæc non erit prima, vt eſt communis omnium Peripateticorũ opinio. *Caſtigatio* Horum ſententia omnibus ferè tam ſuperioris, quam noſtri ſeculi Peripateticis videtur improbabilis, & ab Ariſtotelis doctrina diſſentiens, & cur videatur, hæc potiſſimum efficiunt. *Arg. primum.* Si materia cœleſtis, & materia elementalis eſſent vnius, & eiuſdem naturæ, quæ poteſtas vni eſt tributa excipiẽdi aliquam formam, eadem alteri eſſet impertita: verum enim verò materia cæli data & poteſtas, qua formæ cæleſti ſubijcitur, & materia elementorum habet poteſtatem varias, ac penè innumerabiles formas ſibi induendi; ergo elementorum materia poterit ſubijci formæ cæleſti, & materia cælorum poterit induere varias, ac multiplices corporum caducorum formas: hæ verò poteſtates ſi actum nanciſcantur, ne ſint fruſtra, cælum ortui, & interitui erit obnoxium. *Secundum* Deinde finitur materia ab Ariſtotele *in lib.8. poſt nat.3.* quòd non ſit actu hoc aliquid, ſed poteſtate, varijſque in locis ſignificauit poteſtatem ſitam eſſe in natura, & eſſentia materiæ: ergo ſi in cęlo ponatur materia, quæ ſit huic noſtræ ſimilis, in cælo locus erit poteſtati, à qua ipſum diſiungitur *in lib.9 poſt nat.17.* *Tertium.* Hoc præterea in loco cùm poteſtas, & materia ſint cauſſa defatigationis, planè ſi hæc tribuatur cælis, hi dum mouentur, fatigabuntur, & laſſitudine impediti non manebunt in officio: id quod timendum non eſſe hic ab Ariſtotele aſſeueratur. *Quartum* Adhęc ſi voluerimus multos Ariſtotelis locos, in quibus ratio eſt materiæ habita, inſpicere, intelligemus hanc eſſe fontem, & initium generationis, & interitus: ergo ne in cælum ortus, & interitus cadant, omnis materia huic eſt adimenda: Principio Ariſtoteles *in calce lib.1. phyſ.* materiam definiens eſse principium, & primum ſubiectum, ex quo fit aliquid, cùm inſit, ſignificat id omne fuiſse aliquando generatum, cui data eſt materies. Rurſus *in lib. 1. de cęlo 20* oſtendit cælum non oriri, nec interire: quia ei nihil eſt aduerſum, nullaque materia, nam omne, quod generatur, ex contrario & ſubiecto fit quodam, & quod corrumpitur ſubiecta materia, & a contrario corrumpitur: concluditurque rectè naturam cęlum, cuius non eſt ortus, neque interitus, è contrarijs exemiſse, nullaque materia donaſse. Deinde *in lib.2. de gen. & int.51.* ſtatuens materiam eſse cauſsam iis, quæ cadunt in generationem, vt eſſe, & non eſse poſſint: *in lib.7. poſt nat.22.* ſcribens cuncta, quæ arte, & natura fiunt, habere materiam, quoniam fieri poteſt, vt ſit & nõ ſit eorum vnumquodque, & paulo poſt *in tex.53.* inquiens ſubſtantiarum ſenſibilium, & ſingularium, neque diffinitionem, neque demonſtrationem eſse, eò quod habeant materiam, cuius natura eſt,

vt

Digitized by Google

vt eſſe, & non eſſe contingat: qua de re caduca eſſe ea omnia, quæ illam habent: & demum *initio lib. de longit. & breuit. vita* aſseuerans fieri non poſſe, vt ei, quod materiam habet, non ſit aliquid contrarium, apertè ſentit quicquid ex materia conſtat, id eſſe ortus & interitus capax, quod quoque ſupra fuit a nobis expoſitum Auerroë, & Zabarellam ſuis argumentis confeciſſe. His adiungendum eſt caducum, & immortale non fore diuerſa genere, vt cenſet Ariſtoteles *in lib. 10. poſt nat. 26.* nam vt idem inquit *in eodem lib. 12.* ea genere differunt, quorũ materia non eſt cõis. Inſuper *in lib. 1. de gen. & int. 54.* quorũ vna eſt materia, ea viciſſim agunt, & patiuntur: cũ igitur cælum ſic agitet elementa, vt ab his nihil accipiat: & elementa, ſic patiãtur a cęlo, vt ei nihil impertiant, profectò nõ vna eſt materia, quæ cælo, & elementis ſubijcitur. Amplius ab hoc dogmate Ariſtotelem abhorrere ipſemet teſtis eſt locupletiſſimus *in lib. 8. poſt nat. 12. & in lib. 12. eiuſdem operis 10.* quibus in locis ſcriptum reliquit ſempiterna corpora, aut materiam non habere, aut aliam, & diuerſam ab hac noſtrati, quippe quæ ſolùm ſit apta excipere motum in loco: & nunquã ortui, & interitui poſſit ſubijci, vti hæc, ex qua conſtant corpora caduca. Poſtremò cælorum materiam ab hac noſtrati plurimùm differre inditio eſt, quòd illæ poteſtates ſint diuerſæ, quarum actus ſunt diuerſi, varioque modo accipiuntur, nã ex actibus dijudicantur poteſtates *lib. 2. de anima 33.* & formæ, actuſve materiæ cæleſtis, & elementalis ſic inter ſe diſtinguuntur, vt non ſolùm vario ſuſcipiantur modo, quando quidem actus materiæ cæleſtis ita accipitur, vt nunquam deperdatur, & actus materię elementalis ita, vt aliquãdo abijciatur: verum etiam genere diſſentiant, quòd caducum, & æternum varijs generibus contineantur. Hæc ſunt ea, quibus naturæ ſimilitudo tollitur è materia cæli, & è materia rerum caducarum, quibuſque huius aduerſarij non contenti, vt eam de ſtatu penitus deijciant, & exagitent ea, quibus ab Egidio, & ſectatoribus fuit interitus a cælo auerſus; & Ficini, atque Philoponi argumenta vituperant. Formam cæleſtem, cui nihil eſt aduerſum, non poſſe prohibere, quo minus materiæ poteſtas ad actum aliquando veniat, oſtendunt, quoniam cum forma abſoluat naturam, & eſſentiam materiæ, nequit eſſe impedimento, ne materia conſequatur illos actus, quorum accipiendorum habet poteſtatem inſitam, & in quibus excipiendis ſita eſt eius perfectio. Accedit, quòd forma ęterna non tolleret id, quod eſt naturæ legibus ſancitum: quapropter quoniam naturę leges non ferunt quippiam fruſtra, ac temere impertitum eſſe alicui, non eſt exiſtimandum formam ęternã prohibere, quominus materię poteſtas in actũ exeat, ne ſequatur materiam temere, ac fruſtra fuiſſe hac poteſtate donatam.

Quintum

Sextum.

Septimum

Octauum.

Forma cæleſtis non poteſt prohibere, ne materiæ poteſtas exeat in actũ.

tam. Sed & cæleſtem formam è materia non eiicere totam, & integram poteſtatem ita declarant: forma ſuperueniente tantùm poteſtatis adimitur materiæ, quantum actus huic tribuitur: ſed forma cæli non tribuit omnem materiæ actum; non igitur fieri poteſt, vt eius aduentu deſtruatur vniuerſa poteſtas, qua poteſt materia omnes formas induere; & verò hæc ſi aliqua ex parte manet incolumis, ne fruſtra ſit, ad actum quandoque perueniat, eſt neceſſe. Et ſi materia ſua natura appetit omnes formas, in omneſque fertur tanquam in proprium obiectum, proculdubio hic eius appetitus non poterit expleri, niſi formas omnes accipiat: ea eſt ratio, quia id, quod eſt poteſtate ad quippiam accipiendum, non amittit poteſtatem, niſi totum id accipiat: Quocirca quoniam vna forma non continet omnium formarum virtutes, nec pars eſt idonea totius vicem ſuſtinere, relinquitur, vt materiæ appetitus nequeat niſi omnium formarum ſusceptione ſaturari: Ergo materia cæli quamuis forma æterna ſit informata, nihilominus aliarum formarum deſiderio tenebitur, & ne fruſtra has appetat, eas quandoque tenebit: Nec verò dicendum eſt cœleſtes formas, quia in ſe continent omnium formarum caducarum perfectionem, penitus explere materiæ appetitum, quia vel eadem ratione hominis forma ex materia depelleret appetitum, quo fertur in formas minus præſtantes, quarum perfectio virtute, & ratione quadam ſingulari in anima humana continetur; vel ſaltem materia orbis inferioris expeteret formam globi ſuperioris, quòd hæc dignitate anteſtet formæ illius, nec quicquid perfectionis datum eſt ei, id formæ illius fuerit conceſſum. Priorem Ficini argumentationem repellunt, quòd vniuerſum ſit quidem vnum, verùm non vnitate formæ, & materię, ſed vnitate ordinis, quo partes eius omnes ſunt inter ſe digeſtæ, & ad vnum ſupremum finem referuntur, cuius gratia ſingulæ agunt, quemque, vt quantum vniuſcuiuſq; natura patitur, conſequantur, omni ope contendunt. Atque id ſignificauit Auerroes *in epit. poſt nat. tract.* 4. cum ſcripſit mundum eſſe vnum, quia pendet ex vno principio, hoc eſt ex vno fine, ad quem tanquam ad ſuum principiũ referuntur, quęcunque ordine ſunt inter ſe diſtributa. Poſteriorem confutant, quòd vnitas formæ tantum abeſt, vt cauſſam præbeat communionis agendi, & patiendi, vt contra actionem, & paſſionem tollat, nam vnitas formæ tribuit naturæ ſimilitudinem, & quæ agunt, & patiuntur, ea forma, & natura ſunt diſſimilia *li.1. de gen. & int.* 51. Vnitas verò materię magni quidem eſt momenti ad mutuam actionem, & paſſionem, verum cæleſtia corpora non compatiuntur, neque conſentiunt cum elementis, & iis, quæ ſunt ex his compoſita. Equidem illa mouent hæc, ſed ita, vt ab eis neque

Ad primũ Ficini argum.

Ad alterũ.

que patiantur, neque vllam accipiant affectionem. Argumenta, ex quibus intellexit Philoponus cælum non eſſe abſque materia, refellunt, ac primum quidem, quoniam cælum non eſt cuiuslibet materiæ expers, ſed illius, quæ generationi, & interitui ſubiicitur, quæque multas variaſque formas continenter ſuſcipit, & abiicit, quæ verè, ac propriè vocatur materia: alterum verò, quia cælum etſi corpus ſit, & habeat magnitudinem, veram tamen, propriamq́; materiam in ſe non coercet, quòd hæc natura cæleſtis corporea ſit diuerſa, multumque diſſimilis ab ea, quæ propriè tenet materiæ appellationem. Argumenta verò, quibus idem conficit nullam eſſe naturæ diſſimilitudinem inter materiam cæli, & materiam elementorum, accuſant, & ad primum reſpondent, quòd cæli, & elementorum accidentia, vel non ſint eadem, niſi nomine, vel ſi re, ac diffinitione ſint eadem, ex quibuſdam ſimilibus accidentibus minimè propriis non ſit concludendum nullam eſſe diſſimilitudinem inter ea, quę his ſubiiciuntur; cùm nemo ſit, qui neſciat multa inter ſe natura, & ſpecie differentia ſimilibus accidentibus fuiſſe donata. De ſecundo dicunt vtraſque materias ſimplices eſſe, & non compoſitas, neque in aliqua communi natura conuenire, & in propria differre, nam ſe ipſis eſſe diſſimiles, quod eſt proprium eorum, quæ ſimplicia ſunt, & nullo communi genere iunguntur: Qua in re obſeruant, quæ ſunt ſimplicia, ea rectiùs vocari diuerſa, quàm differentia, quòd quæ differunt, in aliquo conueniant, & in aliquo diſſentiant, & quæ ſunt diuerſa, ea nihil ſit opus aliquam inter ſe habere naturæ communionem; itaque ſtatuunt has materias, quæ ſunt ſubſtantiæ ſimplices, eſſe diuerſas, & non differentes: atque huius quoque nos admonuit Alexander *in lib.* 1. *quaeſt. nat. c.* 10. & 15. Denique poſtremum reprehendunt aſſeuerantes cæleſtem materiam longo, ac multo dignitatis exceſſu ſuperare materiam rerum caducarum, quæ eam ob cauſſam prima dicitur ab Ariſtotele, & Peripateticis, non quia nobilitate antecellat cæleſti materiæ, cui valde cedit dignitate, ſed quoniam tempore antecedit ſecundam materiã, ex qua mixta corpora proximè generantur; quare vt illa ab hac diſtingueretur, ei poſitum eſt nomen primæ materiæ. Atque hæc diſputantur contra Philoponum, Auicennam, Egidium, & horum ſectatores.

Ad 1. Philoponi arg. *Ad ſecundum.* *Ad tertiũ.* *Ad quartum.* *Simplicia rectius diuerſa, quã differentia dicuntur.* *Alexand.* *Ad quintũ*

Sentientes materiam cæleſtem eſſe diuerſam à materia elementali quibus argumentis defendantur, & quibus accuſentur. Cap. XXIV.

SEntiunt D. Thomas, & aſſeclæ materiam cęleſtem eſſe a materia elementali diuerſam, atque diuerſitatem intelligi ex formis

quas

quas hæ materiæ ſuſcipiunt, quibuſque ſubiiciuntur: Enimuerò cùm hæ materiæ ſint purę poteſtates, atque poteſtates actibus, & obiectis diſtinguãtur, conſentaneum eſſe inquiunt diſtinctionem, quę inter has materias exiſtit, peti ex formis, quę actus earum, & obiecta exiſtimantur. Hanc diſtinctionem verò ſtatuunt ſumi a formis non abſolutè, & per ſe ſpectatis, ſed ea ex parte, qua vario modo informant has materias, quam varietatem in hoc poſitam eſſe affirmant, quòd materia cœleſtis perenniter, infinitoque tempore à forma informatur; elementorum verò materia finito, ſtatutoque tempore. Huius hanc rationem afferunt, quoniam cęleſtis materiæ poteſtas eſt ad eſſe tantùm, huiuſque appetitus ab vnica forma, cui nihil eſt aduerſum, expletur: ex quo fit, vt ipſa nunquam ſeparetur a forma, quam ſemel ſibi aſciuit, atque idonea ſit ad alias formas accipiendas; materia verò elementalis eam habet poteſtatem, quæ fertur in terminos contradicentes, reſpicitque eſſe, ac non eſſe, & proinde poteſtas contradictionis nominatur; & eius appetitus forma, quam ipſa tenet, non contentus, nec expletus in cauſſa eſt, vt formam veterem aueat abijcere, & ſibi alias, innumerabileſque formas induere, ad quas accipiendas eſt aptè nata, atque propenſa.

Materię cæleſtis, & materiæ caducæ diuerſitas, vnde intelligatur.

De ſententia igitur horum inter has materias eſt pariter ſimilitudo, ac diſſimilitudo; Similes ſunt, quia ambæ adiunctam habeant poteſtatem, à ſuiſque formis informantur; diſſimiles: quoniam earum poteſtates ſunt diuerſæ, ipſæque vario modo cum ſuis formis coniunguntur. Huius opinionis poteſt videri Philoponus, ſeu veriùs Ammonius *in com. lib. 2. de gen. & int.* 51. eique cum multa, tum hæc maximè ſuffragantur. Compoſitum omne per ſe vnum ex duabus naturis conſtare teſtatur Ariſtoteles *in lib. 2. poſt nat.* 15. quarum vna eſt actus, & altera poteſtas: ergo cælum, quod eſt quoddam compoſitum per ſe vnum, ex materia, quæ eſt poteſtas, & ex forma, quæ eſt actus, erit conflatum. Hanc verò cæli materiam eſſe diuerſam ab elementorum materia perſuadet Auerrois argumentatio, qua ad initium lib. de ſubſt. orbis conficitur naturas, ex quibus componitur cælum, non eſſe ſimiles ijs, ex quibus corpora caduca componuntur, quæque eſt huiuſmodi: Cauſſæ rerum æternarum diuerſæ ſunt a cauſſis rerum caducarum: cælum eſt æternum; ergo eandem materiam, quam caduca, habere non poteſt. Præterea alij materiæ alia forma accommodatur *lib. 2. phyſic.* 26. cæleſtes, & caducę formæ ſunt generis diuerſi, nam hæ ſunt mortales, & illæ immortales; ergo inter materiam cęleſtem, & materiam elementalem magna eſt naturę diſſimilitudo. Rurſus quę conueniunt in materia, viciſſim inter ſe mutantur *lib. 2. de gen. & int.* 46. atqui materia cęleſtium corporum nequit ſibi induere formas caducas, & materia elemen-

Materia cæleſtis, et materia caducæ ſimilitudo, & diſſimilitudo.

Ammoni.

1. arg. quod eſt Auerr.

Secundum

Tertium.

elementorum non poteſt indui cęleſtium corporum formis; non
igitur cęli, corporaque caduca conueniunt in materia; neque his, &
illis data eſt materia, quę ſit vnius, & eiuſdem rationis. Poſtremò *Quartum.*
idem confirmatur teſtimonio Ariſtotelis, qui *in lib. 2. de gen. & int.*
51. ſcribit materiam, formam, & cauſam effectricem eſſe eadem
genere in ęternis, & caducis: Ergo ſi materiæ cœlorum, & elemen-
torum ſunt eiuſdem generis, non erunt eiuſdem ſpeciei, & rationis; *Caſtigatio*
nam quę ſunt eadem genere ſpecie ſunt diuerſa. Hanc opinionem
plerique caſtigant, quòd ſit abſonum in cęlo ponere poteſtatem ad
eſſe, quoniam ſentit Ariſtoteles *in lib. 8. poſt nat. 12. & in lib. 12. eiuſ-
dem operis* 10. ſempiterna materiam non habere, niſi loco mobilē;
& *in lib. 9. eiuſdem operis* 17. conceptis verbis e cęlo eijcit omnem
ad eſſe poteſtatem, quoniam hęc poteſtas eſt contradictionis pote-
ſtas, cui in ſempiternis, quę corrumpi non poſſunt, & non eſſe, nul- *Euaſio.*
lus eſt locus. Nonnulli è D. Thomæ familia, vt hoc Ariſtotelis te-
ſtimonium effugiant, inquiunt duas eſſe poteſtates, quæ inſpiciunt
eſſe, vnam ab actu diſiunctam, & alteram actui coniunctam, atque
priorem eſſe contradictionis poteſtatem, hancque iure ab Ariſtote-
le auferri è rebus ſempiternis; poſteriorem verò non eſſe contradi-
ctionis poteſtatem, nam cum actui perpetuò ſit coniuncta, non fer-
tur in non eſſe, ſed ſolum eſſe habet propoſitum; quocirca abſurdū
non eſſe hanc tribuere cæleſti materię. Hos exagitant aduerſarij, *Repulſio.*
quoniam poteſtas, quę actui ſemper eſt coniuncta, æquiuocè, mi-
nuſque propriè poteſtatis nomine ſignificatur, vt ait Ariſtoteles *ſub
extum lib. 2. de interpret.* etenim in vera, ac propriè dicta poteſtate
oportet contineri priuationem actus ad quem refertur poteſtas;
quapropter ſi hęc poteſtas ſemper eſt cum eſſe, & actu coniuncta,
indigna eſt cui poſitum ſit nomen poteſtatis: Verum poteſtatem *Poteſtas*
neceſſariò eſſe connexam cum priuatione ex eo intelligitur, quòd *vera sēper*
poteſtas ſit ſumma cuiuſque receptionis radix, quia nihil recipitur, *eſt coniun*
niſi adſit poteſtas illud recipiendi; & nihil eſt poteſtate quippiam, *cta cū pri-*
niſi poſſit hoc recipere: poteſtas enim, & receptio ſe mutuo conſe- *uatione.*
quuntur: Iam verò nihil recipitur, cuius non ſit carentia; hinc tri-
tum eſt illud Auerrois *enunciatum in lib. 3. de anima com. 4.* omne re- *Egidij ar-*
cipiens oportet carere natura rei recipiendæ, nam quod intus eſt, *gum. 1.*
id aditum peregrino, & aduentitio præcludit. Contra eandem opi- *Quæ natu*
nionem diſputat Egidius in quæſt. de materia cęli, vtiturque hoc ar- *ra, et eſ-*
gumento: Quæcunque inter ſe differunt natura, & ſecundum eſ- *ſentia dif*
ſentiam, ea non æquè diſtant à primo principio, nam vt omnes nu- *ferunt, nō*
meri fluunt ab vnitate, ita entia omnia poſt primum fluunt à primo *æquè di-*
ente, hoc eſt à Deo, qui eſt vnitas ſimpliciſſima; quare cū nequeat *ſtāt a pri-*
fieri, *mo princi-*
pio.

fieri, vt numeri eſſentia inter ſe differentes, ſpecieque diuerſi æquè diſtent ab vnitate, ſed horum alter ei ſemper ſit propinquior, & alter ab ea remotior; nulla quoque ratione poteſt fieri, vt quæcunque entia ſunt in eſſentia inter ſe diuerſa, hæc æquè diſtent à primo ente: verumenim verò ſi duæ materiæ inducuntur, neceſſe eſt has ab ente primo æquè diſtare, quando quidem eſt in natura materiæ eſſe puram poteſtatem, propeque nihil; & quod ſequitur, tam longè abeſſe à primo ente, q̃ quod maximè: nõ igitur inter materiã cęleſtẽ, & materiã elementalẽ vllũ põt eſſe diſcrimen ſecũdũ eſſentiam. Adhæc materia cęli, vel ſola puraque poteſtate continetur, quemadmodum materia elementorum, vel aliquis actus ei eſt admixtus: ſi primum detur, ea nullo modo erit ab hac noſtra diuerſa, quòd actu diſtinguantur, quæcunque ſunt inter ſe diuerſa *lib. 7. poſt nat. 49.* vel ſi ponatur diſtingui, duæ erunt materiæ primæ, quod nõ patitur ordo naturæ, qui in vnoquoque cauſſarum genere vnum ſolum primum conſtitui in quod deſinunt omnia, quæ ſub genere cõtinentur. Sin alterum, materia, quæ in cælo ponitur, non erit media interiecta inter id, quod eſt nihil, & id, quod actu conſiſtit, ſed inter hoc & materiam elementalem; quoniam verò quod actu exiſtit, nõ ſit ex materia prima, niſi hæc antea in id, quod eſt medium interiectum, tranſmutetur, materia prima, quæ eſt principium generationis rerum naturalium, naturam cæleſtis materiæ poterit aſſumere, & hæc in illam poterit diſſolui, quod nefas eſt, & ijs diſplicet, cum quibus eſt diſputatio. Quid etiam ſi hoc detur, in corporibus ſempiternis, quod conſtat ex forma & materia, id erit minus vnum, ac ſit illud, quod in caducis ex forma & materia in vnum coeuntibus coaleſcit, quod planè eſt abſurdum: Huius conſequutionis ea eſt ratio, quia cùm poteſtas ſit radix, & fons receptionis, neceſſe eſt, vt actus, qui eſt poteſtati aduerſus, impediat receptionem, & in vnum coniunctionem; quaè re cui materiæ ineſt aliquis actus, ex hac & forma minus vnum efficiatur, oportet, atque conſtituatur ex forma, & materia, cui nullus eſt actus commixtus, quæque ſola, puraq; poteſtate continetur, veluti & corporum caducorum materia. Poſtremò alij adiungunt materiam induci, vt omnes rerum naturaliũ formas, & mutationes ſuſtentet, hiſque ſubiiciatur; & ad has ſuſtentandas, & ad patiendum ſatis eſſe vnum ſubiectum *lib. 1. phyſic. 56.* quapropter vanum eſſe multas materias natura, & ſpecie [illegible]uerſas comminiſci. Nec verò magni ſunt momenti argumentationes, quibus hæ fuerunt introductæ, nam Auerrois argumentatio refellitur, tum quia celeſtium, & caducorum materię, vt poſt paulò exponetur, non penitus vacant diſcrimine; tum etiam quia hæc enunciatio;

Secundum

Arg. aliorum.

Ad Auerrois argu.

ciado; Cauſſæ rerum æternarum diuerſæ ſunt à cauſis rerum mortalium; non eſt perpetuò vera, niſi accipiatur in formis, quibus ea, quorum ſunt formæ, ſunt illa ipſa, quæ ſunt. Proxima reprehenditur, quoniam verè quidem dicitur alius formæ aliam eſſe materiã, nam cùm materia conſtituatur à poteſtate, & diuerſarum formarũ diuerſæ ſint poteſtates, neceſſe eſt alius formæ aliam eſſe materiã; verum hinc minimè ſequitur cæleſtem materiam, & materiam elementalem natura, & eſſentia differre, vt ſuo loco intelligetis. Et ſanè ſi argumentum perſuaderet ad veritatem, ſequeretur quoque materiam, quæ excipit ignis formam, in natura, & eſſentia nequaquam conuenire cum materia, quæ ſuſcipit terræ, aut aquæ formam, quòd harum formarum vis, & natura ſit inter ſe diuerſa, atq; contraria; & formam hominis immortalem informare, & animare materiam, cuius natura ſit diuerſa à natura materiæ formis caducis ſubiectæ. De altera dicendum eſt materiam quidem corporũ caducorum poſſe ſuſtinere formam cæleſtem, & materiam cæleſtium corporum poſſe ſubiici formis caducis, non eſſe tamen inter cæleſtia, & caduca corpora mutuam mutationem, quoniam quæcunque inter ſe commutantur, oportet ea non ſolum in materia conuenire, ſed præterea ſibi mutuò eſſe aduerſa, quòd ſine actione, & perpeſſione non fiat commutatio; & actio, & paſſio in contrariis vertantur: contrarietas autem non cadit inter cęleſtia, & caduca corpora. Cùm autem Ariſtoteles ſtatuit *in lib.2. de gen.& int.46.* quibus datum eſt commune ſubiectũ habere, hæc viciſſim inter ſe mutari: hoc decretum eſt audiendum in mixtorum corporum elementis, quæ ſibi viciſſim aduerſantur, & quorum conſideratio eo in loco Ariſtoteli eſt propoſita. Teſtimonium Ariſtotelis non eſt, vt nos perturbet, quoniam ex eo minimè conficitur cælorum, & corporum caducorum materias ſpecie, & natura diſtingui, nam ſingularia ſub eadem ſpecie poſita eodem genere continentur, quorum vna eſt, eademque ſpecies. Ariſtoteles autem dixit eadem genere, ne alia principia excluderet, quæ in æternis, & mortalibus non ſunt eiuſdem ſpeciei, & naturæ. Id quoque dici poteſt, quòd materia, quæ cælis tribuitur, non eſt prorſus illius naturæ, & ſpeciei, cuius eſt materia elementalis; id quod infra aperietur. Quinetiam nihil prohibet affirmare Ariſtotelem hoc in loco nomine ſempiternorum, & primorum ſignificare elementa, quæ ſecundum Empedoclem ſunt immutabilia, & ſecundum Ariſtotelem ex toto nunquã intereunt, & prima habentur inter corpora caduca, quorumq. principia initio huius libri fuerunt explicata, & non cæleſtia corpora, vt communis eſt omnium explicatorum interpretatio, nam cùm principia, quæ ſunt in cælis, ſint multò obſcuriora iis, quæ caducis

Ad ſecundum.

Ad tertiũ.

Ad quartum.

Loci Ariſtot. explicatio.

tribuuntur, non eſt conſentaneum ex illorum numero colligi horũ numerum: & præſertim cum ex iis, quæ *in lib. de cælo* fuerunt diſputata, nihil, quod pertineat ad hanc rem, poſſit intelligi.

Materia cæleſtis, & elementalis ſunt partim ſimiles, & partim diſſimiles, & quo modo ſimiles. *Cap. XXV.*

Materia ex quibus caleſtia, caducaq. corpora cõſtant, bifariã poſſunt cõſiderari

EGo in hac quæſtione ita ſentio: Materiæ, ex quibus cæleſtia, caducaque corpora ſunt conſtituta, duobus modis poſſunt conſiderari, vno modo formis omnibus cogitatione ab eis detractis: altero in eo, quòd ſuis formis ſunt ſubiectæ, & ex eis caduca, cæleſtiaque corpora ſunt compoſita: ſi priore modo veniant in conſiderationem, arbitror inter has materias nullum eſſe naturæ diſcrimẽ, atque vnam dumtaxat materiam eſſe inducẽdam, cuius altera pars cælis tributa ſit, & altera huic fragili rerum vniuerſitati: ſin autem poſteriore, opinor has materias non eſſe abſque diſcrimine:

Formis omnib. detractis eadẽ eſt materia in calis, & corporibus caducis.

Formis omnibus cogitatione amotis materiam, quæ corporibus caducis ſubiicitur, eſſe vnius, eiuſdemque rationis tum illud mihi perſuaſit; quòd lege naturæ ſancitum ſit, ne quid ponatur in mundo abſque euidenti, ac manifeſta neceſſitate: & quippiam non ſit, quod nos cogat inuehere materiam, quæ in natura & eſſentia ſit a noſtrati diuerſa: tum ex his intellexi: ſi detractis omnibus formis multæ eſſent materiæ, quarum naturæ eſſent diuerſæ, vltimo vlterius aliquid erit, quod tanquam abſurdum ponitur ab Ariſtotele *in lib.* 10. *poſt nat.* 14. demonſtrante vni multa non eſſe contraria.

1. argum. Secundũ.

Conſequutio declaratur: ſimplex poteſtas, & actus ſimplex ſunt extrema vnius maximæ diſtantiæ: ergo ſi multæ ſint materiæ, multæ erunt ſimplices poteſtates, quarũ vna aut [illegible] dicetur, & altera conſequens erit, nam ſi in eodem ordinis gradu poſitæ eſſent, diſpar non eſſet earum natura, neque rationem multitudinis præſeferrent: itaque cum vna materia, ſimplexque poteſtas ſit extremum, & vltimum, ſi altera adiungatur, hæc quoque erit extremum, & cum alteram antegrediatur, aut ſequatur, neceſſariè fit vltimo aliquid eſſe vlterius, & poſtremo aliquid poſterius.

Reſp. aduerſariorum.

Reſpondent aduerſarii materiam in eo, quòd ſuo amplexu continet materias cæleſtium corporum, & caducorum, eſſe alterum diſtantiæ vltimum, & extremum, atque hoc modo conſideratam eſſe vnam tantum, tametſi multis gradibus ſit diſtincta, quibus variæ materiæ continentur.

Reprehenſio.

Hi nihil proficiunt, nam cùm vtriuſque extremi eadem ſit ratio, planè cùm purus actus, qui eſt alterum diſtantię extremum, ſit numero vnus, nulliſque gradibus diſtinctus, par eſt puram, ſimplicemque poteſtatem eſſe numero vnam, nulliſque gradibus diſtingui. Et ſi hæ materiæ,

quæ

quæ his gradibus continentur, ſunt ſimplices poteſtates, & ab omni actu penitus vacuæ, qua ratione poterunt à ſe inuicem diſtingui? Vt enim puri actus, & ab omni poteſtate remoti nullo diſcrimine diſiunguntur, ita par eſt ſimplices poteſtates, & cuiuſuis actus expertes nullam habere naturæ diſſimilitudinem.

Capr. quid ſentiat de modo, quo materia cæleſtis & materia caducorũ inter ſe diſtinguuntur.

Capreolus *in lib. 2. ſent. diſt. 12. quæſt. vnica art. 3.* putat materiam cęleſtem, & materiã elementalem inter ſe diſtingui non ob aliquem actum, quo præditæ ſint, ſed ob diuerſos reſpectus ad actus formaſque diuerſas. Quòd ſi vrgeas, quia natura, & eſsentia materię origine naturæ antegreditur quemcumque reſpectum ad actum, & ad formam, ac propterea reſpectum non poſse rationem ſubire, qua materia vna diſtinguatur ab altera: reſpondet reſpectum ſanè, vt reſpectum non eſse rationem diſtinguendi, quippe qui poſterior eſt natura, & eſsentia materię, ſed ſi reſpectus nomine intelligatur ratio, qua ſuſcipitur forma, ita vt diuerſa ratio, qua recipitur forma, inducat materiæ diuerſitatem, non eſse diffitendum ex comparatione ad formas diuerſas accipi materiæ diuerſitatem, atq; materias inter ſe diſtingui, quòd ad formas diuerſas referantur, quæ neceſsariò deſiderant materias, quarum naturæ ſint diuerſæ: enimuero cum materia ſit propter formam *ſub exitum lib. 2. phyſ.* oportet materiam illius eſse modi, qui poſtulatur a forma.

Caſtigatur.

Hic non eſt audiendus, nam cum forma ſit poſterior materia, & extra materię eſsentiam, nec ipſa, nec vlla relatio ad ipſam poteſt eſse ratio, qua diſtinguatur materia. Equidem cum materia propter formam, & inuẽta, & parata ſit, neceſse eſt materiã illius eſse modi, qui a forma exigitur, verùm materia, quòd huius ſit modi, non acceptum fert formę veluti principio, & rationi, qua intus diſtinguatur, ſed tanquam fini cuius gratia eſt comparata. Adiungendum eſt, quia formæ vario modo, atque hæc ſeparabiliter, & illa inſeparabiliter, materiam informent, id non poſſe rationem cõſtituere diſtinguendi materias, quando quidem quòd materia ineat cum forma ſocietatem, aut perpetuam, aut temporariam, eſt extra materiæ eſſentiam, atque in materiæ accidentibus numeratur; & quod eſt alicui aduentitium, & ſecundum accidens tribuitur, id non poteſt eſſe ratio, & principium diſtinguendi.

Tertium.

Adhæc aduerſarij ſunt interrogandi, unquid materiam cæleſtem ſtatuant eſſe vnius & eiuſdem rationis in omnibus cælis; an potius tot cæleſtes materias inducant ſpecie differentes, quot ſunt globi cæleſtes.

Capre. & Soncin. reſponſio.

Si primum dederint, quod Capreolo in loco recitato, & Soncinati *in lib. 12. poſt nat. quæſt. 10.* fuit probatum, dent quoque eſt neceſſe cæleſtia corpora viciſſim inter ſe mutari, quando quidem ne inter caduca, & cæleſtia corpora ſit mutua tranſmutatio, ſtatuant horum materias ſpecie inter ſe differre. Reſpondent, vt mutua ſit mutatio, pręter materiæ

communionem neceſſariam eſſe in materia exiſtere priuationem illius formæ, ad quam facienda eſt mutatio: itaque quoniam vnaquæque forma cæleſtis ſic propriam materiam informat, vt eius appetitum expleat, ex eaque priuationem eijciat, hinc fieri, ne mutua mutatio poſſit eſſe inter cæleſtia corpora. *Reprehenſio.* Hi perperam reſpondent, nam cum forma vltimi cæli, in quo Luna eſt infixa, cedat dignitate formis cæterorum cælorum, eius poſſeſſio non poteſt è materia tollere appetitum reliquarum formarum, quæ ſibi anteſtant dignitat.: Et cum priuatio nihil aliud ſit, quàm negatio formæ in ſubiecto aptè nato illam habere, atque materia vltimi cæli ſit aptè nata ſuſtinere formas reliquorum cælorum, neceſſe eſt, vt in ea tandiu ſit harum priuatio, quamdiu fuerit àb his vacua. Sin verò alterũ aſſumpſerint, quod non diſplicet Caetano, & Bannes *in p.p.q.66. art.2.* & eſt Alberti Magni *in ſumma de quatuor coæuis quæſt.2.art.7.* *Caetanus, Bãnes, Alber. Mag.* ratio erit afferenda, cur cæleſtibus formis d ueı ſæ materiæ ſubiiciãtur, & formis caducis, quæ in maiori varietate poſitæ ſunt, vna ſola ſit tributa. *Cõnimbricenſium reſponſio.* Nec verò dicendum eſt cum Connimbricenſibus *in lib. 1. de cælo cap.2. quęſt.6. par* 2. modum ſtatuto, finitoque tempore informandi, qui proprius eſt formarum caducarum, eſſe vnum ſpecie, & modum perenniter, infinitiſque ſeculis informandi in tot ſpecies d.ſtribui, quot ſunt corpora cæleſtia: *Caſtigatio* nam ita dicere eſt optare illius, quod quæritur, ſolutionem, & non rationem afferre: & ſi modus certo, finitoque tempore formandi adeo varius eſt vnus ſpecie, quid prohibet, ne ſpecie quoque vnus ſit modus nulla diſtinctus varietate, quo materia infinito tempore formatur? Quòd ſi d xerint aduerſarij natura comparatum eſſe, vt varia, multiplexque materia cælis ſubijciatur, & vna, ac ſimplex caducis corporibus, audiãt Ariſtotelem *in lib. 8. Phyſ. cap.* 14. Empedoclem, & Anaxagoram irridentem, qui non ſecus ſua decreta ſoliti erant confirmare. Et ſanè ſi vna materia ſublunaris poteſt ſubijci & formæ aeris, & animæ hominis, nulla ratio poteſt reddi, cur vna cæleſtis materia non poſſit ſuſtinere formas orbis Lunæ, orbis Mercurij, quando quidẽ inter has formas minor eſt dignitatis, & naturæ diuerſitas, quàm inter animam humanam, & aeris formam. *Quartam* Ad hæc ſi præter materiam noſtratem alia eſſet materia ab hac diuerſa, hæc diuerſitas poſita erit, vel in ipſarũ naturis, ita vt hæ materiæ ſe ipſis diuerſæ ſint, vel in re quapiam ipſarum naturas comitante: ſi hoc ponatur, hæ materiæ non erunt ſubſtantiæ ſimplices, vt omnibus eſt perſuasũ: ſin illud, non intelligo, qua ratione queant illa ſe ipſis eſſe diuerſa, quæ, quòd ſimplices ſint poteſtates, nullam in natura habent varietatem. Quòd nonnulli hoc confirment, quia hæ materiæ carent actu, ex quo diſtinctionem exiſtere intelligitur ex illo enunciato

lib.7.

lib.7.poſt nat. c.49. Actus eſt, qui ſeparat, & diſtinguit: id non admodum probo, quoniam communis huius enunciati interpretatio non cohæret cum verbis Ariſtotelis, quibus hoc in loco docemur ex duabus ſubſtantiis actu exiſtentibus non confici vnam ſubſtantiam per ſe actu exiſtentem, quoniam actus ſeparat, & diſtinguit: Qua è re in hoc enunciato verbum ſeparare non ſignificat eſſe principium, & rationem, qua inter ſe aliqua differant, & diſtinguantur; ſed diuidere, & prohibere coniunctionem in vnum per ſe actu exiſtens. Quòd ſi hic eſt huius enunciati ſenſus, conſtat omnes ferè Peripateticos hallucinari, qui vtuntur eo ad perſuadendum omnem rerum differentiam, ac diſtinctionem ex actu oriri. Præterea ſi non vna fuerit materia, cui non videatur mirum cæleſtem materiam fuiſſe ab Ariſtotele pro nihilo habitam, qui elementalem, quæ multò minoris eſt dignitatis, longis diſputationibus fuit perſequutus? Enim verò in generali ſubſtantiæ partitione noſtratem materiam dumtaxat aſſumit, huiuſque naturam patefacit: & *in lib.1.phyſ.* dum inueſtigat eorum, quæ generantur, materiam: & *in lib.1. de cælo* dũ cæli naturam contemplatur, ne quidem verbum facit, ex quo poſſit conijci præter rerum caducarum materiam, alteram eſſe ponendã, ex qua cæli componantur. Accedit, quòd *in lib.8. poſt nat. cap.3.* vniuerſis ſenſibilibus ſubſtantijs materia tribuitur, quæ non eſt actu hoc aliquid, ſed poteſtate: atqui cùm hæc materia in principijs rerum naturalium generationis numeretur, planè quoniam cælum eſt ſubſtantia ſenſibilis, materia, quæ in hoc ponitur, eadem erit, atque materia corporum naturalium, quæ in generatione, & interitu verſantur. Mercenarius huic Ariſtotelis loco duobus modis occurrit: vnus eſt Ariſtotelem ſubſtantias non æternas habere in animo propoſitas; alter, ſi etiam datum fuerit Ariſtotelem definire materiam ſubſtantiarum omnium ſenſibilium, tam æternarum, quàm non æternarum communem, hinc tamen minimè confici hanc materiam eſſe in his, & in illis ſubſtantiis vnius naturæ, & eſſentiæ, nã materiam omnẽ eſſe quidem poteſtate, quod ſibi vult diffinitio memorata, at variam eſſe poteſtatem materiæ cæleſtis, & materiæ elementalis, nam huius poteſtatem eſſe ad formam, & illius ad locum. Vterque modus ab Ariſtotele abhorret, prior, quia Ariſtoteles cælum, cælique partes ſua oratione complectitur, quæ eſt: ſubſtantiarũ aliæ ab omnibus in ratione rerum eſſe conceduntur, aliæ allatæ à quibuſdam propria opinione fuerunt: Et primæ quidem naturales ſubſtantiæ ſunt, ignis, aqua, terra, cæteraque ſimplicia corpora, deinde plantę parteſque plantarum, & animalia, atque animalium partes, & tandem cælum, cælique partes. Secundæ verò ideæ, & mathematica ipſa. Et paucis interpoſitis adiungit: At de ideis quidem

Enunciati: Actus eſt, qui diſtinguit, et ſeparat; cõmunis explicatio vitioſa.

Vera explicatio.

Quintum

Sextum.

Mercenarij dua reſponſiones.

Reſp. prior reprehenditur.

» dem, & mathematicis poſterius conſiderare oportet. Præter enim » ſenſibiles ſubſtantias hæc quidem inquiunt eſſe: nunc autem de hi- » ſce ſubſtantiis pertractemus, quas eſſe omnes fatentur: hæ verò ſunt » ſenſibiles ſubſtantiæ, quas quidem vniuerſas materiam habere conſtat. Explicans verò huius materiæ vim ſubiiungit: Atque materiam tam dico, quæ non actu hoc aliquid, ſed poteſtate. Ex his nemo non intelligit Ariſtotelem omnes ſubſtantias in ſenſum cadentes, tam æternas, quam caducas habere in animo propoſitas, qu ppe qui cælum, cælique partes numerat in ſubſtantiis ſenſibilibus, quas omnes aſsumit pertractandas ideis relictis, atque mathematicis, de quibus in duobus extremis huius operis libris ei eſt animus

Reſp. poſterioris falſitas. diſputationem inſtituere. Poſterior verò modus aberrat a ſententia Ariſtotelis, quoniam poteſtas, quæ hanc diffinitionem conſtituit, eſt poteſtas, qua quicquid continetur, id non eſt actu hoc aliquid, hoc eſt, non ſubſtantia integra, ſuiſque viribus conſiſtens, quæ in certa rerum naturalium ſpecie ponitur, poteſtque digito indicari: Hęc autem poteſtas ſic propria eſt materiæ rerum caducarum, vt materiæ, quæ ſit alterius rationis, non conueniat: Qua è re quoniam in cęli materiam cadit hæc diffinitio, non alia erit eius natura, & eſsentia, ac ſit natura, & eſsentia materiæ rerum caducarum.

Alexand. Atque id quoque ſenſit Alexander, qui *in lib. 1. quæſt. nat. cap.* 10. putauit Ariſtotelem *in lib. 1. phyſ.* cæli materiam fuiſse quoque complexum, atque hanc non ſecus, ac materiam rerum natiuarum, & caducarum, eſse vltimum ſubiectum informe ſecundum ſe. Quapropter non immeritò quiſpiam exiſtimabit Alexandrum eſse nobis adiungendum, cum ſtatuimus formis omnibus mente, animoq;

Obiectio. ablatis eandem eſse cęli, & elementorum materiam. Neq; aliquis commoueatur, quod ſub exitum huius cap. & in cap. 15. Alexander videatur ponere aliquod diſcrimen inter materiam cæleſtem, &

Solutio. materiam elementalem, quoniam huius diſcriminis habet rationem, non quia illud admittat, ſed vt doceat eo dato non eſse neceſſarium has materias eſse compoſitas, & in his ponere aliquam differentiam, & qualitatem, qua inter ſe differant quoniam non omnia, quæ inter ſe differunt, aliqua differentia differunt: id quod nõnulli exiſtimarunt, eoque Philoponus fuit vſus ad perſuadendum, non aliam eſſe materiam cæli, & materiam corporum caducorũ.

Quibus diſſimilitudinibus materia cęleſtis ab elementali diſiungatur. Cap. XXVI.

AT verò ſi materia cęleſtis, & materia elementalis à nobis inſpiciantur in eo, quod ſuis formis ſubijciuntur, & ex ipſis cõſtituta

Materia cœleſtis, & materia elementalis in eo, quòd formis ſubijciũtur, diuerſæ.

ſtituta ſunt corpora cæleſtia, corporaque caduca, ſunt diſſimiles, atque huius diuerſitatis in cauſſa eſt non earum natura, ſed naturæ diuerſitas, quæ cernitur in formis, quibus ſubijciuntur, quod ſignificauit Ammonius *in com. lib. 2. de gen. et int.* 51. vbi habet hæc: Et fortè quis ſuſpicatus fuerit non propter naturam materię, ſed propter formas hanc aduenire differentiam; quoniam enim cæleſtium forma non habet contrarium, ſed & æterna, & ſemper eodem modo ſe habet, propter hoc huius materia ſemper actu eſt: generabilium autem materia actu & ipſa exiſtens, & nunquam informis manẽs, propter id, quòd contrarietas eſt in forma, accidit hanc ſemper habere eſſe in potentia. Hæc Ammonius, qui longiùs progrediens declinat in opinionem D. Thomæ, aſſeueratque has materias non ſolùm propter formam, ſed propria ex natura inter ſe differre, qua in re a nobis non auditur. Harum verò materiarum diſſimilitudines variæ quidem ſunt, ac multiplices, verùm tres dumtaxat, quæ ſeſe conſequuntur, & ex quibus cæteræ videntur exiſtere, conſiderabimus.

Ammon.

Prima diſſimilitudo.

Vna eſt, quia materia cæli nullam in ſe continet poteſtatẽ excipiendi aliam, nonnumque formam, quæ poteſtas a materia elementali nunquam eſt diuulſa.

Altera.

Altera, quoniam materia cæleſtis non ſubijcitur ortui, & interitui, quibus nunquam, non eſt ſubiecta elementorum materia:

Tertia.

Tertia, & extrema, quoniam materia, quæ in cæli seſt, minus propriè ſignificatur nomine materię, quod ſatis appoſitè fuit tributum materiæ, quæ principium eſt generationis.

Primæ diſſimilitudinis ratio.

Ratio primæ diſſimilitudinis hæc eſt: Cùm materia non ſit propter ſe, ſed propter ſubſtantiam compoſitam, nam pars non eſt propter ſe, ſed propter id, cuius eſt pars, & propter totum, quod eſt finis, & id, gratia cuius partes ſunt paratæ, eam obtinuit naturam,

Materia natura.

qua eſt aptè nata fieri pars ſubſtantiæ compoſitæ, atque hanc conſtituere, & in hanc conuerti; quoniam verò fit ſubſtantia compoſita ſuſcipiendo formam, & huic ſubiecta conſtituit ſubſtantiam compoſitam, ſua natura & ſubſtantia quædam rudis, inchoata, cuiuſuis formæ expers, & maximè commutabilis, quam ſequitur appetitus innatus, ſiue facultas, & poteſtas accipiendi, & ferendi formas naturales. Hæc poteſtas transferatur in actum, oportet, ne fruſtra materiæ ſit tributa, & vt materia ſuum finem conſequatur; in actum verò ducitur tum, cùm excipit formam, quam ſi fingamus animo æternam eſſe, non eſt, vt vlterius habeat poteſtatem excipiendi aliam formam, teneaturque alius formę appetitu, nam quorſum veterem exueret, & nouam indueret, ſi induta forma perpetua compos eſt ſui finis, qui eſt ſubſtantiam conſtituere, & in hanc eſſe conuerſam? Cęleſtis igitur materia, quia forma immortali eſt affecta, nullam aliam formam expetit, nec vllam aliam poteſt excipere, ſed in ea

omni

omni alterius formæ cupiditate extincta perpetuò fruitur veteri forma, & huic copulata conficit ſubſtantiam compoſitam ſempiternam; idque non obſcurè voluit Simplicius *in lib. 1. phyſ. com. 79.* cuius hæc ſunt; ſi materia formæ ſemper eſſet particeps, vt in cæleſtibus, neque indiga eſſet, neque appeteret, ſed eſſet quædam vna ex ambabus coniuncta natura. Atqui dubitabit quiſpiam: Cùm in natura materiæ ſita ſit poteſtas, quod multis in locis fuit ab Ariſtotele ſignificatum, atque materia formam ſuſcipiendo non amittat ſuam naturam, ſed contra compleatur, & abſoluatur, profectò nõ eſt, vt forma æterna materiæ ſuperueniente, vel in materia poſita eius poteſtas deſtruatur. Præterea ſi materia ab omni forma ſegregata naturam habet, quam ſequitur poteſtas, & facultas excipiendi quaſcunque formas, planè quoniam poteſtas non eijcitur, niſi actus vniuerſus accedat, in quem fertur poteſtas, non eſt, vt tota hæc poteſtas in materia deleatur à poſſeſſione vnius formæ, quamuis æternæ, quæ non eſt huiuſmodi, vt actum quæcumque tribuat aptè natum excipi à materia. Adhæc Ariſtoteles *in lib. 8. poſt nat. 15.* ſtatuit non alia ratione ex forma, & materia fieri per ſe vnum, niſi quia materia eſt poteſtas, & forma actus: ergo cùm cælum ſit verè per ſe vnum, eius materia non erit ſine poteſtate. De prima dubitatione dicendum eſt poteſtatis nomine quandoque ſignificari naturam quandam rudem, & dimidiatam, quæ eſt inchoamentum, & rudimentum naturæ integræ, ac perfectæ; & aliquando intelligi relationem naturæ ſubiectæ ad actum, cuius eſt carentia, cuiuſque excipiendi eſt habilitas: ſi in priore ſignificatione vocabulum poteſtatis vſurpetur, poteſtas eſt natura, & eſſentia materiæ; atque id ſibi Ariſtoteles voluit variis in locis: enimverò materia ſua natura nihil aliud eſt, quàm ſubſtantia quędam rudis, & inchoata, quæ ſic poteſt commutari, vt fiat ſubſtantia integra, & perfecta: in ſubſtantiam verò integram commutata, tametſi ſuam abiecerit ruditatem, non amiſit tamen ſuam naturam, ſed quod ante non erat, eſt conſequuta. Atque id quoque voluit Plotinus inquiens *in libro de duabus materijs,* ſicut in fęmina cùm potitur maſculo, non amittit ſuam naturam, ſed magis effęmineſcit, eodem modo materiam formæ coniunctam non amittere ſuam naturam & poteſtatem, ſed perfici, atque abſolui. Sin verò poteſtatis vocabulum in actione poſteriore vſurpetur, poteſtas non ſic tribuitur materiæ, vt omnem materiam conſequatur, ſed illius dumtaxat materiæ propria eſt, quæ non vnica forma contenta multas, ac varias ſibi formas induit; qua e re non eſt, vt cæli materiæ tribuatur, quæ ſuam formam ſic amat, vt alterius formę deſiderio non laboret. Secundæ dubitationi occurritur, quòd in materia formis omnibus cogitatione de-

Simplic. — *Dubitat. 1* — *Altera.* — *Tertia.* — *Explic. primæ dubitationis.* — *Poteſtas, vt ſit materiæ eſſentia, & vt non ſit.* — *Plotinus.* — *Secũdæ dubitationis explicatio.*

tractis

tractis duæ ſunt poteſtates, quarũ vna materia feſtus in formã abſolutè, ac ſimpliciter, altera in quaſcunq. formas, quæ ab ipſa poſſunt ſuſcipi; prior poteſtas, eſt verè poteſtas atq. naturalis, & in actũ progreditur, vbi materia excipit aliquã formã, qualis qualis fuerit hæc forma: poſterior autem non eſt vere poteſtas, ſed non repugnantia, quam plerique appellant logicam poteſtatem, quoniam naturæ materiæ, quæ multis varijſque modis eſt commutabilis, & in corpus quodcunque naturale poteſt tranſmutari, non eſt alienum quibuſlibet formis ornari; atque hæc poteſtas nunquam poteſt è materia tolli, ineſtque in materia cœli, nam hæc tametſi formæ ſempiternæ ſubiecta ſit, cum eius tamen natura nequaquam pugnat alias, diuerſaſque formas induere. Cæterum hæc poteſtas ſic materiam comitatur, vt non ſit neceſſe eam conſequi actum; nec propterea tanquã ſuperuacanea eſt eijcienda, quoniam logica eſt, & non naturalis, de qua audiendum eſt enunciatum: Fruſtra eſt poteſtas, quę nunquam ducitur ad actum. Quòd ſi aliquis obijciat hanc poteſtatem, quam logicam vocauimus, eſſe naturalem, quando quidem fluat ex intima natura materiæ, quæ ſic eſt comparata, vt ei non ſit aduerſum ſubijci varijs formis, variaſque formas excipere; reſpondebo hanc poteſtatem planè comitem eſſe naturæ materiæ, verùm non appellari naturalẽ, quod hæc appellatio illi ſoli poteſtati congruat, quæ primo naturæ conſilio fuit tributa: & verò materia primo naturæ conſilio habet poteſtatem excipiendi formam ſimpliciter; cæterũ quoniam materia nõ poterat hac poteſtatem donari, niſi vna quoque haberet naturam, cui aduerſum non eſſet induere multas, variaſque formas, factum eſt, vt conſequutione quadam, & ſecundo naturæ conſilio materia habuerit hanc non repugnantiam, quam vocamus logicam poteſtatem. Poſtrema dubitatio ita profligatur: Materia vacua ab omni forma eſt rudimentum quoddam, & inchoatio ſubſtantiarum naturalium, atque effectione agentium naturalium completur, idque fit, in quod mutari eſt apte nata; id quod ei accidit forma accedente: Hæc verò non per ſe ſeparata exiſtens materiæ per ſe conſiſtenti copulatur, vt putant idearum amatores, ſed in hac ingeneratur effectione illius, quod mouet, mutatque materiam; nam hoc dum quod eſt poteſtate in actum traducit, & quod eſt inchoatum perficit, in cauſſa eſt, vt forma ſit in materia, & vt forma, ac materia fiant vnum: Ex forma igitur & materia vnum exiſtit, quia materia eſt poteſtas, hoc eſt rudimentum, & inchoatio illius, quod eſt per ſe vnum, & ſubſtantia integra, & forma eſt actus, & complementum. Id cum Auerroes probè teneret, *ſub exitum lib. 8. poſt nat.* ſcripſit traductionem eius, quod eſt poteſtate, in actum non largiri multitudinem, ſed perfectionem, nam quod efficitur, eſ-

In materia duæ poteſtates.

Obiect.

Reſpon.

Tertiæ dubitationis explicatio.

Forma vt fiat in materia.

Auerroes.

Digitized by Google

ſe illud meo, quod ante erat poteſtate, quodque cauſſæ efficiẽtis opera perficitur, & abſoluitur. Cæterum hoc in loco eſt attendendum, quòd ſanè in ijs, in quibus eſſe poteſtate temporis origine antecedit eſſe actu, & inchoatio, ac rudimentum antegreditur complementum, & abſolutionem, id, quod eſt poteſtate, & inchoatio, in ſe continet poteſtatem excipiendi nouam formam, quæ poteſtas ducitur in actum mouentis effectione: at in ijs, quorum eſſe poteſtate nunquã tempore anteceſſit eſſe actu, quorumve inchoatio, & rudimentum nunquam fuit a ſua perfectione diſiunctum, veluti in cœleſtibus corporibus, non eſt locus huic poteſtati, neque cauſſæ effectrici: quocirca etſi cælum ſit verè per ſe vnum, ex ea tamen materia conſtat, in qua nulla eſt poteſtas nouæ formæ excipiendæ; Hæc autem poteſtas in caducis ſic materiæ eſt copulata, vt ab ea nunquam diuellatur, nam cum formæ caducæ nequeant non labi in interitum, atque materia a forma diſſociata non maneat, neceſſe omnino eſt ei perpetuò ineſſe poteſtatem excipiendi nouam formam, atque hanc ab ea excipi vetere forma intereunte.

Secũdi diſſimilitudinis ratio.

Ex his ratio intelligitur ſecundi diſcriminis: enimverò cùm cæleſtis materia nunquam ſuam abijciat formam, nec aliam vnquã excipiat, ortui, & interitui non ſubijcitur, quæ mutationes inde exiſtunt, quod materia veterem formã amittat, & nouam acquirat: contra vero materia elementalis ortũ, & interitum ſuſtinet, nam cum eius formæ ſint natiuæ: & caducæ, non poteſt non verſari in his ſuſcipiendis, & abijciendis.

Ariſtot.

Hoc diſcrimen aperuit nobis Ariſtoteles *in libro* 12.*poſt nat.* 10. vbi ſtatuit omnia, quæ mutantur, materiam habere, ſed aliam, atque aliam, nam ſempiterna habere materiam non generabilem, ſed loco mobilem: & in

Themiſt.

hanc ſententiam ſcripſit Themiſtius *lib.3.phyſ.3.* corpus æthereum vi ſuæ naturæ ſolo actu conſiſtere, quia nequit de forma, & ſpecie ſua mutari, particeps tamen ad quendam modum poteſtatis eſſe, quatenus in loco mouetur.

Tertiæ diſſimilitudinis ratio.

Themiſt.

De materia duo dicuntur nomina.

Reſtat tertium, & poſtremum diſcrimen, cuius ratio hinc poteſt ſciri; Duo nomina, vt inquit Themiſtius *in digreſſione de materia & de priuatione*, ſolent de materia prædicari ſubiectum, & materia; horum primum tum aptè vſurpatur, cum materia ſpectatur in eo, quod formæ ſubijcitur, & ex ipſa quippiam eſt conſtitutum; alterum, cum refertur ad ea, quæ ex ipſa fieri, oririve

Materia quãdo ſubiectum, & quãdo materia dicatur propriè.

poſſunt, vt exempli gratia æs eatenus appellatur materia ſtatuæ, quatenus hæc ex eo fieri poteſt, vbi autem eſt formatum, & in ſtatuam conuerſum nõ amplius materia, ſed ſubiectum rectè vocatur.

Ariſtot.

Alexand.

Id perſpicuè fuit ab Ariſtotele ſignificatum *in lib.14.poſt nat.cap.3.* quo in loco ſcribitur cuiuſque materiam eſſe id, quod eſt poteſtate tale: ac præterea ab Alexandro *in comm. lib. de ſen. & ſenſib. comm.* 10. vbi hic ſtatuit, ſi quod eſt poteſtate aliquid; id eſſe huius materiam.

Quòd

Quòd ſi illud, quod eſt alicuius materia, eatenus eſt huius materia, quatenus poteſt fieri ipſum, & vbi fuerit factum, non amplius eſt eius materia, ſed illudmet, patet id, quod in compoſito ex materia & forma vocatur materia, propriè non eſſe huius materiam, ſed alterius, quod ex ipſo poteſt fieri; ac propterea non rectè dici quippiã ex forma & materiæ eſſe compoſitum, quamquam in eo ſit illud, quod antequam ipſum fieret, propriè vocabatur ipſius materia. Cum igitur materiæ appellatio propriè ſecum contrahat rationem poteſtatis, ac priuationis, pertineatque ad futura, & ad ea, quæ facta, ortave nondum ſunt, ſubiecti verò nomen nõ includat poteſtatem, ac priuationem, attineatque ad facta, & generata, profectò materia cæleſtis multò proprius, & accommodatius ſubiecti, quàm materiæ nomine ſignatur, quippe quæ ſuæ formæ eſt perpetuo ſubiecta, immortaliterque conſtituit corpus cæleſte, nec vt ex ſe aliud quippiã oriatur, vllam habet poteſtatem. At verò materia elementalis tametſi vtramque obtineat appellationem, multo tamen aptius materiæ nomine nuncupatur, quoniam maior eſt ei coniunctio cum poteſtate, ac priuatione, quam cum forma, cui ſubijcitur; & magis eſt apta, vt ex ſe quippiam oriatur, quàm vt tueatur id, quod iam eſt factum, & conſtitutum. Hoc diſcrimen, cùm Auerroes non ignoraret, *in lib. 12. poſt nat. com. 12.* ſcriptum reliquit materiam, cuius eſſentia ſita eſt in poteſtate, in ſolis ſubſtantijs, quæ oriuntur, & intereunt, vere reperiri; ſubſtantias verò æternas, quia nullam habeat poteſtatem ad interitum, materia carere, atq; in his, quod vocamus materiam, id eſſe quippiam actu exiſtens, multoque rectius ſubiectum, quam materiam nominari. Verùm hic in eo, vel maximè peccat, quòd cenſeat materiam in cælis ſubiectam ſua vi actu conſtare, & per ſe ſubſiſtere in rerum vniuerſitate, quod abeſſe ab Ariſtotelis ſententia ſupra docuimus.

Materia, quæ eſt in compoſito, non eſt proprie huius materia.

Materia cæleſtis rectius ſubiectum, quã materia dicitur.

Materia in caducis corporibus aptius materia, quã ſubiectum vocatur.

Refelluntur ea, quæ materias cæleſtem & elementalem naturam, & eſſentia differre videntur perſuadere. Cap. XXVII.

HIs ita conſtitutis tollendæ ſunt dubitationes, quæ exagitant illos, qui ſtatuunt eandem eſſe materiam cæli, & elementorum, quæque ſupra fuerunt à nobis expoſitæ Philoponi, Auicennæ, & Egidij opinionem conſiderantibus. Primæ dubitationis caligo diſcutitur, quòd quemadmodum materia cæli eſt idonea, quæ cæleſti formæ ſubijciatur, & materia elementorum eſt apta ad natiuas formas excipiendas, ita illa his poteſt indui, & hæc illam poteſt aſciſcere; verùm has poteſtates non eſt neceſſe ad actum perduci, quia logicæ ſunt, neque a natura impertitæ, vt materia ſuſciperet

Ad 1. arg. reſpon.

actus,ad quos referuntur. Secunda explicatur, quia Ariſtoteles dum materiam finit non eſſe actu hoc aliquid, ſed poteſtate, nihil aliud ſibi vult, quàm materiam ſecundum ſe ſpectatam, & ab omni forma ſeparatam non eſſe ſubſtantiam integram, ſuiſque numeris abſolutam, quę certa rerum ſpecie continetur, poteſtque digito mõſtrari, ſed dimidiatam, verùm apte natam expleri, ſuamque conſequi integritatem: Quo autem modo poteſtas ſit, & non ſit in eſſentia materiæ in ſuperioribus abundè expoſitum eſt: Cum adiungitur *in lib.8.poſt nat.* tolli è corporibus ſempiternis poteſtatem, ac materiam, ne hæc laſſitudine impediantur, quò minus ſempiterno tempore moueantur, id verè adiungitur, cæterum hæc poteſtas excipiendi nouam formam, & hęc materia eſt poteſtas, & materia propriè dicta, nam hæc poteſtas, & hæc materia ſunt cauſſæ defatigationis. Loci Ariſtotelici, quibus perſuadetur materiam eſſe principium generationis, & interitus ſi legitimè explicentur, nullum contra nos robur habebunt. Equidem abſque materia nihil gigni, corrumpi ve poteſt, quoniam quicquid fit, ex ſuo fit contrario: & ex cõtrario nihil poteſt fieri, niſi ei vna natura ſit ſubiecta, ex qua, cum inſit, id fiat, quod generatur *li.1.Phyſ.cap.51.* Accedit, quòd quicquid tranſmutatur, id patitur, nouamque formam induit, exuitque veterem; & vnumquodq. materiæ fert acceptum, quòd patiatur, quodque ſuſtineat mouentis effectionem, qua vetus forma eijcitur, & noua introducitur, ſed materia (nomine materiæ intelligo naturam ſubiectam, quæ in eo, quòd ex ipſa quippiam poteſt oriri, nuncupatur materia) non eſt cauſſa princeps, & adæquata generationis, & interitus, ita vt vbicunq. ipſa eſt, ibi ſint ortus, & interitus; neque id intelligitur ex locis Ariſtotelis, quos hoc modo explicamus. In primo loco Ariſtoteles contemplatur materiam, quatenus eſt rerum naturalium generationis principium, & coniuncta eſt poteſtati, ac priuationi, ſcitè eam finiuit primum ſubiectum, ex quo quippiam fit eo pacto, vt inſit; verùm materia tametſi reperiatur in cælo, non propterea cælum fuit aliquando generatum, quoniam quæ in eo ponitur natura ſubiecta diſiuncta eſt a poteſtate, ac priuatione, nec propriè tenet materiæ appellationem. Proximum locum ex lib. 1. de cælo erutum ſi aduerſarij paulò attentiùs inſpexiſſent, illum non multi feciſſent: Hoc in loco Ariſtoteles ita argumentatur: Omne, quod generatur, ex contrario, & ſubiecto fit quodam: atque identidem omne, quod corrumpitur, ſubiecta materia, & a contrario corrumpitur: ſi igitur nihil cælo eſt contrarium, nam corporũ contrariorum lationes ſunt contrariæ; & conuerſioni, qua cælum ſua natura cietur, nullus motus eſt contrarius: nec etiam cælum generationem, & interitum accipit, rectoque natura videtur id a con-

Ad 2.

Ad 3.

Ad 4.

Abſq. materia cur nihil gignatur.

Materia nõ eſt cauſſa ortus & interitus adæquata.

Loci Ariſtot. in calce li.1.phy. explanatio

Loci lib.1. de cælo 20. explanatio

trarijs

trarijs exemiſſe, quod eſt ingenerabile, & incorruptibile. Hęc eſt Ariſtotelis argumentatio, ex qua intelligitur in generatione, ac interitu materiam quidem poſtulari, quippe quæ ſubijcitur mutationi, cæterum hanc non adimi cælo, e quò tantum eijcitur hoc, quod eſt contrarium habere; Qua propter cum materiæ hoc in loco mentio habeatur, neque ea tollatur è cælo, liquet materiam non eſſe principium quo res corrumpitur, alioquin Ariſtotelis argumentatio eſſet manca, nec firmiter perſuaderet. Loci, in quibus affirmatur materiam eſſe cauſſam, qua res poteſt eſſe, & non eſſe, materiam habent propoſitam in illa conſideratione, in qua propriè vocatur materia, & ſecum contrahit rationem poteſtatis, ac priuationis, nam materia hoc modo conſiderata cauſſa eſt, vt res poſſit eſſe, & non eſſe, quando quidem rei formam poteſt excipere, eãdemque receptam abijcere, ac aliã, & contrariam induere. At verò ſi ſpectetur in eo, quod propriè vocatur ſubiectum, & minus aptè ſignificatur materiæ nomine, non eſt cauſſa, qua res queat non eſſe, ſed duntaxat, vt ſit, quoniam formæ ſubijcitur, qua id quod eſt, illud ipſum eſt, quod eſt, quòd ſi formæ immortali ſubijciatur, vt res ſemper ſit, cauſſam præſtabit. Quinetiam de materia eodem modo conſiderata audiendus eſt locus in lib. de longit. & breuit. vitæ. Etenim cùm materia in hac conſideratione reſpiciat formam venturam, quam poteſt ſuſcipere, & nequeat nouam formam excipere abſque mutatione, quę vertitur in contrarijs, neceſſariè fit ibi eſſe locum contrario, vbi eſt materia, quæ nouam poteſt formam excipere. His ad hunc modum explicatis concidunt Auerrois argumentationes, quibus ſupra fuit confectum ex materia, & forma cælum non eſſe compoſitum, quoniam materia, quæ in cælis ſubijcitur, nullam inſitam habet naturalem poteſtatem excipiendi nouam formam, neque eſt idonea accipere terminos contradicentes. Nec minus concidit ſecundum Zabarellæ argumentum idem conficiẽs, nam cũ inquit Zabarella omnem ad eſſe poteſtatem eſſe cõtradictionis poteſtatẽ, verè ſentit; at in cæli materia nõ eſt ſita huiuſmodi poteſtas, quæ verè, ac propriè ſit poteſtas diſiuncta ab eo, ad quod refertur. Nec quicquam facit, quòd forma cæleſtis largiatur eſſe, quoniam hæc ſic tribuit eſſe, vt hoc nunquam a cæleſti materia ſit diſiunctum; ex quo fit, vt hæc reſpectu illius non contineatur vera, & propria poteſtate. Nec præterea ex poteſtatis patibilis diffinitione intelligitur illud omne, cui hæc poteſtas data eſt, obnoxium eſſe interitui, quoniam licet id, cui ineſt poteſtas patibilis, neceſſe ſit ab alio mutari, non tamen quicquid mutatur, id ab eſſe id non eſſe, aut à non eſſe ad eſſe mutatur, cum præter has mutatio-

Materia vt ſit cauſſa, qua res poteſt eſſe & nõ eſſe.

Materia vbi eſt ibi eſt contrariũ, quo modo intelligendum.

Diluuntur Auerrois, & Zabarellæ argumenta, quibus conficitur, quod materia habet, id eſſe caducum.

nes

nes ſint aliæ mutationum ſpecies. Denique Ariſtoteles optimè cõcludit motores corporum cæleſtium eſſe à materia ſolutos, alioqu n

Loci in li. 12. poſt na tu. 30. explanatio.

non eſſent ſubſtantiæ ſempiternæ, hoc eſt ſubſtantiæ ſempiterno tẽpore mouentes; quoniam, vt oſtenſum eſt *ſub exitum lib. 8. phyſ.* eis hærens in materia nequit infinito tempore mouere. Proximi argu-

Ad quintũ loci q. li. 10 poſt na. 26 explanatio

menti duæ ſunt explicationes; Vna eſt, quòd Ariſtoteles definiens in loco recitato quæ genere ſunt diuerſa, ea definit, quæ in diuerſis categorijs poſita ſunt, atque huius fidem faciunt, quæ continuò ſubiunguntur; nam cum Ariſtoteles dixiſſet genere differre, quorum non eſt communis materia, neque mutua generatio, proximè ſubiungit, vt puta, quorum alia prædicationis eſt figura: ex quibus nemo non poteſt intelligere Ariſtotelem ea habere propoſita, quæ in di-

Noua explanatio il lius, Mortale & immortale genere ſũt diuerſa.

uerſis categorijs continentur: Corpora verò cæleſtia & caduca genere non ſic differre, & quæ in diuerſis categorijs locantur, nõ eſt, vt cuique accidat dubitandum. Altera, explicatio omnibus Peripateticis erit forſitam inaudita, quorum communi conſenſu iampridem ſancitum eſt mortale, & immortale genere differre, atque id ſtatui ad finem lib. 10. poſtnat. hoc autem à vero abhorrere nunc intelligetis: Huius theorematis: Mortale, & immortale ſunt genere diuerſa: duæ poſſunt afferri explicationes: Vna eſt, vt hæc in diuerſis generibus poſita ſint, alioque genere mortale, & alio immortale contineatur: Altera vt hæc in ſe habeant generis diuerſitatem. Voco generis diuerſitatem illam differentiã, qua genus in ſuas ſpecies diuiditur, quæ quam eam ob cauſſam inuenit hanc appellatio-

Generis diuerſitas & differẽtia, qua genus in ſuas ſpecies diuiditur.

nem, quoniam, vt paulò ſupra *in tex. 24.* dicebat Ariſtoteles, genus facit in ſuis ſpeciebus diuerſum: Itaque hoc pacto ſpecies, quæ ab eodem genere complectuntur, ſunt genere diuerſæ, hoc eſt inter ſe differunt generis diuerſitate, quod diſiungantur generis differentia: Omnes Peripatetici priorem explanationem amplexantur, id quod fuit cauſſa, vt errarent, cum hæc ſit abijcienda, & poſterior retinenda; idque conſtat tum ex argumentatione, quam adhibet Ariſtoteles ad hoc theorema confirmandum, tum etiam ex iis, quæ proximè ſubiunguntur: Argumentatio eſt huiuſmodi; Cùm contraria ſint ſpecie diuerſa, & mortale, atque immortale ſint contrãria, hæc genere diuerſa ſint, oportet, id eſt habeant in ſe generis di-

Ariſtotelis argumentatio.

uerſitatem, & ſpecie diſtinguantur, eſt neceſſe. Niſi concluſio hoc modo explicatur, ea ex poſitis propoſitionibus non poterit colligi, quando quidem ſi eam voluerimus interpretari, vt ſententia ſit mortale, & immortale diuerſa genera obtinere, quod eſt in ea attributum, ſiue prædicatum id in propoſitionibus non erit aſſumptum totaque argumentatio ex quatuor terminis conſtabit, quod non caret vituperatione. Confirmant hanc explanationem ea, quæ proxi-

proximè adijciuntur, quæque ſunt: Videbitur non neceſſarium eſſe caducum quoduis, atque immortale ſpecie diuerſa eſſe. His dubitat Ariſtoteles nunquid neceſſaria ſit concluſio prægredientis argumentationis. Et profectò id ſatis eſt Ariſtoteli ad profligandas Platonis ideas, quod ei hoc in loco propoſitum eſt, nam cum ſentiat Plato ſubſtantiam omnem generari à ſubſtantia, quæ ſit euſdem ſpeciei, & rationis, homo mortalis non poterit gigni ab idea immortali, cum ę terpuni, & caducum ſpecie diſtinguātur. Nec verò obijciant nobis aduerſarij ſub exitum huius libri haberi hæc, Ea

Obiectio.

verò, quæ genere ſunt diuerſa (his verbis caducum, & immortale ſignificantur) plus diſtant, quam ea, quæ ſpecie ſunt diuerſa, quoniā hæc oportet in hunc ſenſum accipere. Quę genere ſunt diuerſa, id eſt, quæ generis habent diuerſitatem, & ſpecie diſtinguuntur, magis diſcrepant, quam quæ ſpecie ſunt diuerſa, hoc eſt, quam quæ ſpecie habent diuerſitatem, & inter ſe numerò differunt: Vt enim differentia ſecundum ſpeciē eſt generis diuerſitas, ſic differentia ſecundum numerum eſt ſpeciei diuerſitas. Hæc explanatio ex eo poteſt confirmari; quod cum Plato exiſtimaret, quicquid cadit in generationem, gignirā re, quæ ſit eiuſdem nominis, & rationis; ac proinde generatum, & generans inter ſe numerò tantum differre, ſequitur ideas nihil conferre generationi, nec ab his quippiam gigni, quippe quæ ſeculis omnibus ſunt immortales, & quæ generantur, interitui ſunt obnoxia, & verò quæ manent perpetuò, & quæ pereunt, magis differunt, quam quæ numero tantum diſcrepant, quod ſpecie ſint diuerſa. Argumentum, quod deinceps ſequitur, Ariſtotelis loco *in lib. 1. de gen. & int. 54.* nititur, ex quo aduerſarijs colligunt; ſi cælorum, & elementorum vna eſſet materia communis, fore, vt hæc viciſſim agant, & patiantur, ſed planè perperam, nam cum verba huius loci ſint hæc: Quæcunque efficientium non in materia formam habent, illa ſunt impatibilia, quæcunque autem in materia, patibilia. In his materiæ nomine ſignificatur natura ſubiecta aptè nata in formis contrarijs mutari, formaſque contrarias excipere, quæ natura non eſt in cælis, quoniam licet naturæ his ſubiectæ non ſit aduerſa in formis contrarijs mutatio, & formarum contrariarum ſuſceptio, ſi per ſe ſolitaria, & à forma cæleſti ſeparata animo complectatur, attamen in eo, quod eſt ſubiecta formę immortali contrario carenti, non eſt aptè nata ſubijci formis contrarijs, & ex altera in alteram mutari. Porrò hoc in loco non eſt prætereundum, quod quamuis quæcunque viciſſim agunt, & patiuntnr, eorum vna ſit communis materia, non tamen retrò commeat, vt quorum vna eſt ſubiecta natura, hæc omnia viciſſim agant, & patiantur nam grauitas, & leuitas, anima canis, & anima æqui, atque vitis, vlmique

Repulſio.

Differētia ſecundum numerum diuerſitas ſpeciei.

Ad ſextū locuſq; explicatur l. 1. de gen. & int. 54.

mique

mique formæ; vt interim mittam vnius ſpeciei indiuidua ſolo numero differentia, vnam habent naturam ſubiectam, cum inter ſe nequaquam viciſſim agant, aut à ſe mutuò patiantur. Nec ſanè immeritò, nam præter materiæ communitatem oportet accedere cōtrarietatem, ſine qua non exiſtit mutua actio, mutuaque paſſio, qua e re quoniam corpora cæleſtia, & corpora caduca nulla contrarietate ſunt inter ſe aduerſa, non ſequitur, ſi materiæ, naturæq; ſubiectæ habeant communitatem, ea viciſſim agere, & pati. Quòd ſi quiſpiam obijciat Ariſtotelem *in lib.2.de gen.& int.46.* ſtatuentem quicunque exiſtimant cōmune aliquod elementorū eſse ſubiectūrū, his confitendum eſse elementa viciſſim inter ſe mutari, & quicunque aſseuerant elementa inter ſe viciſſim mutari, oportere hos commune eſse aliquod ſubiectum affirmare, reſpondebo id in elementis verè fuiſse ab Ariſtotele conſtitutum, quoniam hæc pugnant inter ſe, ſibique mutuò aduerſantur. Sed & id quoque poteſt dici, quòd ea propriè dicuntur habere materiam communem, quorum natura ſubiecta eſt aptè nata formam alterius excipere, alterumq; fieri, nam materia, vt dictum eſt, propriè appellatur hoc nomine in eo, quod ex ipſa poteſt quippiam confici. Hoc autem pacto quæcunque materiam habent communem, eorum mutua eſt commutatio. Id verò non cadit in cæleſtia corpora, & caduca, nam natura in his ſubiecta non eſt huius modi, vt ex ipſa poſſint altera fieri, non enim ex natura in cælis ſubiecta poſsunt caduca corpora oriri, quo fit, vt hæc natura reſpuat materiæ appellationem, neque ex ea, quæ ſubijcitur caducis, vllum cæleſte corpus poteſt oriri, ex quo exiſtit, vt hæc reſpectu cæleſtium corporum non poſſit materia vocari. Sequuntur duo loci, in quibus Ariſtoteles perſpicuè aſseuerat in cælis aut non eſse materiam, aut non talem, qualis eſt in corporibus caducis, ſed ſolum loco mobilem. Vt ſententia loci *in lib.8. poſtnat.12.* percipiatur, ſciendum eſt vocabulum materiæ duas notiones habere, vnam latè patentem, alteram anguſtam, & preſsam. Si materiæ vocabulum latè capiatur, in cælis eſt materia, hæcque diuerſa eſt à materia corporum ſublunarium. Sin verò preſsè, in cælo non eſt materies. Enimvero materiæ vocabulum fusè captum ſignificat id, quod eſt poteſtate, qualiſcunque ſit hæc poteſtas: itaque quoniam natura in cęlis ſubiecta eſt poteſtate, quādoquidem cælum in perenni motu verſatur, & motus nunquam eſt à poteſtate diſiunctus, conficitur, vt hæc cæleſtis natura poſſit materia nuncupari latè accepta huius vocis ſignificatione. Cæterùm hęc materia diuerſa eſt à materia rerum caducarum, nam cum materia per poteſtatem conſtituatur, & poteſtates, quibus conſtituuntur materia cæleſtis, & materia elementalis, ſint diuerſæ, relin-

Obiectio.

Repulſio. & explicatio loci in l.2.de gen. & int.46.

Ad ſeptimum.

Loci lib.8. poſtna.12. ſententia.

Quomodo cælum non habeat materiā, aut ſi habet materiam hæc ſit diuerſa à mortaliū materia.

lin-

linquitur has materias inter ſe diuerſas eſſe. Has poteſtates differre inter ſe argumento eſt, quod cæleſtis materiæ poteſtas ſolum fertur in locum, & alterius materiæ poteſtas in locum, formam, qualitatem, & quantitatem. Atque hinc ſequitur, vt materia cæli in loco duntaxat moueatur, & corporum caducorum materia omnibus motibus, omnibuſque mutationibus ſubijciatur, ac præterea vt illa ſit ens actu, nam quod in loco mouetur, eſt ens actu, & hæc ſit ens poteſtate: eſt enim generationis ſubiectum, quod eſt ens poteſtate *lib.1.phyſ. & lib.1.de gen. & int.* Sin verò preſsè, ac propriè vſurpetur materiæ vocabulum, hoc ſignificatur id, quod eſt poteſtate ad formam ſubſtantiæ, conſtitutricem accipiendam, & eſt interitus ac generationis ſubiectum, atque in hac ſignificatione materia non eſt natura in cælis ſubiecta, quæ, vt ſuprà aperuimus, rectius ſubiecti nomine nuncupatur. Quod autem propriè vocatur materia, id eſſe interitus, & generationis ſubiectum ſtatuit Ariſtoteles *in lib.1.de gen. & int.24.* vbi ſcriptum reliquit materiam maximè quidem, & propriè eſſe ſubiectum capax generationis, & interitus, modo autem aliquo materiam dici ſubiectum in cæteris mutationibus. Sententia igitur Ariſtotelis eſt hoc in loco, ſi vocabulum materiæ propriè, ac preſsè capiatur, materiam non eſſe in ſubſtantijs, & corporibus perpetuis; ſin amplè, & communiter, in his quidem eſſe materiam, ſed non illius modi, cuius eſt materia corporum caducorum. Alterius verò loci *in lib.12. eiuſdem operis* 10. ſententia hæc eſt: Cum materia duobus modis poſſit conſiderari, vno modo ſegregata ab omni forma, altero in eo, quòd eſt mutationi ſubiecta: in priore conſideratione non alia eſt in cælis materia, & alia in corporibus caducis; in poſteriore, in qua Ariſtoteli hoc in loco eſt propoſita, cæleſtis materia diuerſa eſt ab elementali, nam hæc nullum non ſuſtinet mutationis genus, illa ſolam conuerſionem excipit, quę ipſius ſic propria eſt, vt non cadat in materiam elementalem. Quod loco extremo affertur, id non eſt efficax ad perſuadendam harum materiarum diuerſitatem, tum quia falſum eſſe putamus caduca, & ęterna corpora genere diſtingui; tum etiam quia poteſtates ijs actibus diſtinguuntur, ad quos primum referuntur; & materia primum fertur in formam vniuersè, ac abſolutè, & in caducam, vel ęternam quodammodo ex euentu, quapropter non eſt neceſſe naturam in cælis ſubiectam eſſe ab ea diuerſam, quæ eſt rerum caducarum, tametſi illa formæ æternæ ſubijciatur, & hæc mortali. Id exemplo videndi facultatis poſſumus declarare, quæ ad cernendum colorē vniuersè acceptum primo eſt comparata, ſecundò autem, ac veluti ex euentu ad colorem æternum, vel caducum, quocirca non eſt neceſſe vim, qua cæli ſydera intuemur, ab ea eſſe diuerſam, qua mor-

Loci l.12. poſtnat.10. ſententia.

Ad octau.

Digitized by Google

talium colores apprehendimus. Quod pertinet ad modum varium quo actus ſuſcipitur à materia cæleſti, & à materia elementali, in hoc non eſt magnum momentum, nam cum hæc diſſimilitudine coniuncta eſt magna ſimilitudo; quæ in hoc conſiſtit, quod vtriuſq; materiæ actus ita accipiatur, vt penitus hæreat, & informet; atq; hoc eum per ſe inſit, maioris eſt momenti ad has materias coniungendas, quàm illud, quod eſt quodammodo in accidentibus, ad eaſdem diſiungendas.

De Cæli forma opiniones variæ. *Cap. XXVIII.*

Forma cæleſtis nunquid ſit anima. *Albertus. D. Thom. Egidius.* *Algazeles Auicennas Iulianus Trallian. Herminus. Philopon.* *Alexãder enarrator lib. poſtna.* *Simplicius* *Cælo cur Simplic. dederit mentem.*

NAtura, & eſſentia cæleſtis materiæ patefacta proximum eſt, vt formam, cui materia hæc ſubijcitur, inueſtigemus, ac primum quidem conſideremus, nunquid hæc forma cæleſtis animatum genere contineatur. Albertus, D. Thomas, & Egidius ſentiunt formam, quæ cæli ſubſtantiam conplet, infra genus animarum poſitam eſſe, atque cęlo tribuere naturam, per quam expers grauitatis, & leuitatis eſt aptè idoneum circulo ferri. Algazeles *in lib. 1. Philoſophiæ tract. 4. cap. 2.* Auicennas *in tract. 9. poſt nat. cap. 2.* alijq; Arabes hac forma non contenti animam addiderunt, quam quoque Iulianus Trallianus, & Herminus veteres Peripatetici adiunxerunt: Hos ſcribit Simplicius *in li. 2. de cælo com. 3.* in cælo præter formam, & naturam, qua id mouetur in orbem, animam poſuiſſe, atque ex hac voluiſſe Iulianum cælum nanciſci, quòd ad dexteram moueatur, & Herminum, quod in infinitum. Eadem fuit opinio Philoponi, & Alexan. lib. poſtnat. enarratoris, quamquã hi in eo diſſentiant à Iuliano, & Hermino, quòd Philoponus arbitratur cæleſtem motionem ſimul ab anima, & a natura proficiſci, neque diſſimilem eſſe ab auium rectà ad infera loca pergentium volatu, in quo animæ impetus adiungitur inſitæ, ac naturali corporis propenſioni: Alexander verò *in com. 34. lib. 12. poſt nat.* putat à forma, quæ eſt natura, tribui habilitatem, & propenſionem ad motum orbicularem, & ab anima actum tranſeundi ex otio, & muneris vacuitate in muneris functionem. Ab hoc non diſſentit Simplicius, qui *in lib. 1. de cælo com. 36. & in loco recitata* mentem præterea cum anima copulauit, ſtatuitque cælum, quòd ſit habile, vt ſubijciatur conuerſioni, formæ, quæ eſt natura, acceptum ferre; quòd in actum exeat, animæ; & quod ſemper moueatur, & ſecundum eadem, ac in eodem, menti. Cælo autem dedit mentem, quod non ignoraret cælum pulchritudine cęteris corporibus anteire, & Platoni fidem haberet aſſeueranti *in Timæo* nihil eorũ, quæ ſecundũ naturã aſpectui ſubiecta ſunt, ſi mẽtis expers ſit, alio, cui impertita ſit mens, pulchrius vnquã fore. Alexander

der Aphrodiſienſis animam ſanè cælo eſt largitus, verum ſi credēdū eſt Simplicio *in loco memorato* hac excepta nullā aliā formam, quæ natura ſit, in cælo collocauit, ſed animam ipſam putauit eſſe naturam cæli, quoniam cum cęlum ſit corpus ſummè perfectum, eius quoque natura erit ſummè perfecta, cuiuſmodi eſt anima. Ego in hac controuerſia eos omnes arbitror facere cum Ariſtotele, qui cælo largiuntur animā, ut paulò poſt explicabo. Nunquid verò præter animam alia forma in cælo ſit ponenda, magnam habet dubitationem, nam quòd anima excepta cælum non ſit alia forma donandum, id videtur perſuadere, quòd forma ex officio & opere dignoſcatur, & cælum nullam ex ſe promat muneris functionē, quæ poſſit fidem huius formæ exhibere. Quòd plerique eius amatores aſſeuerent officium huius formæ peculiare in hoc verſari, vt tribuat cælo propenſionem ad conuerſionem, id alijs videtur improbabile, tum quia formæ eſt agere *lib. 2. de gen. & int.* 53. & non pati, aut ad patiendum tribuere procliuitatem; tum etiam, quoniam hæc forma eſſet elementorum formis deterior, quæ non ſolum præſtant, vt elementa ſint aptè idonea proprijs motionibus ſubijci, ſed præterea ſunt principia multarum functionum, in quibus obeundis elementa occupantur: Quòd ſi cum alijs quiſpiam dixerit hanc formam veluti cauſam effectricem tribuere motum, id damnant aduerſarij, quoniam anima eſt cauſſa efficiens cæleſtis conuerſionis, & præter animam nulla alia cauſſa eſt inducenda. Sed & anima, vt ego arbitror, nequit eſſe cauſſa cæleſtis conuerſionis, quia hæc nullam cauſſam poſtulat, à qua per modum efficientis tribuatur, quemadmodum declarauimus; & in omnibus; Quod tribuit motum, id eſt diuiſum, ac ſeparatum ab eo, quòd accipit motum *lib. 8. Phyſ.* 30. & anima, quæ in cælo eſt ponenda, non eſt à cælo ſeparata. At verò hanc formam cælo non eſſe adimendam illud ſuadet, quòd nefas ſit animam cæli præſtantiſſimam proximè cum materia coniungi, atque hanc proximè informare: Etenim ſi animantium caducarū animæ nequeunt vilem, informemque materiam perficere, antequam formis elementorum caſtigatis fuerit parata, & inſtructa, conſentaneum quoque videtur animam cæleſtem, quæ illis eſt multò præſtabilior, nō poſſe rudem informemque materiam complere, niſi hæc antè ſuam abiecerit ruditatem, & informitatem, atque forma aliqua fuerit affecta, cuius coniunctione fiat habilis, quæ cæleſti animæ ſubijciatur. Hęc autem forma non eſt natura cæli, vt plerique eius fautores crediderunt, ſed apparatus, & inſtructio ad animam, quæ eſt propria cæli natura, excipiendam: quapropter non eſt, vt cuique mirum videatur, ſi præter hæc, quod eſt materiam inſtruere, ac parare, nullum aliud à natura obtinuit munus, in quo exerceretur. Neque agere,

Alexāder Aphrodiſienſis.

Opinio authoris qđ in cælo anima ſit ponenda.

Nunquid præter animam alia forma in cælis ſit ponenda incertum.

Anima non eſt cauſa efficiens cæleſtis conuerſionis.

Præter animam in cęlo aliā formam eſſe ponendam quæ videātur ſuadere.

quod eſt efficere, ſic eſt proprium formæ, vt huic quoque non tribuatur pati, quod ſalutem affert, ac perfectionem, ſiquidem grauitas, & leuitas, quæ à pleriſque elementorum formæ iudicantur, ſunt principia patiendi; & ſentire, quod eſt animæ ſenſualis opus proprium, eſſe pati *in lib. 2. de anima* varijs in locis fuit ab Ariſtoteles ſignificatum. Poſterior opinio, quæ cælo formam tribuit præter animam, non eſt quidem contemnenda, verum non eſt, vt prior, quę hanc formam cælo adimit, pro falſa damnetur, aut improbabilis habeatur, quòd multoties Ariſtoteles nos admonuerit non eſſe multa in eo occupanda, quod paucis poteſt confici: Quocirca ſi cælum poteſt & ſuam dignitatem ſeruare, & incolumitatem tueri abſque huius formę præſidijs, benè erit, ſi illam valere iuſſerimus. Neque alicui mirum debet videri cæleſtem animam proximè materiam informare, nam & D. Thomæ, ac ſectatoribus nec mirum, nec turpe eſt hominis animam in materia proximè hærerre, ac materiam proximè perficere; & quod rerum caducarum animæ poſtulent materiam primis qualitatibus affectam, duæ poſſunt rationes afferri; vna, quia non ſine generatione, primarumque qualitatum mutatione fiunt in materia: altera, quoniam eædem non poſſunt ſuas functiones ex ſe fundere abſque definitis partibus corporis; quæ tamquam inſtrumenta ad has obeundas fuerunt à natura conditę; & hæ partes nequeunt illis ſuam operam præbere, niſi præditæ ſint certa, ac definita primarum qualitatum temperatione: Quapropter cum cæli anima ſit ortus, & interitus expers, nec eius functio vllum efflagitet corporis miniſterium, vt ſuo loco conſtabit, non eſt, vt hæc anima vllam in materia deſideret primarum qualitatum temperationem. Quod nonnulli exiſtiment hanc formam præter animam in cælo ponendam eſſe, quia anima eſt actus corporis naturalis; & corpus naturale eſt illud, quod habet formam, quæ eſt natura; hi inanem prorſus habent exiſtimationem, nam anima eſt actus corporis naturalis, non quia ſuperueniat corpori naturam habenti, ſed quoniam conſtituit corpus naturale: Etenim actus, qui aſſumitur in animæ diffinitione, idem eſt, quod forma, & quidditas, at verò cum quidditas, & forma non ſit quidditas, & forma rei, & materiæ, cui ſuperuenit, ſed corporis compoſiti, quod per ipſam formam eſt illud ipſum, quod eſt, anima ſanè erit actus, & forma corporis naturalis ab ipſa conſtituti; anima enim eſt natura, & cum ſit natura, ſua animatione facit, vt id, quod à ſe animatur, ſit corpus naturale. Nulla itaque eſt neceſſitas, quæ nos impellat in cælo ponere aliquam formam, per quam conſequatur, quod ſit naturale, præter animam. Sed de hac forma quicquid ſit, animam cælo eſſe concedendam perſpicuum erit, ſi à nobis fuerit oſtenſum de ſententia Ariſtotelis cælum eſſe re vera anima-

Animæ corporũ caducorũ cur poſtulent materiam primis qualitatib. affectam.

Anima vt ſit actus corporis naturalis.

In Cælo præter animam, ponere aliã formam nulla eſt neceſſitas.

nima-

nimatum; & quod ſequitur formam, qua eſt illud ipſum, quod eſt, ad genus animarum eſſe reuocandam: Ad hanc igitur quæſtionem aggrediamur.

Cælum eſſe animatum ex multis Ariſtotelicæ doctrinæ locis colligitur. Cap. XXIX.

BOæthius *in Porphyrium cap. de differentia* ſcribit de Ariſtoteli placere cæleſtia corpora non eſſe animata; huic omnes illi ſuam neceſſario accommodant aſſenſionem, (quod fuit quoque à Scoto *in lib. 2. ſent. diſtinct.* 14. *quæſt.* 1. obſeruatum) qui rentur cum Auerroe cælum eſſe corpus præſtantiſſimum non aliqua ex materia conflatum, quæ ſubijciatur formæ, à qua informetur, & per ſe, ſuiſque viribus conſtans, quod in orbem vertitur à mente motrice ei aſſidente. His nullo pacto eſt aſſentiendum, ſiquidem adeo clarè poſuit Ariſtoteles cælum eſſe animatum, vt mirum ſit apud Peripateticos id eſſe controuerſum. Principio *in lib. 1. de cælo* 100. quæ ſupra, extimam lationem diſpoſita ſunt, hoc eſt cælum, corporaque cęleſtia tempore non ſeneſcunt, & vitam viuentia ſuis numeris abſolutam, nullaque re prorſus indigentem toto æuo perſeuerant. Verum non intelligo, qui poſſit id ab Ariſtotele verè enunciari, niſi anima ponatur in cælo, quæ vitam ei impertiat. Non ſum neſcius hunc locum biſſariam exponi, vno modo, vt hæc tribuantur mentibus cælorum motricibus à materia ſeparatis, altero, vt hæc de cęlis enunciëtur, atq; pleroſque cum Simplicio priorem modum approbare, & poſteriorem vituperare: verum priorem explicationem pro nihilo eſſe habendam, & poſteriorem plurimi faciendam, vt putauit Alexander, *in diſputat. de Dæmonibus* ſic declaraui, vt alia non ſit opus explicatione. In lib. 2. eiuſdem operis 13. fuit poſitum cælum tenere omnes poſitionis differentias, quia vtitur anima, & in ſe ipſo habet principium motus: & paulò poſt *in text.* 61. duabus propoſitis dubitationibus Ariſtoteles, antequam ad has explicandas ingrediatur, monet oportere nos non de cælis, vt de corporibus, ac vnitatibus ordinem quidem habentibus, inanimis autem penitus cogitare, ſed corpora cæleſtia eſſe viuentia exiſtimare, atque actionē habere, ſic enim id, quod accidit, nequaquam viſum iri à ratione exhorbitare. Hunc locum Simplicius dum interpretatur, atq; *in li. 3. phyſ. com.* 10. dum contemplatur, fatetur Ariſtotelem velle cæleſtia corpora eſſe animata. Rurſus *in lib. 2. de anima* 15. ſcriptum eſt vegetabilia omnia viuere, ac in ſe ipſis eiuſmodi habere vim, & principium, atque hoc ab alijs ſeiungi, cætera autem ab hoc non poſſe ſeparari in mortalibus; quaſi cælum excipiatur tanquam viuens immortale. Amplius

Locus li. 1. de cælo 100. *Simplicius* *Alexand.* *Locus li. 2. de cælo 13.* *Locus eiuſdem li. 61.* *ſimplicius* *Locus li. 2. de anima 15.*

Digitized by Google

plius *in lib. de communi animalium motu cap. 3.* cęlum, & animalia caduca ſimili modo mouentur, quoniam vt mortales animantes ex alicuius boni notitia, & appetentia ad motum concitantur, ita cęlum, boni alicuius deſiderio flagrans in orbem conuertitur: idque etiam planius colligitur ex *lib. 12. poſt nat. 36.* vbi traditum eſt ſubſtantiam immobilem, atque perpetuam à materia ſeparatam cęlum mouere, vt id, quod cadit ſub intelligentiam, & appetentiam. Verum ſi hæc verè ſunt pronunciata, conficitur cælum ab anima intelligente, & appetente animari. Id ſanè Auerroes cùm intelligeret, *in com. 37. huius libri* ſcripſit hinc conſtare corpora cæleſtia eſſe animata, atque ex virtutibus animæ ſibi aſſerere vim intelligendi, vimque appetendi Alexander præterea, Themiſtius, & Philoponus hunc locum ita ſunt interpretati, vt cælos anima perſpicuè donauerint. Quapropter qui ex hoc loco cælum eſſe anima præditum, qua ſubſtantiam immobilem ſui motricem intelligat, & appetat, intelligere noluerunt, hi ab huius loci ſententia magnopere aberrarunt. In horum numero ſunt Connimbricenſes, qui ne habeant neceſſe cælum ponere in corporum animatorum numero, *in lib. 2. de cælo cap. 1. quæſt. 1. art. 4.* ſcribunt mentem primam immobilem, primumque motorem mouere quidem, vt id, quod intelligitur, & expetitur, cæterum non propterea cælum eſſe animatum, quoniam mouet qua ex parte intelligitur à reliquis mentibus cælorum motricibus, & expetitur naturali appetitu à cæleſtibus corporibus. Hos falli argumento ſunt, quæ poſt paulò ſubiunguntur *in tex. 41.* vbi poſtquam fuit monſtratum ponẽdam eſſe ſubſtantiam a materia ſeparatã, quæ moueat, cum ſit immobilis; conſiderandum proponitur, vtrùm hæc ſubſtantia ſit vna, an plures; quocirca hic locus eſt accipiendus non de vno primo motore immobili, ſed de cunctis motoribus à materia ſeparatis, eiuſque ſententia eſt motorem immobilem mouere veluti id, quod à cælo intelligitur, & expetitur. Et cum Ariſtoteles ſentiat ſubſtantiam immobilem perpetuam mouere vti id, quod amatur, & intelligitur, planè oportet ab eo, quod mouetur, intelligi, & amari, quandoquidem ſi ab alia natura intelligeretur; in eo, quod eſt intelligibilis; non moueret, quippe quæ etiam ſi non intelligeretur, nihilominus moueret tanquam id, quod expetitur. Quinetiam quod expetatur, non eſſet cauſſa prima, cur moueat. nam cum cælum moueatur à mente ei præſidente primam mentem intelligente, nulla eſſet neceſſitas ipſum duci primæ mentis deſiderio, ſi motu cieri debet: Omnino quis quis voluerit verba Ariſtotelis diligenter animo complecti, hæcque remota animi perturbatione ſyncerè interpretari, is intelliget cum Alexandro, Themiſtio, Philopono ac cæteris ſummis Ariſtotelicæ doctrinæ interpretibus ſubſtantiam immobilem ſic mouere, vt reſpe-

ctu

Locus lib. de comm. anim. motu ca. 3.

Locus lib. 12 poſt na. 36.

Auerroes.

Alex. Themiſtius, Philopon.

Connimbricenſium explicatio.

Reprehenſio.

tu eiuſdem ſit intelligibilis, & expetibilis, neque ab vno intelligatur, & ab alio expetatur. Neque rurſus caret reprehenſione aſſeuerare cæli appetitum eſſe naturalem, quia cum Ariſtoteles hunc appetitum, quo ducitur cælum, vocet amorem, atque hic ſit rerum animatarum, ſequaturque cognitionem, vt Alexander nos admonuit *in lib. 1. de anima cap. de vi impulſoria*, nulla poteſt ratione fieri, vt ſit appetitus naturalis à cognitione remotus. Et ſi denique cælum in orbem mouetur, appetitu ſimpliciter naturali concitatum, quis non videat ipſum fore vilius caducis animantibus, quæ impulſæ ab appetitu cognitionem comitante mouentur ad ea, quæ ſibi amica, & ſalutaria cognoſcunt? Non eſt igitur dubitandum, quin ex hoc loco intelligatur Ariſtotelem voluiſſe cælum eſſe animatum. Quapropter iure ac merito Plutarchus *in lib. 2. de placitis philoſophorum cap. 3.* Ioannes Stobæus *in lib. 1. eclog. cap. 25.* & Euſebius Cæſarienſis *in lib. 14. de præparat. Euangel. c. 6.* tribuerunt Ariſtoteli, quòd cæleſtia corpora ex anima & corpore compoſuerit, atque in ijs, quę ab anima reguntur, & ſunt animata, repoſuerit.

Cæli appetitus non eſt naturalis.

Alexand.

Plutarch.

Ioan. Stobæus.

Euſebius Cæſarien.

Cælum eſſe animatum quibus argumentis confecerint veteres Peripatetici. Cap. XXX.

MVltos Ariſtotelis locos attulimus, ex quibus intelligitur eum putaſſe cælum eſſe animatũ, nunc rationes afferemus, quibus hoc dogma fuit a grauiſſimis Peripateticis cõfirmatũ. Theophraſtus Ariſtot. auditor *in li. quem de cælo edidit*, Proclo atteſtatur *in com. Timæi* cęlum eſſe anima præditũ probauit, quia diuinum eſt, ac optimè degit, & nihil ſine anima poteſt eſſe præclarum. Alexander Simplicio referente *in lib 8. phyſ. com. 34. & in lib. 2. de cælo com. 3.* ſtatuit cælum eſſe animatum, quia eſt corpus præſtantiſſimum, cuius natura eſt pręſtantiſſima, & anima eſt natura præſtantiſſima. Idem *in lib. 1. quæſt. nat. cap. 1. & in lib. 12. poſt nat. com. 20.* Optimum, inquit, ex corporibus eſt id, quod anima vtitur: præſtat enim corpus animatum inanimo, & corpus, quod circulo fertur, optimum eſt. Euſtratius *in lib. 6. Ethyc. ad Nicom. cap. 7.* ex eo confecit cæleſtia corpora eſſe animata, quoniam ſi dixerimus hæc carere anima, illud incommodum præſtò erit, vt corpora, quæ in rerum natura ſunt præſtantiſſima, à corporibus caducis vincantur dignitate, nam quod anima caret, id animam habente eſt minus præclarum. Vniuerſam hanc rationem putat Auerroes fuiſſe ab Ariſtotele ſignificatam *in lib. 2. de cælo 61.* his verbis. Sed nos de ipſis, vt de corporibus, ac vnitatibus ordinem quidem habentibus, inanimis autem penitus cogitamus, ſed oportet ea eſſe viuentia exiſtimare, atque actionem habere. Eandemque argu-

Theophraſti argum.

Alex. arg.

Euſtratij argumen.

Auerroes.

argumentandi rationem idem alijs in locis fuit amplexus, & præſer
Auerrois tria argu. tim in tract.4.epit.poſt nat.quo ex loco tria argumenta colliguntur, quibus cõcluditur cælum eſse animatum,quorumque vnum eſt pro
Primum. xime recitatum; Id autem, quod in hoc argumento aſsumitur, cælum.ſ. eſſe caducis corporibus anima præditis præſtabilius, ab Auer
Cælum caducis corporib. anima præditis præſtabilius. roe cõfirmatur, primũ quia hæc caduca gubernat; deinde quia antecedit hæc naturæ origine; poſtremò quoniam æternitate continetur; & quod eſt æternum, id eſt præſtabilius non æterno. Alterum argumentum eſt huiuſmodi. Cum cælum in perenni, continuoque motu poſitum ſit, oportet id propterea moueri, vel quia naturali appetitu ad motum concitatur; vel quia intelligit motum eſse id, in
Alterum. quo omne ipſius bonum eſt collocatum; vel denique vt ſuo motu regat, quæcunque eius ambitu cohibentur. Atqui fieri non poteſt, vt appetitu naturali impulſum conuertatur, quoniam omnis naturæ appetitus non in motum, ſed in quietem, quæ eſt finis motus, fertur; idque in ijs omnibus cernere eſt, quæ natura duce mouentur, ergo relinquitur, vt propter alterum, aut tertium moueatur in orbem: Horum autem quodcunque fuerit poſitum, neceſsariò ſequitur cælum eſse animatum. Non enim poteſt motum apprendere, tanquã ſuum bonum, niſi ea animi facultate, quæ eſt principium intelligendi, fuerit præditum, nec præterea in his rebus caducis adminiſtrandis poteſt verſari, niſi has habeat cognitione comprehenſas.
Obſeruat. Cæterum in hoc argumento illud eſt attendendum, quod cum aſseueratur, & probatur cælum non moueri naturali appetitu incitatum, id ita eſt accipiendum, vt cælum nullo pacto moueatur appetitu, qui eſt animæ, & ſequitur cognitionem, nam in quibus hic appetitus coniungitur cum naturæ impetu, ea nihil perhibet motum ipſum habere propoſitum, ac moueri perpetuò, id quod cælo datũ eſt, quod cum natura moueatur in orbem, ſic mouetur, vt etiam appetat motum, in quo intelligit ſuum bonum eſse poſitum; atque id ab Alexandro fuit ſignificatum Simplicio teſtante *in lib. 2. de cælo comm. 38*. Tertium hoc modo extruitur. Si cælum non haberet ani-
Alexãder. mam, dum mouetur, non eſset niſi mobile tantum, at cælum, dum
Tertium. mouetur, non ſolum eſt mobile, verum etiam mouet; quando quidem in eorum numero ponitur, quæ ſe ipſa mouent, in quibus præter id, quod mouetur, eſt id etiam, quod mouet, nam in duas partes diſtribuuntur, quarum vna mouet, & altera mouetur, ergo anima in cælo eſt ponenda. Huic argumento affine eſt illud, quo idem vtitur in paraphraſi li. 2. de cęlo *ſum. 3. quæſito 5*. quod eſt cęlum eſse animatum, quia ſe ipſum mouet, quod eſt eorum, quæ ſunt animata
Conſider. Platone *in Phædro*, & Ariſtotele. *in lib. 8. phyſ. 29*. atteſtantibus. Verum hoc argumentum tametſi alijs fuerit quoque probatum, vt mox intelli-

intelligetis, attamen non caret difficultate, quandoquidem in eo ponitur cæleſtem animam eſſe cauſſam motus effectricem, & ſupra docuimus motum cæli nullam effectricem cauſſam poſtulare. Planè cælum ex ſe mouetur, & non extrinſecus; verum non eo pacto, quo animalia gradientia, in quibus alia pars corporis mouet, & alia mouetur; ſed ita, vt totum ſit id, quod mouetur, & nulla pars moueat, quoniam motus eſt proprietas, quæ cæleſtem naturam comitatur; id autem cum corporibus grauibus, & leuibus inanimis fuerit quoque datum, non eſt corporis animati argumentum. Cæterum quamuis grauia, leuiaque corpora hoc modo moueantur, hæc tamen non mouentur abſque opera motoris extrinſecus poſiti, nam cũ fiant & facta ſint, dum fiunt, mouentur ab eo, quod generat, nam hoc formam tribuendo ſimul quoque tribuit motum, qui formam comitatur; vbi verò facta ſunt, niſi in ſuis fuerint locis, quippiam eſt eis impedimento, ne moueantur, nec antè mouentur, quam id fuerit amotum: Quapropter optima ratione concluſit Ariſtoteles *in lib. 8. phyſ. 33.* hæc moueri aut ab eo, quod generat, aut ab eo, quod amouet impedimentum. At verò cælum nullo pacto extrinſecus mouetur, quoniam de ſententia Ariſtotelis nunquam fuit generatum, nec quippiam ei fuit, poteſtque eſſe impedimento, ne moueatur. Verumenim verò licet hæc ita ſint, attamen quoniam perſuaſum eſt omnibus, quæcunque ſe ipſa mouent, in ſe continere principiũ ſui motus, atque hoc eſſe animam, non eſt, vt hæc argumentatio prorſus habeatur pro nihilo. Quod ſi ex ſe moueri ita accipiatur, vt ſignificet nullo pacto moueri extrinſecus, argumentum non erit contemnendum, quoniam id ſic eſt corporis animati, vt non conueniat corporibus inanimis, quæ nunquam mouentur abſque opera illius, quod generat, aut amouet impedimentum. Idem *in lib. 2. de calo com. 61.* adhibet hanc argumentationem: Quicquid propria, certaque figura deſcribitur, id eſt animatum; figura enim definita eodem aſſeueratore *in lib. 3. de calo com. 67.* formas perfectas tantummodo comitatur, quæ ſunt animę: ergo cum cæleſtia corpora teneant figurã orbicularem ſibi à natura impertitam, hæc planè erunt animata. Figuram orbicularem eſſe naturæ cæleſtis comitem Ariſtoteles *in lib. 2. de calo* ſignificauit, cum oſtendit *tex. 26.* cælum habere figuram rotundam omnium figurarum primam, quoniam hæc eſt accommodatiſſima ſubſtantiæ ipſius; nam eſt primum corpus, & prima figura eſt primi corporis: & paulò poſt *tex. 59.* figuram vniuſcuiuſque ſtellæ eſſe rotundam, quia Luna eſt rotunda; & omnes ſtellæ ſimiliter ſe habent in ijs, quæ ſubſtantiam, & naturam ipſarum comitantur. Denique *in lib. de ſubſt. orbis cap. 2.* videtur perſuadere cælum eſſe anima donatum, quia motus circularis eſt animæ proprius. Id autem

Cælũ quomodo ex ſe mouetur.

Grauia et leuia non mouentur abſq; motore extrinſecꝰ poſito.

Grauia et leuia quibus motoribus moueantur.

Ex ſe moueri quomodo ſit corporis animati, vt non conueniat corporis inanimo

Auerrois aliud argumentum.

Eiuſdẽ aliud argu.

Obſeruat.

Digitized by Google

tem non eo pacto accipiendum eſt, quo quæ propria dicuntur, ea vni ſpeciei, ac omni, perpetuoque conueniunt, quoniam ſi ita acciperetur, quicquid eſſet animatum, aut ſanè anima vteretur rationis compote, id omne ſua natura in orbem verteretur; ſed ita, vt motus circularis à ſola anima proficiſcatur, & nunquam à natura, quæ nō eſt anima.

Motus circularis à ſola anima proficiſcatur.

Huius ea ratio ſolet afferri, quoniam motus, qui ſequitur formam, & naturam, quæ non eſt anima; ad vnam loci differentiam eſt arctatus, eoque itur aut ſurſum, aut deorſum, & motus circularis ſic eſt affectus, vt ab nullam loci differentiam ſit arctatus, nam circa centrum agitur, circa quod quæcunque mouentur, ea nunc ſupera nunc infera petunt, nullaque eſt loci differentia, quam ſuo motu non teneant aliquando.

Alpharabij, Auicēnæ, & Algazelis argumentū.

Nec vero ſolus Auerroes inter Arabes huius opinionis fuit ſuaſor, ſed & eandem Alpharabius, Auicennas & Algazeles conati ſunt perſuadere, quos hanc argumentandi rationem amplexatos fuiſſe ex ijs, quæ literis ſunt ab eis tradita, intelligitur. Cum tria ſint, natura, anima, & mens à materia ſeparata, à quibus cælum videtur poſſe moueri, & nequeat fieri, vt vel à natura, vel à mente moueatur, ratione concluditur ab anima cælo tribui motum, cælumque anima vti.

Natura & mēs nō poſſunt cælo motum tribuere.

Natura, & mens, nequit fieri, vt tribuant motum cæleſtem, quoniam cum vno, eodemq; modo ſemper ſe habeant, ex eis non exiſtit motus, quo loci oppoſiti, rotaque diametro diſtantes percurruntur. Accedit cælum, quod eſt corpus vniforme, cuiuſque partes nulla diſtinguuntur diſſimilitudine, per naturam non conſequi, quòd hinc, & non illinc incipiat moueri: etenim cælum etſi nunquam cæperit moueri, attamen principiū habet, vnde cæpiſſet, ſi moueri cæpiſſet, idque eſt pars eius dextera, vnde oriuntur ſtellæ *lib. 2. de cælo* 15. nec præterea per mentem à materia ſolutam, quia hæc non eſt actus corporis, & in cælo quod eſt principium motus, id oportet eſſe cæleſtis corporis actum.

Obſeruat.

Hæc argumentatio cum ſumat cæleſtem motum habere cauſſam effectricem, id aſſumit, quod dubium eſt, quoque non conceſſo ipſa labatur, eſt neceſſe.

Alberti Magni tres argumentationes.

Albertus Magnus *in lib. 11. poſt nat. tract. 2. cap.* 10. ſcribit philoſophos tribus rationibus fuiſſe inductos, vt cælis tribuerent animam. Vna eſt, quia cęlum ex ſe mouetur, & in ſe continet principium motus, & quod eſt huiuſmodi, id omne mouetur ab anima.

Prima.

Obſeruat.

In hac ratione illud eſt obſeruandum, quòd cum principium motus poſſit ſignificare aut cauſſam motus effectricem, aut illud principiū, quod in naturæ diffinitione fuit aſſumptum, aut denique partem, vnde incipit motus, id ſi in hac poſtrema ſignificatione accipiatur, ratio non erit negligenda, cum ſolius ſit corporis animati habere partem, ex qua incipit motus, & Ariſtoteles *in lib. 2. de cælo* 13. partem cælo impertierit, ex qua cæpiſſet moueri, ſi moueri incæpiſſet: ſin verò in

cæli-

reliquis, non erit multi facienda, nam principium motus in naturæ definitione poſitum eſt in ſitum in omnibus corporibus, quæ natura conſtant, quorum maxima pars caret anima: & principium motus efficiens, non eſt, vt cælo tribuatur. Altera ratio eſt, quia cælum mouet ad vitam, & ad ſenſum, nequitque fieri, vt id, quod eſt inanimum, vitam, ac ſenſum largiatur. Huic argumentationi obuiam itur à nonnullis, quoniam cum apud philoſophos duo reperiantur mouentium, & efficientium genera, vnum, quod ſpecie, & natura diuerſum eſt ab eo, quod mouetur, & efficitur, quodque vocatur æquiuocum, alterum, quod in natura, & in ſpecie conuenit cum eo, quod fit, quodque dicitur vniuocum, cælum in gignendis corporibus animatis verſatur tamquam mouens, & efficiens prioris generis: quapropter non ſequitur, ſi cælum mouet materiam ſic vt animam, vitamque accipiat, ipſum in corporibus animatis numerari. Adiungunt cælum eſſe cauſſam communem, & vniuerſam, quæ ab effectis ſpecie, & natura ſemper diſcrepat. Hi non eunt rectè obuiam, quia cum cauſſa æquiuoca, cauſſaque communis ſit multò præſtantior eo, in quo efficiendo ſuam operam ponit, profectò ſi cælum eſt cauſſa æquiuoca, vel communis in animatorum corporum generatione, neceſſe eſt, vt his anteſtet dignitate, et quod ſequitur, ſit animæ particeps, quòd nullum inanimum ſit corpore animato præſtabilius *lib. 1. de gen. animal. cap. 1.* Tertia, & poſtrema Alberti argumentatio, quæ eodem authore ab Alexandro, & Themiſtio effluxit, ſic ſe habet: Cum corpus cæleſte in perenni motu verſetur, nec vi, & contra naturam poſſit moueri, neceſſe eſt, vt moueatur, vel naturæ neceſſitate, vel per animam, & quia trahatur alicuius rei cupiditate. Sed cæleſtis conuerſionis principium non eſſe naturam illud perſuadet, quod quæcunque natura mouentur, ad vnum duntaxat petunt locum, in quo cum fuerint, quieſcunt, nec longius progrediuntur; & cæli conuerſio non habet vllum locum ſibi conſtitutum, neque ad vllum accedit, ex quo non digrediatur continuò, concludendum eſt igitur cælum moueri, quòd alicuius deſiderio trahatur, atque eſſe animatum anima, quæ in eo ſit principium cognitionis, & appetitionis. Sed & cælum non moueri à natura idem *in lib. 1. de cauſis & proceſſu vniuerſitatis à prima cauſſa tract. 4. cap. 7.* ſcribit Peripateticos his rationibus inductos exiſtimaſſe Motus naturalis, qui fit in loco, tribuitur ab eo, quod generat *lib. 8. phyſ. 32.* atque illi, quod eſt poteſtate ad formam ſubſtantialem excipiendam, nam formam, & naturam ſequitur, & quantum formæ accipitur ab eo, quod generat, tantumdem motus accipitur, & cum forma integrè fuerit acquiſita, tunc aut ventum erit ad locum naturalem, in quo eſt quies, aut quippiam erit impedimento, ne motus ad hunc locum fiat, quo ſublato confeſtim ſequetur motus, locuſque natu-

Altera.

Reſponſio quorundã.

Defenſio.

Tertia.

ralis comparabitur: & verò cælum nunquam fuit generatum nullâque in ſe continet poteſtatem, qua poſſit formam ſubſtantialem excipere. Deinde nihil, quod ſua mouetur natura, in loco ſuo mouetur, ſed cum extra fuerit poſitum, nam motus in loco fuit a natura impertitus, vt corpora naturalia è locis ſuę naturæ alienis digrediantur, & ad eos, in quibus benè ſe habent, progrediantur, & in quibus poſita quieſcunt, nec niſi vi poſſunt dimoueri, & verò cælum tenens locum ſuæ naturæ familiarem perpetuò in orbem mouetur. Poſtremò motus, cuius principium eſt natura, inæqualitatem ſemper habet adiunctam contrariam illi, quæ cernitur in motibus naturæ aduerſis; nam vt quæ ſurſum, aut deorſum vi feruntur, quò longius feruntur, eò tardius mouentur, ſic contra quæ impetu naturæ cientur, quò longius procedunt, eo incitatius aguntur. Et verò cęlorum conuerſiones nunquam ſecus ſe habent, ſed æquabiles in omni æternitate manent, nec harum vlla nunc breuior apparet, celeriuſq; conficitur, quam priſcis temporibus.

Conſideratio. Cæterum hæc poſtulant conſiderationem, nam ſupra docuimus de ſententia Ariſtotelis motum circularem eſſe naturalem cælo, quippe qui eſt proprietas, quæ ab eius natura fluit, eiuſque naturam comitatur. Neque ad contrarium perſuadendum hæc habent momentum, quoniam non omnia, quæ naturæ impulſu cientur, aliquando quieſcunt, ceſſantque à motu, ſed quæ in locis alienis poſita ad ſedes naturales feruntur. Nec prætera ab eo, quod generat, tribuitur motus omnis naturalis, ſed ſolus is, qui in iis, quæ oriuntur, & occidunt, cernitur; quibus quoque datum eſt ſuis in locis quieſcere, atque dum formam ſubſtantialem excipiunt, motum excipere, qui eſt comes formæ, & naturæ. Nec rurſus omnia, quæ naturæ impetu feruntur, perpetuò è ſtatu naturæ alieno digrediuntur, niſi, vt dicebat Auerroes *in tract.4. epit.poſtnat.* conſiderans non diſſimilem Auicennæ argumentationem, fuerint ex eorum numero, quibus latio recta fuit à natura conceſſa; quorum quoque propria eſt expoſita motionis inæqualitas, cum ſedes petunt ſibi à natura in hac rerum vniuerſitate conſtitutas. *Auerroes.*

Egidij argum. duo. Egidius denique *in explicatione tertiæ propoſitionis lib. de cauſſis* ſcribit duas rationes impuliſſe philoſophos, vt cælis animas concederent. *Vnum.* Vna, quia cum ex ſe moueri ſit multò præſtabilius, quam extrinſecus moueri: atq; cæli inter ea, quæ mouentur, & mobilia appellantur, obtineāt ſummū dignitatis gradum, ratio flagitat hos ex ſe moueri, & quod ſequēs eſt, in numero eſſe corporum animatorum. *Alterum.* Altera, quoniā Deus, vt id, quod amatur, & intelligitur, mouet cælos; ex quo fit, vt oporteat hos anima præditos eſſe, cuius munere Deum intelligant, & amore proſequantur. Atq; hęc maximè Peripateticis perſuaſerunt, vt cælū eſſe animatum ſtatuerent, atq; è corporū inanimorū numero eijcerent.

Pla-

Digitized by Google

Platonici ex quibus intellexerint cælum anima uti: & hac de re quid ſenſerint Chriſtianæ religionis proceres. *Cap.* *XXXI.*

PLatonici cum idem dogma diligerent, ne illud temerè viderentur diligere, multas, ac varias rationes excogitauerunt, quarum nonnullas in medium afferemus. Principiò cum videamus mundi ſphæras in orbem moueri, eas vi interiore moueri ratio perſuadet, nam ſi exigua mundi corpuſcula in ſe ipſis habent ſuorum motuum principia, quod in animalibus intueri poſſumus, multò magis ampliſſima mundi corpora in ſe ipſa continebunt ſuarum cõuerſionum principia. Huc accedit cęleſtem motum eſſe reliquorum motuum principium, & ex eo motu fluere, & pendere reliquos motus, cuius principium eſt in eo, quod mouetur, incluſum: nam vt inquit Ariſtoteles *lib. 8. phyſ. 39.* ſi veniat in conſideratione, vtrum cauſſa motus, atque principium ſit id, quod in ſe continet principium motus, quo cietur, an id, quod ab alio mouetur, nemo fuerit, qui illud non ponat; quod enim per ſe cauſſa eſt, tum prius, & præſtantius eſt; tum cauſſa eſt quoque ei, quod per alterum agit. Et verò quod mouetur intrinſecus, id omne eſt animatum, & non inanimum, quod ſemper extrinſecus motu agitatur. Deinde cùm Deus, Mens, anima, & qualitas, formaue materiata ſola videantur apta, quæ tribuant cæleſtem motum, planè quoniam cæleſtium conuerſionum principia neque ad qualitates, neque ad Deum, neque ad Mentem poſſunt reuocari, conficitur hæc eſſe animas, quibus globi cæleſtes ſint multò coniunctiores, quam animis noſtris corpora noſtra. Hæc principia non eſſe qualitates, & formas materiatas argumento eſt, quod hę, quoniam ſitu, & partibus ſunt terminatæ, ac certæ, definitęque materiæ addictæ, agant terminatè, & fatigentur ſic, vt ſemper, atque eodem modo nequeãt mouere. Rurſus vnicum opus efficiunt, & vnicus terminus eſt eis conſtitutus, ſic calor generat calorem, frigus frigiditatem, & leuitas ſurſum mouet, grauitas deorſum. Quam ob rẽ cælum, quod ſine labore ſemper eodem mouetur modo, varioſque atque contrarios effectus producit, ac nullum in ſuo motu terminum habet definitum, nam quodcumque punctum in cælo fuerit aſſumptum, ad illud quæuis pars cæli infinities accedit, rurſuſque recedit, flagitium eſt habere propriæ motionis principium, quod in qualitatibus numeretur. Præterea qualitas, quæ tota funditur per corpus, & vſquequaque corpori adſtringitur, non poteſt in ſeipſam reflecti, qui igitur poterit cælo vim tribuere, qua in ſe ipſum reuoluatur? Deum verò non eſſe proximum alicuius orbis motorem illud mon-

Prima ratio.

Secunda.

Quod in ſe continet principiũ ſui motus eſt magis cauſſa princeps motus quã quod ab alio mouetur.

Tertia.

Qualitas non eſt principiũ motus in corpore cęleſti.

Deus non eſt proprius orbis alicuius motor.

ſtrat,

ſtrat, quod Deus, qui eſt prima cauſſa, & omnia excedit infinitè, æquè omnibus ſit communis, ab omnibuſque diſiunctus; & globi cæleſtes deſiderent proprios motores, ſibique præcipuè coniunctos, in quibus tanta ſit diſſimilitudo, quanta eſt in ſuis conuerſionibus varietas. Nec præterea idem principium ad mentem eſt reuocandum, quoniam mens, quæ eſt prorſus indiuidua, longiſſimè abeſt à natura cæli diuidua, neque vllo pacto mouetur; hoc autem principium oportet cælo natura eſſe familiariſſimum, ſimulque cum ipſo aliquatenus circunduci. Adiungendum eſt mentem eſſe penitus ſtabilem, quippe quæ poſita eſt ſupra animam, quæ eſt fons, initiumq; motus, & ab eo, quod eſt prorſus ſtabile, ac immobile, fieri non poſſe vt tam celer, tã varius cælorum motus naſcatur. Et ſi hominum mentes minus præſtantes corpora humana per animas regunt, & mouẽt, quis non ſentiat præſtantiſſimas cælorum mentes corpora cęleſtia per animas ducere, & amplecti, & quod ſequitur corpora hæc ab anima regi, ac moueri? Et conſentaneum quidem eſt mentem per animam corpus complecti, atque mouere, quoniam cum natura comparatum ſit, quæ maximè inter ſe diſtant, ea non ſine medio inire ſocietatem, par eſt mentem, quæ prorſus eſt impartibilis, & immutabilis, nulla ratione corpori omniquaque partibili, & mutabili poſſe coniungi, niſi anima media interijciatur, quæ vt indiuidua ad mentẽ accedit, ab hacque formatur, & ducitur; & vt mutabilis affinis eſt corpori, atque materiæ. Atque id à Platone *in Timæo*, fuit ſignificatum, cum ſtatuit mundi fabricatorem ex ſubſtantia, quæ indiuidua eſt, & ex ea quæ eſt diuidua, animam compoſuiſſe: nam his plerique doctrinæ Platonis interpretes opinantur ſignificari animam eſſe mediam interiectam inter mentem indiuiduam, & naturam diuiduam, quæ natura, vt inquit Plotinus *in lib. 2. de eſſentia animæ*, eſt corpus in ſenſum cadens, vel, vt ſentit Proclus, & cum Proclo Iamblicus, & Theodorus Solenſis, vita corporea ab anima procedens. Adhæc Deus eſt ſummum bonum, cælumque mouet tanquam finis, & quoddam optabile: corpus autem non mouetur propter finem extra ſitum, niſi hunc cognoſcat, & appetat: ergo cælum eſt anima præditum, qua cognoſcit & appetit. Inſuper in animalibus viuunt inſtrumenta, quorum miniſterio alia viuentia ab eis generantur: ergo anima non eſt adimenda cælo, quod eſt primæ vitæ inſtrumentum ad ea, quæ viuunt, animaque vtuntur, generanda. Præterea motus ſpontaneus eſt certiſſimum vitæ inſtrumentum: cum igitur nihil magis ſpontè moueatur, quam quod in ſe ipſum ſua natura recurrit, & circa cardinem naturalem, atque in loco familiari ſeſe conuertit, concludendum eſt nullum corpus eſſe magis vitę particeps, ac ſit cælum, quod circulo fertur, & ſponte

Mens non eſt in cælo principiũ motus.

Quarta.

Anima media interiecta inter mẽtem & corpus.

Animam eſſe compoſitũ ex ſubſtantia indiuidua, et ex ea, quæ circa corpus eſt diuidua, quid ſignificet Platoni.

Plotinus. Proclus Iamblic. Theodor. Solenſis.

Quinta.

Sexta.

Septima.

Octaua.

te conuertitur. Denique ſi terræ ignobili huius vniuerſitatis parti anima fuit data, ſanè flagitium erit globos cæleſtes partes mundi præſtantiſſimas anima carere, nulliſque fungi vitæ muneribus. Terræ ineſſe animi rationem tum colligitur *in lib. 14. ſecretioris ſecundũ Ægyptios phyloſophiæ cap.* 10. ex eo, quod ipſa creſcat, monteſque congreget, quibus non ſolum dat incrementum, verum etiam varias cõcauitates, riuos, meatuſque plurimos; tũ inde intelligitur, quòd intueamur multas animantes abſque ſemine de materia putrente in terra generari, huiuſque opera ali, & adoleſcere, atque plantas non paucas ſine ſemine, ac germine varijs in locis pullulare, quas nemo non dabit animæ terrenę beneficio gigni, & viuere, qui nouerit has tandiu creſcere, vitæque muneribus fungi, quamdiu terræ radicitus hærent, euulſas verò extenuari, & labi in interitum. Hanc terræ animam, cum Indi, Aegyptij, & Phœnices haberent cognitam, ſenſerunt omnium animantium genera vi Solis è terra fuiſſe genita, quos Auicennas ſequutus ſcripſit poſt miranda aquarum diluuia animantes perfectiores, & hominem ipſum eodem modo poſſe generari; idque initio factum fuiſſe ſignificauit Plato *in Menexeno*. His argumentis, quæ quantum valeant, nunc minime conſiderabimus, ne hac de re prolixa diſputatio ſit maioris oneris, quam vtilitatis, concludunt Platonici cæleſtes ſphæras eſſe animatas animis pręclariſſimis. Has animas admoniti ab Orpheo duabus facultatibus donarunt, quarum vnam cognitioni, alteram animationi ſeruire voluerunt, atque ad priorem ſignificandam vſi fuerunt varijs Bacchi nominibus, ad poſteriorem nunc Muſarum, nunc Pleiadum nomenclationibus. Porrò cæli animatio ſic fuit Platonicis probata, vt præter cæleſtium orbium animas induxerint innumerabilem animarum multitudinem, qua ſtellæ omnes animentur, voluerintque ſingulas ſtellas ſingulis animis eſſe donatas, quod ex Platone in Epinomide intellexerunt, in quo quidem dogmate non audiuntur à Peripateticis, qui ſolis orbium cæleſtium animabus contenti è ſtellis eijciunt animas, quibus ipſæ præcipuè regantur: nec iniuria planè, nam cum ſtellæ non ſint corpora per ſe ſolitaria conſiſtentia, ſed ſint partes orbium, in quibus ſunt infixæ, par eſt illas non aliam habere animam, ac ſit ea, qua orbis animatur. Platonis doctrina Philo cum eſſet imbutus, *in lib. de mundi opificio, in lib. de Somnijs, & in lib. de Gigantibus* voluit ſtellas viuere, & animam habere; atque in hoc habuit ſectatores Moyſem Aegyptium *in lib. perplexorum*, & alios pleroſque Hebræorum doctores. Eandem quoque Origenes cum plurimi faceret. *in lib. 1. de principijs cap. 2.* ſtatuit cælos, & ſtellas eſſe in numero rerum animatarum. At verò D. Auguſtinus tametſi Platonis doctrinam amauerit, in hoc tamen dogmate fuit animi pendens, nam *in lib. 2. ſuper Geneſim.*

Terra eſt animata.

Author ſecretioris ſecundũ Ægyptios philoſophia.

Indi, Aegyptij, Phœnices.

Auicẽnas

Plato.

Cæleſtium animarũ duæ facultates.

Singulæ ſtellæ ſingulis animis donatæ à Platonicis.

Peripatetici orbium animis cõtenti è ſtellis animas eijciunt.

Philo.

Moyſes Aegyptius

Origenes.

D. Augu.

neſim ad literam non audet cælis animam aut tribuere, aut adimere: & in Enchirid. *cap.* 58. non habet penitus exploratum, nunquid ad beatarum mētiū ſocietatem Sol, Luna, & reliqua ſidera pertineant. Nec facit quicquam, quod *in lib. de cognitione veræ vitæ cap.* 6. ſcriptū ſit eos carere ſenſu, qui Solem, Lunam, & ſidera ratione vti, & anima regi arbitrantur, quoniam huius libri auctorem non fuiſſe D. Auguſtinum eſt doctiſſimorum virorum conſenſus. Cauſſa cur hic ambiguum habuerit, an toto animo in Platonis opinionem deſcenderet, ea forſitan fuit, quod cælis, & ſtellis anima donatis intelligebat aditum poſſe aperiri ad ſtellarum cultum, a quo in Deuteronomio nos auocat Moyſes, dum inquit: Ne fortè eleuatis oculis ad cælum videas Solem, & Lunam, & omnia aſtra cæli, atque errore deceptus adores ea, & colas, quæ creauit Dominus Deus tuus in miniſterium cunctis gentibus, quæ ſub cælo ſunt. Et ſanè ſi ſtellæ ſint animatæ, conuenit, vt anima beata regantur; quapropter non indignæ erunt exiſtimandæ, quibus tribuatur cultus, & honor habeatur; id autem cum poſſit imperitam hominum multitudinem inducere ad opinandum ſtellas eſſe Deos, quod fuit in multorum veterum opinione, non eſt, vt aliquis temere aſſentiatur Platoni ſtatuenti ſtellas eſse animatas. Huic tātum abeſt, vt grauiſſimi noſtræ religionis proceres fuerint aſſenſi vt ſententiam aduerſam firmiter ſint amplexi, nam, vt mittam Baſilium, Ambroſium, Lactantium, Cyrillum Alexandrinum, Hieronymum, Epiphanium, & alios, qui Origenem erroris inſimulant, quod cælis, & aſtris tribuerit animam, Damaſcenus *in lib.* 2. *de fide orthodoxa cap.* 6. nō ſolum nos admonet, ne in eam adducamur opinionem, quæ cælos, & ſidera ponit animata, verum etiam multos locos exponit ſacrarum literarum, ex quibus perperā intellectis quiſpiam ſibi poſset perſuadere cælos, & ſtellas animam habere. Cum his conſentiunt Alexander Alenſis *in ſum. p.* 2. *quæſt.* 82. *memb.* 3. *art.* 4. Albertus Magnus *in ſum. de quatuor coæuis quæſt.* 4. *art.* 25. D. Thomas *in* 1. *p. quæſt.* 70. *art.* 3. *atque in quæſt. de ſpirit. creat. art.* 6. D. Bonauentura *in lib.* 2. *ſent. diſt.* 14. *quæſt.* 2. qui adiungit contrariā opinionem eſse falsā, & erroris plenam, ac cæteri ſcholaſtici doctores vno excepto Aureolo, cui placuit, vt ab alijs diſsentiret, animam in cælis conſtituere, qua in re à Capreolo *in lib.* 2. *ſent. diſt.* 9. *quæſt.* 1. & ab alijs fuit accuſatus. Hoc dogma, quod cælis, ac ſtellis eripit animam, etſi Scotus *in lib.* 2. *ſent. diſt.* 14 *quæſt.* 1. putauerit potius in ijs eſse, quæ à nobis creduntur, quam in ijs, quæ argumentis neceſsarijs confirmantur, Lactantius tamen *in lib.* 2. *inſt. cap* 5. confirmauit, quoniam ſi ſtellæ anima vterentur, huc, atque illuc paſſim ſine vlla neceſſitate ferrentur, ſicut animantes in terra; quarū quia liberæ ſunt voluntates, huc, atque illuc vagantur, vt libuerit; & quod am-

Baſil. Ambr. Lactā. Cyrillus Alexandrin. Hiero. Epiph. Damaſce.

Cælum & ſidera non ſunt verè ac propriè animata.

Ale. Alen. Alber. Magnus. D. Thom. D. Bonau. Aureolus. Capreolus Scotus.

Lactantij argu. quod ſtellæ non vtantur anima.

quamque mens duxerit, eò feruntur, & alij cum D. Thoma *in quaſt. de ſpirit. creat. art. 6.* His perſuaderi crediderunt. Primum quoniam ſi cæli, & ſidera eſſent animata, his aliquis cultus eſſet tribuendus, à quo, vt dictum eſt, Moyſes *in Deuteronomio ca. 4.* nos deterret. Deinde quia cæleſtis anima non ſecus cælum vniuerſum occuparet, atque hominis anima occupet totum hominis corpus, quod informat, & animat, id autem pugnat cum ſacra ſcriptura, quæ *in Eccleſiaſt. cap. 24.* Soli Sapientiæ increatæ tribuit cæli gyrum circuire: & fieri non poſſe hinc intelligitur: Spacium, quod occupat angelus primæ hierarchiæ, de communi Theologorum ſententia eſt minus amplum, ac ſit magnitudo cęli, ex quo fit, vt hic angelus ſimul in terris, & in cælis nequeat conſiſtere; nulla igitur ratione fieri poteſt, vt anima cæleſtis, quæ ab hoc angelo longè ac multum dignitate ſuperatur, totum cæleſte corpus animet. Amplius quia cum cælum ſeculis ſempiternis ſit manſurum, eius anima nunquam foueretur reliquarum animarum beatarum ſocietate in cælo empyreo, quod eſt ſedes harum beatitudinis. Inſuper quoniam cæleſtis anima eſſet virtutis, vitijq; capax, & propterea poſſet & frui beatitudine, & apud inferos pœnas luere nequitiæ, ac improbitati debitas, id quod diſplicet omnibus noſtræ religionis viris grauiſſimis, qui à ſacris literis admoniti ſolos homines, & angelos voluerunt eſſe idoneos, qui ſempiternam beatitudinem conſequantur, & æternis cruciatibus afficiantur. Poſtremò quoniam cælum cunctis hominibus dignitate pręſtaret; quod abeſſe à vero id teſtatur, quoniam cælum propter hominem tanquã propter finem fuit conditum, & finis anteſtat ijs, quæ ſui gratia ſunt parata. Quòd philoſophi arbitrentur cælum eſſe homine præſtabilius, quia hunc regit, & totam rerum caducarum vniuerſitatem, hos noſtri Theologi repellunt, quia cælum in hoc munere verſatur non veluti cauſſa princeps, ſed tanquam inſtrumentum cauſſæ principis, quod eſt minus nobile ijs, quorum ſeruit vſibus, & commoditatibus. Sed ad Ariſtotelem, Peripateticoſque redeamus.

Argumenta Theologorũ quod cæli non ſint verè animati.

Cælum homini b. dignitate cedit.

Refutatio argum. quo perſuadẽt philoſophi cælum eſſe homine præſtabilius.

Refutantur argumenta, quibus de ſententia Ariſtotelis anima eripitur cælo. Cap. XXXII.

ETſi verum ſit cælum propriè eſſe corpus inanimum, quicuuque tamen Ariſtotelis doctrina freti huic animam eripiunt, hi nihil proficiunt, quod vt fiat perſpicuum, horum argumentationes ſunt audiendæ, & conſiderandæ, quæ ſunt. Anima finitur actus corporis naturalis inſtrumentarij *lib. 2. de anima 7.* Cęlum igitur, cuius nullũ eſt inſtrumentum, non erit corpus animatum. Præterea *in lib. 2. de anima 111.* corpus anima præditum conſtat ex quatuor elementis;

Primum argumen.

Secundum

Tertium. & *in lib. 3. eiuſdem operis 62.* nullum corpus ſimplex eſt animatum; non igitur cælum, quod *in lib. 1. de cælo* reponitur in corporibus ſimplicibus, iuxta Ariſtotelicam doctrinam poteſt eſſe animatum. Adhæc ſi cælum ſit animatum, huius anima erit aut mens, aut anima à mente diuerſa: Sed nequit fieri, vt ſit mens, quia cum anima ſit actus, qui nunquam eſt ſeparatus ab eo, cuius eſt actus, mens non erit à cælo ſeparata; id quod nefas eſſe omnes Peripatetici arbitrantur; nec præterea cæleſtis anima eſt diuerſa à mente cælo præſidente, quoniã *Quartum* cum anima ſit cauſſa, & principium earum functionum, quas corpus animatum ex ſe fundit *lib. 2. de anima 37.* mens cælo adſcripta erit ſuperuacanea, quæ non alia ratione fuit poſita niſi vt in cælo ſit principium motus. Quia etiam ruet Ariſtotelis progreſſus, quo *in lib. 8. phyſ.* fit aſcenſus ad vnum primum motorem, qui ſit omnino immobilis: Enim uerò primum mouens, ad quod in mouentium genere tandem eſt veniendum, erit anima cæleſtis, & ſupra hanc ad a- *Quintum* liud mouens non erit aſcendendum. Amplius non alia de cauſſa in cælo anima videtur ponenda, niſi vt tribuat motum: atqui cum motus circularis non ſecus cælo ſit naturalis, ac motus rectus elementis, cur ſi hæc abſque anima mouentur, & illud non poterit ſine ani- *Sextum.* ma in orbem moueri? Rurſus quæcunque ſunt animata, hæc à ſe ipſis mouentur; & quæ ſe ipſa mouent, ea ſic affecta ſunt, vt ſibi ipſa cauſſæ eſſe poſſint, ne moueantur, ac præterea in ipſis ſitum eſt multis, variiſque motibus ferri *lib. 8. phyſ. 29.* ſed cælum ſic in orbem mouetur, vt nullum immineat periculum, ne quieſcat *lib. 9. poſt nat. 17.* nec poteſt alia motione ferri *lib. 1. de cælo 8.* ergo cælum in ijs ne- *Septimum* quaquam erit poſitum, quæ ſunt animata, & à ſe ipſis mouentur. Poſtremò ſi quis ſentiat cælum eſſe animatum, idem cenſeat, par eſt, reliqua ſimplicia corpora ignem, aerem, aquam, & terram ab anima gubernari, atque hoc modo vniuerſum eſſe animæ plenum, & ab anima regi, quod non probatur Ariſtoteli *in lib. 1. de anima 86.* Huius conſequutionis ea eſt ratio, quia quemadmodum in animalibus nõ eſt neceſſarium animam eſſe in omnibus animalis partibus, ſed in ſolo corde, & in parte principe; ac reliquas viuere, quia huic adnatæ ſunt *lib. de comm. animal. motu*, eodem modo in toto vniuerſo non eſt neceſſarium eius animam eſſe in omnibus partibus, ſed ſolum in cælo eſt ponenda, quod primum obtinet dignitatis gradum, & à quo cæteræ mundi partes commodè reguntur ipſius virtute longè lateque diffuſa, & cum his communicata. Hæc cælo eripiunt animam, ſed abſque vlla efficacitate, nam primum argumentum refellitur, quod eſſe actum corporis inſtrumentarij in caducorum corporum animas duntaxat accommodatur, quarum vim, & naturam Ariſtoteles habebat in animo propoſitum communi diffinitione aperire

Reſponſio ad primũ. Actum eſſe corporis inſtrumentarij eſt ſolius animę corporis caducis.

initio

initio lib. 2. de anima. Neque Vicomercatum, Philalthæum, & alios poſſum approbare, qui exiſtimantes ab hac diffinitione cælorum animas complecti affirmant cælum eſſe corpus inſtrumentis diſtinctũ; nam hos errore duci tum illud demonſtrat, quod corpus inſtrumentarium ex ijs partibus conſtet, quæ alicuius rei gratia ſunt comparatæ, vſuique ſunt ad aliquod munus obeũdum *ſub exitum lib. 1. de part. animal.* & in cælo nullæ cernuntur partes, quæ ſint conditæ officij alicuius gratia, & ſeruiãt ad opus aliquod peragendum; tum etiam illud perſuadet, quod corpus inſtrumentarium idem ſit, quod corpus compoſitum, nec aliud ſit corpus ſimilare, quam corpus ſimplex, idque perſpicuè voluit Alex. apud Simplicium *in lib. 3. phyſ. com. 4.* & non obſcurè ſignificauit Ariſtoteles *initio lib. 1. de hiſt. animal.* vbi partes ſimilares vocauit in compoſitis, hoc eſt ſimplices, & partes diſſimilares, ſiue inſtrumentarias compoſitas. Non igitur cælum, quod eſt corpus ſimplex, erit corpus inſtrumentarium. Sed & hos decipi ex Ariſtotele intelligitur, qui in loco proximè recitato, in partium inſtrumentariarum genere ſtatuit illas contineri, quæ non modò partes, verum etiam membra appellantur, videlicet quæ cũ ipſæ totius integritate deſcribantur, habent tamen intra ſe partes diuerſas, vt caput, brachium, & pectus, quippe quæ & ipſa partes ſint totæ, & ex partibus conſtent diuerſis. Si igitur pars inſtrumentaria exiſtit ex partibus diuerſis, planè cælum, in quo nulla cernitur partium diuerſarum compoſitio, non erit in numero corporũ, quæ inſtrumentis ſunt diſtincta. Nec quicquam facit, quod inter ſtellam & orbem illud interſit, quod hic ſit rarus, & illa denſa, nam hæc diuerſitas non eſt naturæ, & eſſentiæ diuerſitas; & corpus inſtrumentarium ex ijs partibus coaleſcit, quarum vis, ac natura eſt varia. Deinde raritas, & denſitas ſequuntur materiam; rarum enim eſt id, cui parum materiæ eſt; & denſum, cui multum; & corpus quod ſit inſtrumentarium ex forma, & anima conſequitur. Hinc ſub exitum lib. 4. meteor. homo emortuus æquiuocè dicitur homo, non ſecus ac homo lapideus. Præterea cùm varietas, quæ in raritate, & denſitate conſiſtit, in elementis cernatur, quæ nullis prorſus inſtrumentis diſtinguuntur, quis non videat eam non eſſe huiuſmodi, vt habeat vim conſtituendi corpus inſtrumentarium. Rurſus varietas partium, quæ corpus inſtrumentarium conſtituit, huiuſmodi eſt, vt partibus adimat nomen, & diffinitionem totius; & raritas, ac denſitas non impediunt ne partes, quibus inſunt, teneant nomen, & diffinitionem totius. Quòd nonnulli ex aduerſarijs cælum eſſe corpus inſtrumentarium intellexerint tum ex figura orbiculari, quæ ſic illius eſt propria, vt ſine ea conſtare non poſſit, tum ex poſitionis differentijs, quibus *in lib. 2. de cælo* fuit diſtinctum, hos arbitror reclami

Vicomercatus, Philalthæus, et alij damnantur, qui putant cælum eſſe corpus inſtrumẽtarium.

Corpus inſtrumentarium ex quibus partibus conſtet.

Corpus inſtrumẽtarium idẽ, quod corpus compoſitũ & corpus ſimilare idẽ, quod corpus ſimplex.

Rarus, inſtrument.

Diuerſitas in raritate & denſitate nõ facit corpus inſtrumentarium.

Refutatio ea, ex quibus nonulli intellexerunt cælũ eſſe corpus inſtrumentariũ.

non habuiſſe intelligentiam, nam figura, niſi fuerit gratia alicuius

Figura quando afficiat corpus inſtrumentariū

animæ operis impertita, non eſt tanti, vt id, cuius eſt, efficiat corpus inſtrumentarium. Sanè corpus hoc certa figura definitur, verum non omnia, quibus hæc fuit conceſſa, in inſtrumentarijs ſunt habenda; alioquin ſtellæ, quæ figuram rotundam ſua ſibi natura aſſerunt, non fuiſſent ſine inſtrumentis inductæ *lib. 2. de cælo* 50. Nec quoque dexterum, & ſiniſtrum, ac reliquæ poſitionis differentiæ eius ſunt virtutis,

Poſitionis differentię nō efficiūt cælum eſſe corpus inſtrumentarium.

vt perſuadeant cælum eſſe corpus inſtrumentarium, quoniam hæ non propter aliquod animæ opus in cælo poſitę ſunt; & corpus inſtrumentarium ex ijs partibus exiſtere, quæ alicuius rei gratia factæ ſunt, & ſeruiunt ad aliquod munus obeundum ſcriptum eſt ad calcē lib. 1. de part. animal. At dubitabitis, ſi cælum non ſit corpus inſtrumentarium, eius anima erit actus ſolius corporis naturalis; qua

Dubitat.

de re inter hanc, & formas infra animam poſitas nihil intererit. Reſpondeo animam cæli non eſſe actum ſolius corporis naturalis, ſed

Solutio.

corporis naturalis poteſtate vitam habentis, nam cælum fungitur vi-

Anima cæli cur non ſit actus corporis inſtrumētarij.

tæ munere, & fungendi vitæ munere habet vim, ac poteſtatem. Cæterum quamuis anima cæli ſit actus huiuſmodi corporis, non tamē eſt actus corporis inſtrumentarij, quoniam vitæ munus, in quo cælum occupatur, nullum poſtulat inſtrumentum, quo perficiatur: atque hoc intereſt inter animam cæli, & animam caduci animantis, nam hæc ſic eſt actus corporis poteſtate vitam habentis, vt etiam ſit

Ariſtoteles in anima finienda cur mutauerit poteſtate vitā habens in inſtrumentariū

actus corporis inſtrumentarij, quod in caducis nihil ſit poteſtate vitam habens, quod non ſit quoque inſtrumentarium. Id fortaſſe cum Ariſtoteles intelligeret, velletque afferre diffinitionem, quæ ſolas exciperet animas corporum caducorum, poteſtate vitam habens cō-mutauit in inſtrumentarium: & cum primum animam finiuiſſet actum primum corporis naturalis poteſtate vitam habentis, hac poſtrema parte mutata animam finiuit actum primum corporis naturalis inſtrumentarij, qua mutatione diffinitio animæ, quæ latè patēs

Ad Secundum.

erat, & cælorum animas complectebatur, facta eſt propria animarum corporum caducorum. Secundum argumentum refutatur,

Animatū anima ſenſuali non eſt ſimplex corp⁹

quoniam loci Ariſtotelici in eo aſſumpti ſunt audiendi de eo, quod eſt animatum anima ſentiente; nam cum hoc non ſit abſque tactu, cuius vis, & natura ſita eſt in primarum qualitatum temperatione, neceſſariò fit, vt nullum corpus ſimplex poſſit in ijs numerari, quæ

Ad Tertium.

ſenſu prædita ſunt: quapropter quoniam anima, quæ tribuitur cælo, alia eſt, vt ſuo loco declarabitur, nihil prohibet, quo minus cælū

Mens ſeparata propter quid ſit poſita.

ſit corpus ſimplex, & anima vtatur. Tertium argumentum concidit, quoniam cæleſtis anima non eſt mens à materia ſoluta, ſed forma præter mentem: Nec ſequitur mentem cælis ſuperfluò fuiſſe tributam, quia mens inducitur, vt ſit finis cælo præſtitutus ad appetendum,

dum,

Digitized by Google

dum, & cuius gratia cælum in orbem conuertatur, minimè verò vt cauſſa ſit effectrix conuerſionis, quemadmodum exiſtimant aduerſarij. Nunquid verò ſi cœlum ſtatuatur animatum, ruat Ariſtotelis progreſſus in lib.8.phyſ. dignum eſt conſideratione. Scire oportet, cū primum mouens immobile duobus modis poſſit ſtatui principiū motus, vno modo per modum cauſſæ efficientis, altero per modum finis, Ariſtotelem *in lib.8.phyſ.* modum priorem fuiſſe amplexatum quamquam hic modus non cohæreat cum eius doctrina, in qua, vt alias declaraui, primum mouens immobile non ſuſtinet rationem cauſſæ verè effectricis. Hunc autem modum licet ſuæ doctrinæ alienum Ariſtoteles fuit amplexus, quia priſci omnes philoſophi efficientiam finis ignorauerunt, & quod primum motus principium fuit ab eis poſitum, id primum fuit in genere, & ordine cauſſarum efficientium; Cum igitur Ariſtoteles ne à veterum placitis recederet, poſuerit primum mouens immobile mouere per modum efficientis, *in lib.8.phyſ.* poſtquam monſtrauit, ne in mouentibus res abeat in infinitum, neceſſario ſtandum eſſe in eo, quod non mouetur ab alio, atque hoc aut eſſe immobile, aut ſi moueatur, moueri à ſe ipſo, mox oſtendit, id ſi inducatur moueri à ſe ipſo, nihilominus futurum eſſe, vt ſtetur ad immobile, quia mouens ſeipſum, quod poſitum fuerit eſſe primum mouens, non alia ratione poteſt ſe ipſum mouere, niſi quia in duas partes diſtribuitur, quarum vna mouet, cum ſit immobilis, & altera mouetur. Cæterum longius progrediens demonſtrat fieri non poſſe, vt primum mouens ſit pars motrix ſeipſum mouentis, quoniam illud oportet eſſe penitus immobile, neque per ſe, neque per accidens moueri, cum ſit cauſſa motus perpetui, & hæc licet ſit per ſe immobilis, per accidens tamen motu cietur, quia quod à ſe ipſo mouetur, id mouetur totum, & toto in motu verſante nequit fieri, vt pars eius aliqua maneat immobilis. Non igitur ruit Ariſtotelis progreſſus, ſi cælum inducatur animatum, neque vbi ventum erit ad animam cæleſtem, in hac erit ſtatus, quippe quæ moueatur ex accidenti, nec antea ſtandum eſt, quā peruentum ſit ad mouens quod eſt penitus, & ſimpliciter immobile, ſed ex hac ad mouens ſuperius erit aſcendendum. Argumentum, quod ſequitur, non perſuadet, quoniam motus circulares, quo omnes loci differentiæ petuntur, non poteſt non ſequi animam, nam forma, quæ eſt infra animam, eſt principium motus, quo vnica, ac definita loci differentia acquiritur, & acquiſita retinetur, quoque aut ſurſum, aut deorſum itur. Nec præterea cælum donatur anima, vt hæc in eo ſit cauſſa motus efficiens, quoniam cæleſtis motus non deſiderat cauſſam effectricem, ſed quia eſt corpus præſtantiſſimum, cui nefas eſt animam non impertire. Proximo argumento Auerres, & Alexander occur-

Primum mouēs immobile duobus modis poteſt induci.

Ariſtoteles cur aſſumpſerit primū mouēs immobile mouere per modum efficientis.

Ariſtot. progreſſus li.8. phyſ.

Ad Quintum.

Motus circulares nō poteſt non ſequi animam.

Ad Sextum.

runt,

runt, nam Auerroes *in lib. 12. poſtnat. comm. 41.* non dubitauit aſſeuerare cælum, quia ex ſe mouetur, & eſt animatum, poſſe ſua ſponte quieſcere; nam quod ex ſe mouetur, poteſt etiam ſe ipſum ſiſtere, & a motu ceſſare. Quòd ſi obijcias Ariſtotelem *in lib. 9. poſtnat. 17.* dicentem non eſſe timendum, ne cælum quieſcat, obiectum forſitan purgabit inquiens hic cælo adimi quietem, quę propter laſſitudinē ſuccedit motui. Alexander verò apud Simplicium *in lib. 8. phyſ. com. 31.* dubitans ſi cælum per animam mouetur, quo modo etiam non habeat ſtatus principium, & non moueatur ad contraria, ſoluit: An ad contraria non mouetur, quia motui circulari non eſt alius motus contrarius; non quieſcit autem, quoniam neque ſtatu indiget, neque mouetur ad ea, in quibus cum fuerit, neceſſe habeat ſiſti. His poſtremis verbis putat Pendaſius ſignificari ea, quæ per lineā rectam mouentur, quę cum reflectuntur, neceſſarium eſt ſtare: ego autem opinor ſignificari id, quod ſcriptum eſt in lib. 1. de cælo 100. quodque eſt. Et inceſſabili vtique motu mouetur rationabiliter, omnia enim, quæ mouentur, quieſcunt, cum venerint in proprium locum: eius autem corporis, quod circulariter mouetur, idem eſt locus, vnde incipit, & in quem finit. Verum enimverò quoniam hæ Auerrois, & Alexandri reſponſiones fieri poteſt, vt alicui non expleāt animum, ea, quę ex ſe mouentur, ſic ſunt diuidenda vt alia dicantur ex ſe moueri, quia in ſe ipſis continent cauſſam ſui motus effectricem, nam hæc in duas partes ſunt diuidua, quarum vna mouet, & altera mouetur: & alia, quia non mouentur extrinſecus, quandoquidem motus eſt proprietas, quæ ipſorum naturam comitatur. Quæcunque ſunt generis prioris, ea ita ſe mouent, vt ipſis integrum ſit, cum libuerit, ceſſare à motu, hucque ac illuc vagari. Huius duplex ratio poteſt afferri, vna, quia fatigantur, nam ijs motibus ſeſe agitāt, ad quos non prorſus innatam habent propenſionem, altera, quoniam eorum motus à ſolo appetitu proficiſcitur, qui cū in eis ſit mutabilis, efficitur, vt non ſemper in motu verſentur, poſſintq; multis, varijſque motibus cieri. Atque huius generis ſunt animalia caduca, quorum corpora non penitus inſitam habent propenſionem ad inceſſum accipiendum, quo ſe ipſi mouent alicuius rei appetitu concitata: Quæ autem in genere poſteriore continentur, veluti cæleſtes animantes, quarum conuerſio & fit per animam, & naturam ipſarū corpoream comitatur, has conditiones non accipiunt, ſed in perenni motu verſantur, qui non eſt varius, & multiplex, ſed ſimplex, atq; vnius modi. Huius cauſſa in id eſt conijcienda, quod cum harum animantium motus nō ſolum ex earum voluntate pendeat, verū etiam corporis naturam ſequatur, nulla poteſt ipſis laſſitudo accedere, poſſuntque in infinitum moueri, nec varius eſt earū motus, ſed ſimplex,

vniuſque

Auerrois reſponſio.

Alexand. reſponſio.

Pendaſius.

Reſponſio propria.

Animantibus caducis cur integrum à motu ceſſare.

Cæleſtes animantes cur nunq; ceſſent à ſuis motibus.

vniuſque modi earum naturæ in eodem ſtatu ſemper manenti conueniens. Adiungendum eſt cæleſtium animalium voluntatem eſſe prorſus immutabilem, ex quo etiam fit, vt ſuos nunquam curſus intermittãt, atque vno, æquabilique motu agantur. Ecquid verò ſit, cur cæleſtium animalium voluntas ſit conſtans, atque perpetua, & animalium caducorum appetitus varius, ac flexibilis, id pro cauſſa poſſumus afferre, quod natiua animalia in illud bonum ferantur, quod non eſt verè bonũ, ſed apparens; & quandoque eſt bonum, & quandoque non, cæleſtia verò ſeculis omnibus immortalia vnum id habeant propoſitum, quod verè, ac perpetuò eſt bonum, itaque efficitur, vt cæleſtes animantes in eadem ſemper ſint voluntate, neque has vnquam pæniteat ſtudij, & operæ, quam adhibent, vt ſuum bonum aſſequantur, & mortales, quod appetunt, non ſemper expetũt, ſed tandiu, dum videtur bonum, quocirca nõ ſemper eundem tenent appetitum, & ſepè accidit, quod aliquo tempore cupiunt, & conſectantur, vt id alio tempore renuant, atque declinent. Argumentum, quod poſtremo loco fuit allatum, in nullam nos impellit abſurditatem, quoniam eo modo, qui explicatur in hoc argumento, dicere poſſumus elementa, & totum vniuerſum ab anima gubernari. Neq; aduerſus id pugnatur ab Ariſtotele, qui hoc vnum euertit, quod eſt, vniuerſum ſic ab anima animari, vt hæc per omnes eius partes pertineat, & elementa ſic animam continere, vt hæc in eis hæreat, eaque informe, quæ fuit Platonis, & aliorum veterum philoſophorum opinatio a Chaldeis, & Aegyptijs in hominum animis inſerta. Sed de his hactenus, & cum anima fuerit de ſententia Ariſtotelis cælo impertita, deinceps cuius generis ſit, diſquiramus.

Ad ſeptimum.

Vniuerſũ, & elementa vt ſint animata.

In cælo non eſt anima vegetalis, & cuiuſmodi ſit ſenſus in eo poſitus à Platonicis. Capi XXXIII.

CVm tres animæ ſint ab omnibus poſitæ, vegetalis, quæ in ſtirpibus cernitur, ſenſualis, quæ in beſtijs, & intelligens, quę in hominibus, cõſentiũt Platonici, & Ariſtotelici cælũ nõ fuiſſe particeps factũ animæ vegetalis, atq; huius id poteſt eſſe argumẽto, quoniã abſurdũ eſt cęlũ corpus immortale, et à morbo, ſenioq; abſolutũ animę vegetalis munera ſuſtinere, quę ſunt ali, augeſcere, & q; ſibi ad formę ſimilitudinẽ reſpõdeat, generare. Hæc enim officia ijs tantũ animãtibus fuerũt tributa, quæ ꝗ perpetuo ſubſtantiæ fluore diſſoluãtur, & in interitũ incurrãt, egent alimẽto, cuius ope nutriantur, creſcant, ſobolẽ queant propagare. Cæterũ animã vegetalem in cælis non eſſe ponendã tam firmiter cũctis philoſophis hoc ſeculo probatũ eſt, vt nemo riſum teneat, qui audiat ex Ariſtotele *initio lib. 2. meteor.* & ex Plutarcho *in lib. 2. de placitis philoſophorum c. 17.* cõmentitias veterũ,

In cælo nõ eſt anima vegetalis.

Animæ vegetalis officia quibus animãtib. conceſſa.

& Stoi-

& Stoicorum fabulas, quibus proditum eſt Solem, & aſtra ab exhalantibus è terra vaporibus capere nutrimentum, atque ea de cauſſa circunferri, quod eadem loca nequeant eis ſemper cibum ſuppeditare.

Stoicorum fabula.

An verò cælum vtatur ſenſibus, res eſt controuerſa. Academici putant cæleſtia corpora non eſſe ſine ſenſibus, & cur putent, hanc rat onem afferunt: Quæcunque ſubijciuntur alicuius curationi, ac prouidentiæ, ea neceſſe eſt ab hoc cognitione apprehendi, quòd prouidentia nunquam ſit diſiuncta à notit a rei, cui prouidetur: Cæli, & ſidera ſuam operam locant in his rebus caducis adminiſtrandis, non eſt igitur, vt harum cognitio eis adimatur. Verum enim verò rerum ſingularium, & ſenſibilium comprehenſio propria eſt virtutis ſentientis, hæc igitur virtus in cælis, ac ſideribus eſt ponenda.

Academici cælos in ducũt non ſine ſenſibus, et cur Cæli prouident rebus caducis.

Cælos, & ſydera in his rebus caducis adminiſtrandis verſari ex eo declarant Academici, quod prouidentia in tres partes ſit diſtributa, in vniuerſalem, qua Deus, Mens, & Anima mundi omnia omnibus generatim prouident, in minus vniuerſalem, qua à ſphærarum, ſtellarumque animis prouidetur quidem omnibus, at non omnia tribuuntur omnibus, ſed illa tantum, quæ propria ſunt eorum, eorumque naturæ cognata, & in particularem, qua Dæmones & Heroes certa quædam rerum genera adminiſtrant, hiſque certa, definitaque munera tribuunt.

Prouidentia ab Academicis ĩ tres partes diuiſa.

Academici quos ſenſus dederint cælis.

Senſus verò, qui ponuntur in cælis, inquiunt Academici eſſe viſum, & auditum, qui cæteris ſenſibus antecellunt nobilitate, atque hos à noſtris eſſe diſſimiles, quod vt planè intelligatur, attendenda ſunt ea, quæ habentur à Proclo *in com. 3. in Timæum* de ſenſuum differentijs, quæque ſunt:

Senſuum gradus quatuor.

Senſuum vniuerſitas quatuor gradibus eſt diſtincta, in quorum primo ponitur ſenſus, qui ad mentis naturã proximè accedit, quippe qui in ſe continet ſenſibile, in ſeipſum conuertitur, ex alio in aliud tranſit, neque ad externa ſe extendit, quo fit, vt conſenſus potius, quam ſenſus videatur.

Senſus primi grad.

Senſus ſecundi gradus.

Secundus tribuitur ſenſui ad externa quidem ſe extendenti, verum ipſum ſenſibile ſimul totum, ac perfectè, ſemperque eodem modo apprehendenti, nulli perpeſſioni obnoxio nullamque laſſitudinem patienti.

Senſus tertij gradus.

Tertium gradum conſtituit is, qui à rebus extrinſecus poſitis patitur, cõſtatque actione, & perpeſſione, initium enim ſumit à paſſione, & in actionem, cognitionemque deſinit.

Senſus vltimi gradus.

Vltimus gradus occupatur ab eo ſenſu, qui omnium eſt obſcuriſſimus, & magis paſſio, quam actio eſt exiſtimandus, nam cum naturali conſenſu magnam habet cognitionem, nullamque habens formarum ſenſibilium cognitionem illius duntaxat eſt comprehenſor, quod ſuaue, & moleſtum eſt.

Senſus primi gradus quibus datus.

Senſus primi gradus ad mundum, mundique animam accommodatur, nam totus mundus ſimul eſt oculus, viſio, atque viſibile, ſiue ſenſus, ſenſio atque ſenſibile: Quapropter vt in mente mundi opifice idem eſt

mens,

mens, quod intelligitur, & actus intelligendi, ita in mundo idem eſt ſenſus, quod in ſenſum cadit, & actus ſentiendi: & mundus vt vnico amplexu continet omnia corpora, ita vnico, indiuiduoque ſenſu complectitur omnes ſenſus. Secundi gradus ſenſus ineſt ſphæris, ex quibus vniuerſitas componitur: enim verò cum hæ ſint partes vniuerſi, & aliquid extra ſe habeant, ſenſum ſibi aſciſcunt, qui ad vniuerſum protenditur, quique & in ſe ipſum reflectitur, & ad alia progreditur: cum præterea ſint ortus & interitus expertes, ſuaque ſubſtantia immutabiles, agendo duntaxat, & non patiendo earum ſenſus ad externa diſtenditur. Tertij gradus ſenſus eſt proprius animalium caducorum, & is, qui tenet vltimum gradum, plantis eſt datus, quæ, quod in eis appareat vitæ, ſenſuſque veſtigium, in animalibus aliquo pacto poſſunt numerari. Ex his colligere poſſumus, quid cæleſtib. noſtriſque ſenſibus ſit commune, & quid inter hos & illos interſit. Illud commune eſt, quia omnes verſantur in rebus ſingularibus percipiendis, atque has percipiunt, non quia ab eis moueantur, earumque ſpecies ſuſcipiant, quod natura incorporea nequeat à corporea pati, & aliquid accipere, ſed quoniam earum ſpecies habent congenitas. Illud verò intereſt, quia noſtri ſenſus cum paſſione propriorū inſtrumentorum à rebus ſenſibilibus extra poſitis ſunt complicati; cæleſtes verò ſunt prorſus impatibiles. Rurſus illi per varia inſtrumenta ſunt diſtracti, & hi toti vbique atque integri ſunt, quando quidem cæleſtis natura vndique ſibi ſimilis, eademque exiſtit. Amplius noſtri ſenſus aliquod tempus ponunt in ſuo munere obeundo ex vno ſenſibili ad aliud progredientes; cæleſtes autem ſine tempore ſuis muneribus funguntur omnia ſenſibilia ſimul, vnicoque ac ſimplici, & indiuiduo actu comprehendentes. Præterea noſtri ſenſus ſunt fallaces; cæleſtes nunquam rapiuntur in errorem, nam neq; inſtrumentum, neque interuallum, nec obiectum poteſt imponere eis, qui & carent inſtrumento, & omnia quamquam longiſſimè poſita explicatiſſimè habent comprehenſa. Deinde noſtris ſenſibus quandoque deſunt propria obiecta, cæleſtibus nunquam nō adſunt propria ſenſibilia, quando quidem eis omnia ſunt peruia, nullumq; medium poteſt eis opacitate, denſitate, aut alia qualitate impedimentum afferre. Poſtremò noſtri ſenſus in ſolis accidentibus occupantur, & cæleſtes non ſolum accidentia habent cognita, ſed ipſas quoque ſubſtantias comprehendunt. In his autem dignoſcendis illud intereſt inter mentem & ſenſum cæleſtem, quòd hic ſubſtantias percipit ſubiecto copulatas, & mens à re ſubiecta ſolutas. Atque hæc eſt de cælorum ſenſibus opinio Academicorum, quibus ſi ſubijcias, qua ratione Plato in Timæo tollit è mundo aures, & oculos, quod extra mundum nihil ſit, quod poſſit audiri, & cerni, eadem ex cæ-

Senſus ſecundi gradus quib. inſit.

Sēſus tertij gradus quorū ſit.

Senſus vltimi gradus quib. conceſſus.

Cæleſtiū & corporum caducorum sēſibus quid commune

Inter ſenſus cæleſtes, & sēſus corporū mortaliū quid interſit.

In ſubſtātia comprehendenda quid interſit inter mentē & ſenſum cæleſtem.

Obiectio.

Digitized by Google

Reſponſio.

lo, aut ſanè ex vltimo cæleſti globo ſenſus eijci poſſe, reſpondent Platonem hac ratione mundo adimere ſenſum, non quemuis, ſed patibilem, partibilem, foras ſeſe exerentem, ac varijs inſtrumentis vtentẽ, qui ſenſus eſt proprius animalium caducorum, & non cælorum, quorum ſenſus eſt impatibilis, impartibilis, perque nulla inſtrumenta diſtractus. Sed Academicos valere iubeamus, & locum tribuamus Peripateticis.

Reprehenſio illorum, qui de ſententia Ariſtotelis cælum ſenſibus ornarunt. Cap. XXXIV.

Plutarch. Philophonus, et Simplicius cęlis dederũt ſenſus.

Alex. Themiſtius et Auerroes noluerũt in cælis non eſſe ſenſus.

Ex natura & eſſentia ſenſus colligitur in cælis non eſſe ſenſum.

IN huius quęſtionis explicatione in cõtrarias opiniones abeũt Ariſtotelicæ doctrinæ interpretes, nam Plutarchus, Philoponus, & Simplicius Platonicis aſſentientes tribuunt cælis ſenſus, qui noſtris ſunt multò præſtabiliores; contra ab Alexandro, Themiſtio, & Auerroe ſenſus omnes tolluntur è cælo, quorum ſententiam arbitror cum doctrina Ariſtotelica conſentire, idque perſpicuum erit, ſi animæ ſenſualis eſſentiam, functionem, & vſum voluerimus contemplari. Cum Ariſtoteles *in lib. 2. de anima* 118. naturam, & eſſentiam ſenſus in mediocritate quadam repoſuerit, atque mediocritas, quæ conſtituit ſenſum tactus, ſine quo fieri non poteſt, vt alius ſit ſenſus *lib. 3 eiuſdem operis 66.* ſit calidi & frigidi, humidi, & ſicci, profectò cælum ſi vllum haberet ſenſum, primarum qualitatum eſſet particeps, quod non facit cum doctrina Ariſtotelis. Et cum *ad calcem lib. 3. de anima* monſtratum fuerit nullum corpus ſimplex habere ſenſum, quis hinc non concludat fieri non poſſe, vt cælum, quod eſt corpus ſimplex, fuerit ſenſibus ab Ariſtotele donatum. Præterea Ariſtoteles *in lib. 2. de anima* 121. ſenſum definit id eſſe, quod formas rerum ſenſibilium citra materiam poteſt ſuſcipere: & in eodem lib. 62. ſcribit ſenſum poteſtate eſſe illius modi, cuius actu eſt ipſum ſenſibile, atque in tex. 51. affirmat ſenſum patiendo ſuas muneris functiones obire. Et verò ſi hæc eſt vis & natura ſenſus, ſanè ſi corpora cæleſtia ſenſibus ſint ornata, neceſſum eſt hæc ſenſibilium rerum formas citra materiam ſuſcipere, nec non patiendo exercere functiones à ſenſu prodeuntes, id quod eſſe improbabile nemo non exiſtimabit, qui intellexerit in cælis nulla eſſe inſtrumenta, quibus rerum ſenſibilium ſpecies ſuſcipiantur, quibuſque cælorum ſenſus à rebus ſenſibilibus patiantur. Ab hoc argumento hac reſponſione ſeſe expediunt aduerſarij. Corporum tam cæleſtium, quam mortalium ſenſibus ſpecies quædam ſunt ingenitæ, quibus fit de rebus ſenſibilibus iudicium, verum illud intereſt, quod mortalium ſenſus his ſpeciebus, quæ in eis vitio corporis ſunt obſcuræ, ac veluti in tene-

Reſponſio aduerſariorũ ſpecies ſenſibus ingenitas ponentium.

bris

bris poſitæ, nequeant frui, niſi hæ à rerum ſenſibilium ſpectris, & imaginibus fuerint pulſatæ, atque tamquam ex tenebris in lucem euocatæ, & cœleſtium ſenſus abſque vlla imaginum extrinſecus accedentium pulſatione, & excitatione percipiunt fructus harum ſpecierum, quæ in eis clariſſimæ ſunt, & hæc quæ ſentiuntur à nobis diiudicant. Non igitur oportet cæleſtium corporum ſenſus harum rerum ſenſibilium formas ſine materia ſuſcipere, atque patiendo ſua munia obire. Neque id ab Ariſtotele ſenſui fuit tributum, nam cum ſtatuit ſenſum ſuſcipere formas rerum ſenſibilium citra materiam, nomine ſenſus intellexit ſenſus inſtrumentum, quod in actu ſentiendi accipit ſpecies foris aduenientes, quæ in eo impreſſę excitant ſpecies in ſenſu inſitas, quibus excitatis ſenſus fit actu, ſuoque fungitur munere. Et cum idem inquit ſenſum pati, id ita eſt accipiendum, non quia ſenſus verè patiatur, ſed quoniam eius inſtrumentum patitur ſpecies à rebus ſenſibilibus accipiendo. Hoc commento ſperant aduerſarij ſe poſſe vim argumenti euitare non intelligentes ſuas explicationes non eſſe probabiles, & has ſpecies ſenſibus inſitas non cohærere cum decretis Ariſtoteleis. *Improbatio.* Improbabiles ſunt ipſorum interpretationes, quoniam Ariſtoteles non ſenſus inſtrumentum, ſed ipſum ſenſum finiuit id, quod ſuſcipit ſpecies citra materiam, non ſecus ac cæra ſine auro, & ære imaginem excipit; nam paucis interpoſitis declarat naturam inſtrumenti, inquiens eſſe id, in quo huiuſmodi vis, & poteſtas, hoc eſt vis, & facultas ſuſcipiendi ſpecies citra materiam, quam ſenſum appellamus, eſt ſita, & collocata. Sentire præterea ita eſt pati, vti intelligere *lib. 3. de anima 2.* atqui cum intelligere non ſit pati, quia inſtrumentum patiatur, quod menti intelligenti nullum inſtrumentum ſeruiat, nec etiam ſentire erit pati, quia patiatur inſtrumentum, ſed quoniam ipſe ſenſus patitur, & patiendo ſpecies ſuſcipit. At verò ſpecies ſenſibus inſitæ abhorrent ab Ariſtotelis doctrina, nam cum in hac mens, quæ ſenſu quocunque eſt præſtabilior, ſit veluti tabula, in qua nihil eſt deſcriptum *lib. 3. de anima 14.* par eſt & ſenſum nullas ſibi ſpecies ſua natura aſſerere, & cum in eadem ſenſus ſuis muneribus fungantur nulla harum ſpecierum habita ratione, fiantque actu ſpecies ſuſcipiendo, neceſſe eſt, quoniam ea ſola recipiuntur, quorum eſt priuatio, & indigentia ſenſus ſpecies non habere congenitas. *Species ſenſibus inſitæ abhorrent ab Ariſtotelis doctrina.* Præterea qui ſpecies in ſenſibus inſitas defendunt, ſunt interrogandi, nunquid hæ ſpecies tot ſint, quot ſenſibilia ſingularia, an pauciores? Si tot eſſe reſpondeant, cum ſenſibilia ſingularia ſint infinita, ſpecies quoque erunt infinitæ, at id qui fieri poteſt, ſi natura non amat infinitatem? Dicent fortaſſe ſpecies cælorum ſenſibus tributas tot eſſe, quot ſenſibilia in rerum natura exiſtentia quæ cum ſint finita, non ſequitur illas eſſe infini- *Suffugium.*

Digitized by Google

nam cum ſpecies ſua natura ſit imago cunctorum vnius naturæ,& ſpeciei indiuiduorum, oportet, vt hæc, ſiue fuerint, ſiue non fuerint in rerum vniuerſitate, nunquã non repræſentet, nã & Cæſaris ſtatua, vel imago, is ſiue extiterit, ſiue non extiterit, perpetuò Cæſarem repræſentat. Et ſi ſpecies nequit antè indiuidua futura repræſentare, quam exiſtant, cum hæc repræſentat eodemne ſe habet modo, atque antè ſe habebat? Si eodem ſe habet modo, nulla eſt ratio, cur repræſentet ea, quæ eodem ſe habens modo antè non repræſentabat: Sin ſecus in ea facta erit aliqua mutatio, at hæc ſpecies ſic ponitur in ſenſu, vt nullam prorſus accipiat mutationem, cæteroquin ſi mutaretur, & ſenſus, cui ineſt, non eſſet expers mutationis, & perpeſſionis, qui, ne patiatur, & mutetur à rebus ſenſibilibus, fuit ſpeciebus inſitis donatus. Non eſt igitur, vt ſpecies in cælorum ſenſibus inſitæ amplexentur. Deinde ſi ſenſus fuiſſent cæleſtibus corporibus conceſſi, his quoque data fuiſſent inſtrumenta, quibus ſenſuũ functiones perficiuntur, & exercentur; hæc verò cum *lib. 2. de anima 129. lib. de ſen. & ſenſib.* ſint elementa, aut conſtet ex elementis, in cælis erunt elementa contra Ariſtotelis ſententiam. Neque aduerſarij reſpondeant cæleſtium ſenſus inſtrumenta ſibi aſcriſcere à noſtra ibus diuerſa, quoniam Ariſtotelis argumentatio, qua *in lib. 2. de anima 129. & 130.* conficitur nullum poſſe fingi ſenſum, qui perfectis animalibus deſit, futilis eſſet, ac inanis; quippe quæ ducitur ex eo, quod animalia perfecta teneant omnia inſtrumenta, quæ ſunt ad functiones ſenſuum perficiendas deſtinata. Quidam, vt hanc plagã repellerent, non veriti ſunt maiorem accipere; nam dixerunt cælorum ſenſus nulla inſtrumenta efflagitare, quia in re longiſſimè aberrant, quod ſenſus, qui eſt virtus corporis & in rebus ſingularibus cognoſcendis poſita, neceſſariò deſideret inſtrumenta, quibus queat ſuas muneris functiones obire; hinc Ariſtoteles in loco proximè recitato ex inſtrumentis hauſit rationem, qua ſenſus quinque nec plures haberi concluſit. Et ſi noſtri ſenſus natura ſunt comparati, vt ſine inſtrumentis non fungantur ſuis officijs, cur cælorum ſenſus ſine his ſua munera exequentur? Omnes enim ſenſus in eo, quod ſenſus, eiuſdem ſunt rationis, nec quippiam aliquibus eſt concedendum, quod in reliquis non appareat; nam naturale eſt omnium ſimilẽ eſſe rationem *lib. 8. phyſ. 63.* Verum ſenſuum vſus, & commoditates iam expendamus, & conſideremus, nunquid ob has oporteat ſenſum cæleſtibus corporibus impertire. Duæ ſunt vtilitates, quæ ex ſenſibus perueniunt ad animalia, vna eſt horum ſalus, & incolumitas, quam ſignificauit Ariſtoteles *in lib. 3. de anima 60. & in libr. de ſenſu & ſenſibus capit. 1.* nam ſenſuum beneficio animantes ſecernunt peſtifera à ſalutaribus, eaque ſibi parant, quæ ad vitam agen-

Ex *ſenſuũ inſtrumentis conficitur cælum carere ſenſibus.*

Reſponſio quæ poteſt afferri refutatur.

Reſponſio ſecunda.

Reprehenſio.

Ex *ſenſuũ vſibus concluditur non eſſe, vt ſenſus tribuantur cælis.*

Senſuum vtilitates

agendam ſunt neceſſaria, & declinant, quæ videntur detrimentum eſſe allatura: Et mehercule cum animalia coniunctum non habeant alimentum, vt ea, quæ radicibus continentur, ſed procul venentur, non diu poſſent vitam propagare, niſi natura eis dediſſet ſenſū, quo miniſtrante victum procul poſitum apprehendunt, & apprehenſum ſibi parant. Altera vtilitas eſt, quoniam ex ſenſibus conſequuntur animalia, vt benè ſint, benèque ſe habeant, veluti eſt ſcientiarum acquiſitio, qua homo non quidem eſt ſimpliciter, ſed benè eſt, atque hinc ab initio in lib. 1. poſt nat. dictum eſt nos ſenſum videndi præ cæteris ſenſibus diligere, quia ad cognitionem plurimum conducit, eoque plures rerum differentiæ comprehenduntur. Hæ ſunt duæ ſenſuum vtilitates, quarum neutram eſſe neceſſariam cælis arduum nō eſt intelligere. Cum cæleſtia corpora ſint immortalia, nulliſque iniurijs obnoxia, non eſt, vt dicamus eis ad ſalutem ſenſum fuiſſe conceſſum à natura, quoniam huius eſt nihil temere, fruſtraque efficere. Nec præterea decet affirmare cælis, vt benè ſe habeant, ſenſus fuiſſe impertitos, nam benè eſſe, & bonum cuiuſque rei poſitum eſt in propria, & præſtantiſſima muneris functione *lib. 1. Ethic. ad Nicom. cap. 7.* hæc autem in cælis eſt ea, qua intelligitur, & amatur prima mens; & cæli vt hanc intelligentia comprehendant, & amore complectantur, nullis opus habent ſenſibus, à quorum comprehen-

Argumentum Platonicorum refellitur.

ſione hæc mens longiſſimè abeſt. Quod Platonici arbitrentur ſenſus fuiſſe cælis tributos, vt rebus caducis poſſint prouidere, non rectè arbitrantur, quoniam, vt in diſputatione de mentibus a materia ſeparatis declaraui, cæli ſine ſenſibus poſſunt in his rebus adminiſtrandis verſari. Conſtat ex his ſenſus non eſſe cælis concedendos, quod quoque habetis à Philopono perſuaſum quibuſdam Peripateticorum rationibus *in com. lib. 3. de anima 61.* quamquam hic in ea ſit opinione, vt putet in hoc dogmate ſtabiliendo Ariſtotelicos nihil aduerſus Platonicos concludere, atque his non deeſſe reſponſiones, quibus repellant illorum obiectiones; cæterum de his illum conſulite, atque interim audite ea, quibus nos exagitant aduerſarij.

Refutantur ea, quæ de ſententia Ariſtotelis videntur cælo tribuere ſenſum. Cap. XXXV.

Locus Ariſtotelis in lib. 3. de anima 61.

QVi ſenſibus exornant cælos, hi primum afferunt Ariſtotelis locum ex *lib. 3. de anima 61.* deſumptum, in quo non poſſe fieri oſtenditur, vt corpus, quod anima, menteque præditum ſit, atque ſtabile non exiſtat ſiue generatum, ſiue non generatum, ſenſum non habeat: quapropter cælum, quod eſt corpus huius generis, non ſine ſenſibus animam obtinebit. Deinde multa adducunt argumenta.

Vnum

Vnum eſt: Cæleſtia numerantur in animalibus: atqui animal ſenſu conſtituitur *lib. 2. de anima* 16. *& lib. de ſenſu, & ſenſibili cap.* 1. ergo cæli non erunt ſine ſenſu.

Primum argum.

Secundum: Cęlum non eſſe animæ expers oſtenſum eſt, verum anima eſt quodam modo omnia, menteque eſt intelligibilia, & ſenſu ſenſibilia *lib. 3. de anima* 37. ergo cælum erit ſenſu præditum.

Secūdum.

Tertium: In hominibus anima intelligēs non coniungitur corpori, niſi hoc antē ſenſu fuerit informatum, ergo cælis, in quibus ponitur anima intelligens, dandus eſt ſenſus, quo veluti vinculo anima ipſorum intelligens corpori coniungatur.

Tertium.

Quartum: Senſus rebus caducis affert perfectionem; hic igitur non eſt adimendus cælis, qui cum rebus caducis ſint multò præſtabiliores, par eſt, vt ijs nequaquam careant perfectionibus, quibus hę fuerint inſignitæ.

Quartum.

Quintum: Differētia illius, quod dicitur ante, & illius, quod vocatur retro, eſt principium motus à ſenſu fluentis *lib. 2. de cælo* 8. atqui Ariſtoteles hac differentia cælum impertiuit; ergo non eſt, vt ad huius ſententiam ſenſus cælo eripiatur.

Quintum.

Poſtremum. Animæ partes ſic natura ſunt comparatæ, vt ſuperior ab inferiore non diſiungatur; ſunt enim veluti numeri, in quibus ſuperior non conſtat abſque inferiore. Ergo cæli, qui intelligentia, menteque vigent, ſenſu non carebunt, qui ſua natura antecedit facultatem intelligendi, huicque cedit dignitate. Hæc aduerſarij, quibus nos ita occurrimus.

Sextum.

Locus Ariſtotelis *in lib. 3. de anima* 61. non caret obſcuritate, & in eius explicatione non conſentiunt enarratores. Is ad hūc modum legitur. At verò nequit fieri, vt corpus habeat animam, mentēque diſcernentem, ſenſu autem vacet, non ſtabile exiſtens, ſed generabile cæterum neque ingenerabile: cur enim non habebit? aut enim animæ, aut corpori id ipſum melius erit: nunc autem neutri videtur melius eſſe; illa namque ob hoc magis non intelliget, hoc autem nihil magis ob id perſiſtet. Nullum igitur corpus non ſtabile animam ſine ſenſu obtinet.

Loci lib. 3. de anima 61. explicatio.

Plutarchus, cuius ſectatores ſunt aduerſarij, hunc locum ſic interpretatur, vt ſentiat Ariſtoteles in cælis ſenſum eſſe ponendum, qui ſunt corpora non ſtabilia, neque generata, atque anima menteque vigentia: Etenim ſenſu vacare non eſt melius aut corpori, aut animę, corpori, quia quod ſentit, eſt præſtabilius non ſentiente: animæ, quoniam ſenſus illi eſt adiumento ad vniuerſorum cognitionem, quòd eius beneficiò ſingularia comprehenduntur, ex quibus ad vniuerſa fit progreſſus.

Plutarchi explanatio

Alexander, quē Themiſtius, Philoponus, Simplicius, & Methochita ſequuntur, hęc verba; Cæterum neque ingenerabile, coniungens cum ijs, quibus paulò ſupra fuit conſtitutum non eſſe neceſſarium omnia viuentia habere ſenſum, & quæ proximè ſequuntur, legens abſque dictione negante hoc modo: Cur enim habebit? vult Ariſtotelem corpori

Alexandri explanatio

cæleſti

cæleſti ſenſum eripere, huiuſque hanc rationem afferre, quia ſenſus nullam hujus corpori, aut animæ affert vtilitatem: Neque enim cæleſtis anima, melius coniunctione ſenſus poteſt intelligere, cum is potius impedimento, atque oneri ſit animæ intelligenti, quam interturbans euocat à contemplatione; Neque vllam præterea commoditatem poteſt corpus cæleſte ex ſenſu capere, tum quia eſt immortale, nulliuſque capax contumeliæ; tum etiam quia non oportet victus capiendi gratia illud obire progreſſionem, cum abſque alimento vitam viuat nunquam deficientem. Hæc eſt Alexandri explanatio, quam ſi amplexemur, nobis nequaquam erit neceſſe ſenſum in cælis ponere, & ſanè non eſt indigna, quæ approbetur, quoniam cum paucis interiectis demonſtretur corpus ſenſum habens non eſſe corpus ſimplex, quoniam ſine tactu, qui reliquos ſenſus naturæ origine anteit, animalium quicquam non cohæret in rerum natura; & ea, quorum corpus eſt ſimplex, nequeunt habere tactum, qui in primarum qualitatum temperatione conſiſtit, quis non videat, ſi in verbis recitatis ſenſus tribueretur cælo, quod eſt corpus ſimplex, fore, vt hæc cum illis nullo modo conueniant?

Comprobatio, & illius, quæ eſt Plutarchi, confutatio.

Alia explanatio ex Simplicio.

Verum enim verò ſi voluerimus Simplicium audire, qui teſtatur hæc, Cæterum neque ingenerabile; in quibuſdam codicibus addita fuiſſe, & propterea delere, quod quidem fecit Argyropolus, huius loci hic erit ſenſus. Nullum corpus, quod anima, & mente vtitur, poteſt ſine ſenſibus conſtare, ſi ſtabile non fuerit, hoc eſt habuerit vim gradiendi, & genitum extiterit. Huius ea eſt ratio, quia ſenſu carere non eſt animæ, aut corpori commodius, animæ, quoniam tantum abeſt, vt anima ſine ſenſibus melius intelligat, vt ſine his nihil omnino poſſit intelligere, quippe quæ abſque phantaſmatis quicquam non intelligat; corpori verò, quia cum hoc fluxibile ſit, atque caducum, multaque habeat infenſa, & inimica, opus eſt ei vis ſentiendi, qua alimentum procul poſitum comprehendatur, & noxia, inimicaque diſcernantur. Hanc explanationem ſi amemus, nihil aduerſus nos conficient aduerſarij; verum ne hi objciant nobis, quod vt tueamur propriam opinionem, Ariſtotelis textum peruertamus, hũc locum ſic poſſumus interpretari, vt his verbis: Non ſtabile exiſtens, cælum excludatur, quod ita mouetur, vt nihilo minus videatur ſtabile in eodem loco manens perpetuò, nec vnquam ex eo, quem occupat, ad alium progrediens; his autem: Sed generabile, at non ingenerabile: excipiantur ſtellæ in cælis infixæ, quæ cum videantur non eſſe ſtabiles, in eodemque loco non perſiſtere, de ſententia Ariſtotelis nunquam fuerunt generatæ, atque illis, quæ continuò ſubiunguntur, ratio affeRatur, cur corpus, quod eſt anima, menteque præditum, & ſtabile non exiſtit, atque generatum eſt, habeat ſenſum. Quapropter tãtum

Noua explanatio.

abeſt,

abeſt, vt hinc concludatur ſenſum cælis, & ſtellis fuiſſe impertitum, vt contrarium intelligatur; quando quidem Ariſtoteles, vt cælum exciperet, voluerit corpus, cui ſine ſenſibus non ineſt anima, non eſſe ſtabile; & vt ſtellas excluderet, adiunxerit generatum eſſe, & non ingenitum. Primum argumentum duobus modis reprehendimus; vnus eſt, quoniam caduca animalia, de quorum anima Ariſtoteles inſtituit diſputationem in libris de anima, ſenſu conſtituuntur; æterna verò anima intelligente: altera eſt, quia cæli minus propriè vocantur animalia; id quod voluit Alexander apud Simplicium *in lib. 2. de cælo com.* 35. nam cum id, quod propriè eſt animal, ſenſu conſtituatur, cæli, qui ſenſu carent, nec verè, nec propriè ſunt animalia; quamquam in viuentibus numerentur mente, ac intelligentia vitam agentes. Scitis enim ab Ariſtotele admoniti *in lib. 2. de anima* 13. quod cum viuere quadrifariam dicatur, etiam ſi vnum inſit, qualecunque ſit illud, id viuere dicitur, cui ineſt, vt mens, ſenſus, motus in loco, & nutritio. Proximum diſſoluitur, quia anima, quam Aritoteles ſtatuit quodammodo eſſe omnia, eſt hominum anima, quæ ſenſu, & mente conſtat. Tertium reijcitur, quod noſtra anima intelligens non ſuperueniat corpori ſenſum habẽti, quamuis in eius facultatibus numeretur ſenſus, ſine quo in hoc corpore quicquã non intelligit, neque ſenſus ſit vinculum, quo anima intelligens coniungitur materiæ, nam hæc, quæ eſt vere, proprieq; forma, vt materiæ coniungatur, nullum requirit vinculum, quod fuit tributum ijs, quæ cum ſint naturæ integræ, & per ſe actu cohærentes, vna copulantur; & non formæ, ac materiæ, quæ ꝗ ſint naturæ dimidiatæ à natura factæ, vt ex eis vna iunctis exiſtat ſubſtãtia integra, & cõpoſita, ſua natura ſunt aptæ, & natę ſine vllo vinculo inire ſocietatẽ *ſub exitum li. 8. poſt.* Quartum accuſatur, quia nõ ſemper, ꝙ caducis eſt ornamento, id rectè tribuitur cælis, nam ſæpe numero, ꝙ in caducis eſt perfectio, id ſi corporibus cæleſtibus impertiatur, tantũ abeſt, vt ornet, vt contra fædet, atque huius argumento poſſunt eſſe vegetalis animæ functiones quæ in caducis ſignificãt perfectionẽ, & à cælis nõ poſſunt exerceri, niſi hi exuant naturã immortalẽ, fiantque caduci: Itaq. quoniã eadẽ ratio eſt ſenſuum, hi tametſi cõpleant, ac ornent corpora natiua, cælis tamen nõ poſſunt ineſſe, niſi hi ſuæ dignitatis iacturã faciant. Nec verò diffitendum eſt, quin omnes corporũ caducorũ perfectiones modo quodã ſingulari ſint in cælo poſitæ, nã cælum cũ ſit cauſſa communis eorum omnium, quę generãtur, hæcque regat, & adminiſtret, in his generandis, & adminiſtrandis non verſaretur, niſi hæc in eius virtute continerentur; verum non propriè in ſe continet horum perfectiones, quod his non indigeat ob ſuæ naturæ præſtantiam, & immortalitatem, & has propriè conti-

Ad primũ argumen.

Alexander

Cæli nec verè, nec propriè animalia.

Ad 2.

Ad 3.

Senſus non eſt vinculum, quo anima intelligens coniungitur corpori.

Forma, & materiæ coniunctio ſine vinculo.

Ad 4.

Quod in caducis eſt perfectio, id in æternis quandoque eſt imperfectio.

In cælo corporum caducorũ perfectiones modo quodam ſingulari poſita.

nere datum ſit illis, quæ eis opus habent ad ſalutem, & incolumitatem. De quinto dicendum eſt, cum differentiæ poſitionis poſſint ſtatui principia vel diuerſorum motuum, atque hoc modo ſcriptū eſt *in lib. 2. de cælo* 8. ab ipſo ſupero eſſe accretionem, à dexteris loci motionem, & ab eo, quod eſt ante, motum ſecundum ſenſum: vel vnius motus, qui fit in loco; ex quo *in lib. eodem.* 12. ſuperum eſt illud principium, vnde eſt hic motus, dexterum, à quo, & ante, ad quod, has poſitionis differentias Ariſtotelem in cęlo contemplari, qua ex parte ſunt principia vnius loci mutationis, quocirca non eſſe, vt in cælo ponatur ſenſus, ſi in eo poſita eſt differētia illius, quod eſt antè, & illius, quod eſt retrò. Poſtremum Ariſtoteles refellit, qui *in lib. 2. de anima* 15. aſſeuerans in mortalibus facultatem ſuperiorem non poſſe diuelli ab inferiore: & *in text.* 32. inquiens quibus mortalium ineſt ratio, his datas eſſe reliquas animæ facultates, ſignificat in æternis viuentibus ſuperiorem facultatem per ſe conſiſtere ſeparatam ab inferiore. Ac profectò ſi firmum eſſet hoc argumentum, ex eo etiam concluderetur animam nutrientem cælum animare, quod fieri non poſſe & ipſi aduerſarij ſentiunt.

Ad 5. Poſitionis differentiæ duobus modis principia motus.

Ad 6.

Vis imaginatrix nunquid cælo ſit tribuenda.
Cap. XXXVI.

Avicennas *in lib. 9. primæ philoſophiæ cap.* 2. externos ſenſus exemit quidem è cælis, ſed internum ſenſum, quem vocamus facultatem imaginatricem, eis adſcripſit: In hanc ſententia fuit adductus, quoniam cæli motus eſt quoddam ſingulare, ſed cum hic motus non temere ſuſcipiatur à cęlo, neceſſe eſt, vt huic ſit cognitus, verum nulla animæ virtus præter facultatem imaginatricem poteſt in cælis hunc motum ſingularem comprehendere, nam ſingularia à mente non percipiuntur; ergo cæli facultate imaginatrice animātur, qua ſingulares ſuas conuerſiones cognoſcunt. Adiungunt alij Ariſtotelem perſpicuè voluiſſe mundum hunc ſublunarem regi à cæleſtibus corporibus *lib.* 1. *meteor. cap.* 2. atqui cum nefas ſit cælos in hoc munere verſari temere ac fortuito, hi profectò his rebus caducis per ſe, & ex animo prouidebunt, verum prouidentia per ſe ſemper eſt connexa cum cognitione eorum, quæ cadunt in prouidentiam, ergo cæli hæc mortalia habebunt comprehenſa. Cæterum hæc, quia ſunt ſenſibilia, non poſſunt niſi ſenſu comprehendi, quod ſolo ſenſu res ſenſibiles diſcernantur *lib. 2. de anima* 145. ergo cum in cælis nullus exterior ſenſus ſit ponendus, vis imaginandi, ſenſuſque interior non eſt, vt eis adimatur, cuius munere queant, quęcunq. ſuæ curæ, & prouidentiæ ſubijciuntur, habere perſpecta. Aduerſus

Auicennæ argum.

Alterum argum.

Auicen-

Auicennam ab Auerroe *in lib. de ſubſt. orbis, in lib. 12. poſt nat. 36. & alibi* hæc afferuntur: Senſus eam ob cauſſam fuerunt animalibus cõceſſi, vt ſuam incolumitatem tueantur neceſſaria comparando, & noxia propulſando; ſed cæli ſunt æterni, nec iniuriæ, aut contumeliæ capaces, non igitur hi obtinent ſenſus, ex quibus nullam poſſunt percipere vtilitatem: Sunt, qui putent leuem eſſe hanc Auerrois argumentationem, nam cum cernamus plantas ſine ſenſu viuere, & diutiſſimè quidem, ſenſus non poteſt præcipuè datus eſſe ad vitæ cuſtodiam, ſed ea de cauſſa, vt animalia eſſent, in rerumque vniuerſitate exiſterent animalium ſpecies. Itaque inquiunt Auicennam dicturum eſſe cælo ſenſum fuiſſe à natura impertitum, vt eſſet huius formæ particeps, & non vt ſalutaria compararet, atque contraria declinaret, quòd huius quicquid eſt muneris, ei minimè obeundum fuerit ob ſuæ naturæ præſtantiam, & ſtabilitatem. Hi dum Auerroem reprehendunt, Ariſtotelem quoque accuſant, qui ratione haud diſſimili Alexandro, Themiſtio, & alijs viris clariſſimis interpretantibus *in lib. 3. de anima* 61. cælis ſenſum ademit. Neceſſaria verò eſt hæc argumentandi ratio, quoniã cũ omnis forma ſit propter ſuum officium comparata, quòd id, cuius eſt aliquod opus, ſit gratia operis *lib. 2. de cælo* 17. neceſſe eſt, cui formæ officium adimitur, eidem formam eripi. Et cum eadem propter ſubſtantiam compoſitã ſit parata, nam eſt pars, quæ gratia totius poſita eſt, oportet illius officium aliquam ſubſtantiæ compoſitę præbere vtilitatem, quapropter, ſi ex illa ad hanc nullum perueniret neceſſarium emolumentum, non ſatis accommodatè hæc ab ea fuiſſet conſtituta. Planè non eſt diffitendum ſenſum à natura fuiſſe paratum, vt eſſent animalia, verum cũ hæc procul poſita ſint ab ijs, quibus aluntur, quæque eis ſunt ſalutaria, ſæpeque habeant obuia, quæ afferunt detrimentum, ſenſus eis tributus ſic fuit comparatus, vt eo miniſtrante queant eminus cognoſcere amica, & inimica, hæcque declinare, & illa conſectari. Nec quicquam facit, quod plantæ ſine ſenſu viuant, quoniam in plãtis, & in animalibus viuere non eſt vnius, & eiuſdem rationis, fierique non poteſt, vt quippiam ſine ſenſu eam vitam viuat, quæ propria eſt animalium. Reſpondent alij hinc tantum confici ſenſus, quos vocamus externos, in cælis non eſſe locandos, ſed vim imaginatricem, & ſenſum interiorem ex his non eijci. Hos vrget Auerroes *in tract. 4. epit. poſt nat.* inquiens cum imaginatio finiatur ab Ariſtotele *in lib. 2. de anima* 160. motus factus a ſenſu, qui eſt ſecundum actũ, perſpicuum eſt eam ſine ſenſibus externis non poſſe conſtare, & per hos intermedios ſuum munus obire, quapropter quoniam cæli non admittunt ſenſus exteriores, nec etiam vim imaginatricem poſſunt excipere. Auicennæ argumentum confutat Auerroes, quoniam cæli mo-

Auerroes confutatio

Oppugnatio.

Defenſio

Cui formę officiũ adimitur, eidem forma eripitur.

Aliorum reſponſio.

Defenſio.

li motus eſt vnicus, atque perẽnis, vt ſimul ſit ſpecies tota, & indiuiduum; quæ autem ſunt huiuſmodi à mente, atque à vi intelligente poſſunt optimè comprehendi. Hæc Auerrois confutatio eſt mihi magnopere dubia, tum quia multi ſunt cælorum motus, nec horum aliquis eſt tota ſpecies, cum præter ipſum alij ſub eadem ſpecie ſint poſiti, tum etiam quoniam ſingularia, quæcunque fuerint, non cadunt in mentis cognitionem, quæ ſolæ naturæ rerum vniuerſæ comprehenduntur. Itaque dicendum eſt neceſſarium non eſſe, vt cæli ſingularum ſuarum conuerſionum habeant comprehenſionem, tum quia ſua natura mouentur in orbem, tum etiam quoniam eis ſat eſt habere communem, & vniuerſam totius motus cognitionem, ex qua nullo impedimento interueniente ſequuntur ſingulæ conuerſiones, ita mulieres nentes ex communi quadam operis, quod faciũt, notitia ſingula ſubtegmina optimè ducunt, cum hæc non habeant ſingulatim comprehenſa, & homines quotidie multas, ac varias ſuſcipiunt progreſſiones, quas ſingulas non habent cognitas. Argumentum, quod ab alijs fuit adiunctum, nullius eſt momenti, quoniã ſi prouidere nihil aliud eſt, quam id, quod cadit in prouidentiam, ad ſuum finem dirigere, atque hoc munus eſt prudentis, menteque præditi, non vis imaginatrix eſt cælis impertienda, ſed mens, viſque intelligens cuius eſt dirigere, ac prouidere, idque intelligitur ex græco nomine, quo ſignificatur prouidentia; quod eſt πρόνοια hoc eſt præintelligentia. Hinc ſcitè ſcripſit Boethius *in lib. 5. de conſol. phil.* prouidentiam hoc nomen reportaſſe, quia procul à rebus infimis cõſtituta quaſi ab excelſo rerum cacumine proſpicit. Verum quid Ariſtoteles de prouidentia ſenſerit, non eſt facile explicare, & hęc quæ ſtio ſatis copiosè fuit à me in diſputatione de mentibus à materia ſeparatis explicata, in qua cum fuerit declaratum cælorum prouidentiam non neceſſario adiunctam habere corporum caducorum notitiam, hinc quoque liquet in hoc argumento non multum eſſe firmitatis.

Auicennæ argum. cõfutatio Auerrois Reiectio.

Altera cõfutatio.

Ad alterũ argum. reſponſio.

Mẽtis eſt dirigere, & prouidere.

Boëthius.

Prouidentia vnde nomen reportauerit.

Cælum eſt animatum anima mente, appetituque prædita. Cap. XXXVII.

CVm cæli neque anima vegetali, neque anima ſentiente prædi- ti ſint, reliquum eſt, vt ſint animati anima intelligente, & appetente, quæ eſt Alexandri, Themiſtij, Philoponi, Euſtratij, & Auerrois clariſſimorum Peripateticorum opinio. Idem ſentiunt Hebræorum doctores, nam Philo *in lib. de mundi opificio* ſtellas appellat animantes intelligentes, & mentes ſingulares, & *in lib. de plant.* Noe ſcribit ſtellas conſenſu philoſophorum eſſe animantes mente vigentes, in

Alexãd. Themiſtius, Philoponus, Euſtratius, Auerroes. Philo.

in lib. de ſomnijs tradit mundi opificem cælo indidiſſe ſtellas, quæ non ſolum animantes, ſed & mentes puriſſimæ dicuntur; & in lib. de Gigantibus aſſeuerat ſtellas eſſe animantes immortali, diuinaque anima præditas, atque idcirco in orbem moueri, qui motus eſt menti cognatus. Quinetiam Moyſes Aegyptius *in lib. 2. eius operis, cui titulus eſt Director dubitantium. cap. 6.* ſentit cœlos eſſe animalia ratione, menteque prædita, quæ Deum contemplantur, ſummiſque laudibus efferunt; atque id confirmat, quòd à ſanctiſſimo Vate dictum ſit cœlos Dei gloriam enarrare; & verbum hoc enarrare hebraicè non tribuitur niſi rei intelligenti, mentemque habenti. Idem Hebræorum alij (teſtis eſt Chalcidius *in com. Timæi*) confirmarunt, quòd in cap. 45. Iſaiæ Deus cœlorum militiæ præceperit; ijſque ſolis mandata dentur, quæ mente, & ratione vtuntur. Hos ſequutus eſt Origenes *in tom. 1. com. in Ioannem, & in lib. 1. de principijs cap. 7.* qui propterea ſtatuit ſtellas virtutis, vitijque eſſe capaces, & à peccati contagione non eſſe liberas; atque id fuiſſe à Iobo ſignificatum, cum dixit ſtellas non eſſe mundas in Dei conſpectu. Cum Origene conſentit Caetanus, qui exponens illud pſalmi 135. Qui fecit cœlos in intellectu; inquit id ſic poſſe accipi, vt ſignificetur cœlos eſſe factos mente præditos: Et in tract. de indulgentijs putat cœleſtes animas vocari cœlorum virtutes, cum in præfatione Sacri Canonis dicitur cœlos, cœlorumque virtutes, ac Beata Seraphin ſocia exultatione diuinam maieſtatem concelebrare. Verùm hic, Origenes, Hebræorumque doctores non eſt, vt audiantur, quoniam vt ſupra dictum eſt, cœli non ſunt verè animati: neque id ex ſacræ Scripturæ locis poteſt intelligi, quorum interpretandorum Damaſcenus *in lib. 2. de fide orthodoxa cap. 7.* duas affert rationes: Vna eſt, vt in his locus ſit proſopopeię, hoc eſt perſonarum fictioni; Non enim alienum eſt ſacræ Scripturæ perſonas rebus affingere, ac de inanimis perinde, ac de anima præditis loqui: quo in genere hæc ſunt: Mare vidit, & fugit: Iordanis conuerſus eſt retrorſum. Atque huc pertinet illud, Cęli enarrant gloriam Dei; non quòd emittant vocem, quæ auribus accipiatur, ſed quoniam magnitudine ſua ſingularē vim opificis nobis aperiunt; efficiuntque, vt animaduerſa eorum pulchritudine creatorem, vt præclariſſimum artificem laudibus efferamus. Hanc interpretandi rationem amplexatus eſt D. Hieronymus *in lib. 13. com. in Iſaiam,* qui exponens illud c. 45. Manus meæ retenderunt „ cœlos, & omni militiæ eorum ego prçcepi: His accuſat Origenem: „ Illud, quod ſcriptum eſt: Ego omnibus ſtellis præcepi: occaſionem „ quibuſdā tribuit, q̃ aſtra ſint rationalia, & animā, ſenſumq́. habeant: „ Neque. n. aiunt, prçciperet, niſi intelligentibus, non recordātes, q̃ in „ Iona ſcriptum eſt: Præcepit dominus ſpiritui cōburenti: & rurſum. „

Moyſes Aegyptius

Chalcid.

Origenes.
Caetanus.
Error Hebræorū Origenis, & Caetani.
Damaſc.
Locorū ſacræ Scripturæ, ex quibus Origenes & alij intellexerunt cœlos eſſe animatos varia interpretationes.

D. Hieronymus contra Origenem.

Præce-

Præcepit vermi matutino: & quod in Euangelio Saluator ventos,& mare increpauerit, in quibus ſenſum, atque rationem non eſſe perſpicuum eſt. Altera explicandi ratio eſt, vt in his locis vſurpetur metonymia, qua continentis nomine ſignificatur id, quod continetur; atque in hanc ſententiam accipienda ſunt verba pſalm. 95. quæ ſunt: Lætentur cæli, & exultet terra: ac præterea audiendum eſt illud, in quo montes, & colles rogantur, quid cauſſæ ſit, cur lætitia exultent, nam in hoc collium, & mõtium incolæ interrogantur, & in illis angeli, qui in cælis habitãt, & homines, qui in terris degunt, ad lætitiam inuitantur. His duabus Damaſceni explicationibus aliæ duæ adiunguntur ab alijs; vna, vt per metaphoram verba ſcripturæ accipiantur, veluti cũ Sol diei, & Luna nocti dicitur preæſſe: altera, vt non iuxta veritatem, ſed iuxta hominum opinionem loquatur ſcriptura, vt cum in ea legimus militiam cæli ex ſtellis, & aſtris eſſe. Cum Origenes inquit ſtellas eſſe vitij, virtutiſque participes à Iobo fuiſſe ſignificatum, reſpondemus Iobum ſignificare ſtellas in conſpectu Dei non eſſe ab omni imperfectionis labe vacuas, quando quidem ſolus Deus eſt omni perfectione cumulatus, & ab omni imperfectionis contagione longiſſimè remotus. De priore Caetani loco dicendum eſt cælos eſſe factos in intellectu, nihil aliud ſignificari, quam cælos ſumma arte, & ratione eſſe fabricatos, nam, vt docti viri adnotarunt, mos eſt Hebræis dicere in aliquo pro eo, quod eſt per aliquod, vel cum aliquo. In poſteriore cælorum virtutes ſunt ſidera, in quibus vis cæleſtis maxime viget. Cæterum hoc dogma licèt non cohæreat cum veritate, conſentit tamen cum Ariſtotelica doctrina, putoque Ariſtotelem illud ſignificaſſe *in lib. 2. de anima 29.* cum inquit in alijs ineſſe τὸ διανοητικόν τε καὶ νοῦν hoc eſt cogitatiuum, & mentem, vt in hominibus, & ſi quid ſit aliud huiuſmodi, vel etiã præſtabilius. Hæc verba extrema tametſi à pleriſque tribuantur Dæmonibus; & alicui poſſint videri mentes à materia ſeparatas ſignificare, in cælos tamen multò aptius conueniunt, quod Platonicorum Dæmones apud Ariſtotelem nullius ſunt authoritatis, & διάνοια, hoc eſt cogitatio, ſiue ratiocinatio, ex qua ducitur διανοητικόν, longè ſit poſita à mente ſoluta à materia; quæ cum ſit mens ſimpliciſſima, vtitur ſimplici intelligentia, & non ratiocinatione, quæ hominibus fuit tributa, qui, quod huc & illuc animo rapiantur, conſultant, & ratiocinantur. Cum idem præterea *in lib. 1. de cælo* 100. cælis dederit vitam optimam, quæ eſt functio animæ præſtantiſſimæ: & anima optima, ac præſtantiſſima ſit anima intelligens, atque *in lib. 2. eiuſdem operis* 61. voluerit cæleſtia corpora eſſe viuentia, & πρᾶξιν habere, atque πρᾶξις ſiue actio ijs duntaxat fuerit impertita, quæ in rebus agendis verſantur, rationeque vtuntur; id quod

Cælos eſſe factos in intellectu quid ſignificet.

Cælos mẽte præditos eſſe multis in locis ab Ariſtotele ſignificatum.

διάνοια non eſt in mente ſeparata.

Hominibus cur data ratiocinatio.

πρᾶξις quibus data.

in

in huius loci enarratione à Simplicio fuit obſeruatum, atque in lib. 2.phyſ.58.& in lib.6.Ethic.ad Nicom proditum; profectò de ſententia Ariſtotelis corpora cæleſtia erunt anima prædita, quæ compos eſt rationis,atque vt inquit Euſtratius *in lib. 6. Ethic. ad Nicom. cap.7.* prudentiæ particeps. Et cum idem *in lib. 12. poſt nat. 36.* ſtatuerit ſubſtantiam immobilem mouere cælum veluti id, quòd intelligitur & amatur, hinc non obſcurè poteſt concludi cum Auerroe in huius loci com. cæleſtia corpora eſſe animata anima intelligente & appetente. Et ſanè ſi corporis præſtantiſſimi natura eſt præſtantiſſima; atque natura præſtantiſſima eſt anima rationis particeps,quæ reliquis dignitate anteſtat,non eſt,vt de ſententia Ariſtotelis hæc anima eripiatur cælis,qui ſunt corpora naturalia omnium præſtantiſſima. Philoponus *in comm. lib. 3. de anima 61.* cælum eſſe animatum anima intelligente confirmauit ducto argumento ex illius motu,qui non aliunde videtur proficiſci, quàm à ratione & intelligentia, cuius quædam apparet ſimilitudo, & imitatio. Etenim functio ſubſtantiam,& formam imitatur, & cuiuſmodi eſt ſubſtantia, & forma,illius modi eſt actio fluens à forma,& ſubſtantia;quocirca cum anima intelligens in ſe quendam circulum effingat, vel quatenus ab effectis ad cauſſas progreditur, & ab his ad illa regreditur,contemplando,ac ratiocinando; vel quatenus intelligendo fit id,quod intelligitur,atque idcirco intelligendo ſe ipſam quoque intelligit, & ex ſe ipſa ad ſe ipſam quodam modo mouetur, eius actio,& functio ſic exprimitur in cæleſti corpore,vt ipſum ſimili conuertatur imagine. Id forſitan Auerroes cum intelligeret,ſcripſit in lib.de ſubſtantia orbis circularem motum eſſe animæ proprium,nimirum intelligentis,& ratione vtentis. Idem Platoni fuiſſe probatum intelligitur & ex Timæo,in quo cum multæ ſint motus localis ſpecies, vna conuerſio ad mentem, & intelligentiam pertinet: & ex Epinomide, vbi accuſantur illi, qui hominum genus,quia mouetur, vitam, mentemque habere putant, & diuinum aſtrorum genus,quia in eiſdem lationibus permanet, mente carere, nam maximè decet ſentire huic mentem ineſſe, quia cum ſecundum eadem,& eodem modo ſemper moueatur, & propterea eo motu agatur, qui ad ſtabilitatem quàm proximè accedit, conſentaneum eſt vti mente,quæ ſtabilis eſt,ac immutabilis.Quinetiam Ariſtoteles *in lib. 1. de anima 46.* ſtatuit animam vniuerſi de Platonis ſententia eſſe eam, quæ mens vocatur,& non iraſcibilem, aut concupiſcibilem,quoniam cum omnis anima ſit principium alicuius motus,conuerſio non eſt motus harum animarum, quibus fuit datũ nõ in ſe ipſas conuerti,ſed recta ad ea, quæ habent propoſita ferri. Id forſitan Aegyptij vt ſignificarẽt,nobis animã ante oculos poſuerũt circu-

Euſtrati⁹.

Auerroes.

Argumentum, quod cælum ſit animatũ anima intelligente

Philoponi argum.

Actio illius eſt modi, cuius eſt ſubſtantia.

Anima intelligẽs in ſe effingit circulum.

Auerroes.

Plato.

Ariſtotel.

Anima omnis principium alicuius motus.

Egyptij.

circulo deſcripto litteram græcam χ in ſe complectente, nam vt animæ noſtræ tres ſunt partes Platone authore. rationalis, iraſcibilis, & concupiſcibilis, ita hæc figura ex tribus lineis exiſtit, quarum circularis ſignificat animi partem rationis compotem, cuius eſt in orbem moueri, & mouere; & lineæ rectæ literam græcam χ conſtituentes reliquas animi partes ratione carentes, quæ rectà latione ad ſua obiecta feruntur: & cum latio recta ſit duplex, altera qua itur ſurſum, & altera, qua deorſum, hæc poteſt videri propria concupiſcibilis, quæ quòd propoſita habeat bona pertinentia ad corpus, ea, quæ ſunt infera, petit, & nunquam ad ſupera euadit; & illa iraſcibilis, cuius eſt ſeſe extollere, & ea petere, quæ animi ſunt, atque pro ratione aduerſus cupiditatem pugnare, vt teſtis eſt Plato *in Timæo, & in lib. 4. de Rep.* qui præterea *in lib. 9.* hunc appetitum vocat contentionis, & ambitionis amicum; & in lib. 4. voluit militis, ac vrbis defenſoris partes obire, cum principis partes dederit rationi, & partes eorum, qui vnum quæſtum habent propoſitum; Cupiditati, ſed hæc mittamus, ad penſum noſtrum nos reuocemus. Scribunt Academici neminem fore tam vecordem, qui motuum cæleſtium ordinem, & eorundem perpetuam conſtantiam ſemper ad id, quod melius eſt, ac pulchrius, progredientem contemplans, atque non ignorans ab his non abſque ſingulari ratione regi hanc caducam rerum vniuerſitatem non ſibi perſuadeat hos mente, conſilioque administrari; ſi quidem hæc officia ſunt animæ ſapientiſſimæ, quæ quoniam non errat in conſultando, quod mortalibus ſæpè vſu venit, nunquam in ſuis vagatur motibus & operibus, atque iis, quæ ſibi ſubiecta ſunt ita prouidet, vt hæc, niſi impediantur, nunquam non perueniant ad fines ſuæ naturæ accommodates. Adiungunt, cum cæleſtia corpora ſic ſuis motionibus mundum elementarem agitent, vt animæ rationis, ac intelligentiæ compotes corporibus infundantur, planè quoniam nihil ſupra ſpeciem propriam quicquam agit, vel diſponit, corporea cœli natura niſi anima præſtantiſſima, & intelligente fuerit animata, non erit apta, & idonea ad hoc munus peragendum. Cum igitur cœli de ſententia Ariſtotelis mente, ac appetitu vigeant, quippe qui præſtantiſſimum animantium genus conſtituunt, ſuaſque efficiunt motiones impulſi ab amore mentis à materia ſeparatæ, liquet ab Ariſtoteleis decretis Scaynum aberrare, qui *in lib. 12. poſt nat. cap. 11.* amplectens abſurdam quorundam opinionem ab Alberto Magno *in ſum. de quatuor coæuis quæſt. 4. art. 25.* commemoratam ademit cælo animam cognitionis, & intelligentiæ participem, ſtatuitque ipſum eſſe animal, & in corporibus animatis numerari, qua ex parte præditum eſt virtute ſeſe mouendi ſecundum locum; idque confirmat teſtimonio Ari-

Animæ partes de ſententia Platonis.

Rationalis animæ pars mouetur in orbem.

Concupiſcibilis rectà mouetur deorſum.

Iraſcibilis rectà mouetur ſurſum.

Academicorum rationes, quòd cæli ſint animati animantes, rationiſq; compote.

Scayni error.

Alb. Mag.

Ariſtotelis ſcribentis *in lib. 2. de anima 13.* cum viuere multis modis dicatur, etiamſi vnum tantum horum inſit, viuere illud eſſe exiſtimandum, in quo ineſt, vt intelligentia, ſenſus, motus, & ſtatus in loco, atque inſuper nutritio. Verum qui fieri poteſt, vt cæli reponantur in numero diuinorum, præſtantiſſimorumque corporum, & in orbem moueantur, quia appetunt, & intelligunt ſubſtantiam immobilem à materia ſegregatam, ſi careant anima, quæ ſit compos intelligentiæ? Nec locus Ariſtotelicus huic opinioni ſuffragatur, quoniam motus in loco, qui eſt vita, non conſtat abſque anima, quæ eſt cognoſcendi, & appetendi principium, idque ſatis copioſè explicauit Ariſtoteles *ferè ſub exitum lib. 3. de anima;* qui ibi quoque cum nos docuerit præter vires intelligendi, imaginandi, & appetendi nullam eſſe animæ vim, quæ in animalibus ſit principium motus, atque animalia moueri in eo, quòd vi appetendi prædita ſunt, patet illos non eſſe cum Ariſtotele, qui præter vires intelligendi, & appetendi aliam vim, quæ ſit principium motus, in cælis eſſe ponendam exiſtimant. Magno quin etiam errore obcæcantur recentes nonnulli, qui ſcripſerunt animam cæli intelligentem eſſe corpus ipſum cæleſte ſimplex, per ſe actu conſiſtens ſine materia; quod conſentit cum ijs, quæ Ficino conuertente habentur à Iamblico *in lib. 1. de myſterijs Ægyptiorum.* Enimverò in lib. 1. de anima aduerſus Platonem confectum eſt animam non eſſe magnitudinem: & in libro 2. eiuſdem operis 4. oſtenſum eſt animam non eſſe corpus, quia anima eſt in ſubiecto, & magnitudo ac corpus non ſubit rationem eorum, quæ ſunt in ſubiecto, quod magis ſubiectum eſt, ac materies. Quòd ſi animam cæleſtem induxerint diuerſam ab animis caducorum animantium, & ſua vi abſque materia conſtantem, in ea contemplanda qui poterit philoſophus naturalis verſari, cuius eſt ſolas formas contemplari, quæ ſunt cum materia coniunctæ? Nec vero huius contemplatio adimenda eſt philoſopho naturali, & tribuenda aut diuino, aut mathematico, nam illius eſſe teſtatur Ariſtoteles *lib. 2. poſt natu. 6.* & horum non eſse illud perſuadet, quod omnis eorum opera conſummitur in immobilibus *initio libri 6. eiuſdem operis.* Sed hos mittamus, quos non eſſe audiendos declarat quoque cæli compoſitio ſuprà demonſtrata, & ad alia pergamus, quæ non minorem habent difficultatem.

In cęlo prę ter vires intelligendi & appetendi non eſt alia virtus, qua ſit principiũ motus.

Error quorundã circa animã cęli.

Cęleſtis animæ cõtemplatio eſt philoſophi naturalis.

ſud intereſt, quod illæ ſua eſſentia ſeparatæ, quippe quæ per ſe conſtant, naturamque ſibi aſſerunt ex corpore non pendentem, corporibus coniunguntur ſolum ſecũdum operationem, nam cum propriũ earum opus ſit afferre motum, hunc nequeunt præbere, niſi cælis, qui mouentur ab eis, coniunctæ; at verò animæ noſtræ & ſecundum operationem, & ſecundum eſſentiam ſuis corporibus copulantur, quod nequeant ſine his ſuas muneris functiones exercere; ſintq; formæ, quibus hæc ſunt ea ipſa, quæ ſunt.

Inter cæleſtes animas & noſtras quid interſit.

Eidem opinioni cognatum eſt multorum Peripateticorum placitum, qui cenſent cælum per ſe actu conſtare, atque mentem ei coniũgi, non tanquam veram formã quia cęlum, quod ex ſe eſt actu, nullam formam poſtulat, qua ſit actu, ſed veluti cauſſam motricem, ex qua conſequatur actum ſecundum, perennemque conuerſionem. Porrò hi etſi ſtatuant mentem motricem nec propriè, nec verè formam, & animam eſſe, non penitus tamen huic eripiunt formæ, & animæ appellationem, quippe quam exiſtimant in eo quod mouet cælum, huius formam, & animam aliquo pacto poſſe conſtitui; animam quidem, quia tribuit motum, qui in cælo eſt vitę gradus, cuiuſque habita ratione in viuentibus numeratur; formam verò, quia præſtat, vt cælum ſit, nõ quia informet, quod eſt veræ, propriæq; formæ, ſed quia motum præbet, ſine quo cælũ non conſiſtit: etenim ſi quis motum tollat è cælo, hoc ruat, eſt neceſſe, quod motus ſit propriũ cæli opus, & id, cuius gratia cælum videtur cõparatũ; & opere ſublato nequeat id, cuius eſt opus, quodq; eſt gratia operis, in rerũ natura manere; cum hæc ſit conſtans, & perpetua naturæ lex, vt in eius vniuerſitate quippiã non conſiſtat, quod ſit otioſum, cuiuſque non ſit aliquis vſus, & aliquod opus.

Multorum Peripateticorum opinio.

His Zimara, & alij arbitrantur Auerroem aſſentire, quod diſplicet Achillinó, & alijs nõnullis. Verum Auerroes non ſatis conſtans mihi videtur, & varijs in locis hac de re variè, & ambiguè loquitur, quo factũ eſt, vt ſuis amatoribus occaſio fuerit data de ipſius opinione inter ſe certandi.

Zimara.

Auerroes non ſatis conſtans.

Hæc ſententia tam falſa eſt, quam vulgata, nam quod anima propriè, ac verè ſit forma cęli, hunc in modum Alexandro duce poteſt confirmari. Cum ſupra fuerit à nobis concluſum cælũ eſſe animatum, neceſſe eſt ipſum ex anima & corpore eſſe cõflatum, verum enim verò quoniam id, quod ex multis conſtat, tribus modis ex his conſtare dicitur, aut tanquam ex partibus, quæ integræ ſeruantur, veluti domus ex lateribus; aut tanquam ex quibuſdam inter ſe commixtis, vti mulſum ex aqua & melle; aut denique tanquã ex materia & forma, ſicuti ſtatua ex ære & figura, oportet cælum aliquo ex his modis ex corpore & anima conſtare: At verò fieri non poteſt, vt primo modo ex anima & corpore cælum eſſe aſſeueremus, quia appoſitio erit animæ & corporis, qua e re cælum non

Confutat.

Anima verè ac propriè eſt forma cæli.

Primum argum.

erit prorſus animatum, neque etiam ſecundus modus eſt probandus, quoniam in cælo anima, & corpus non manerent integra, quod ijs accidit, quæ inter ſe commiſcentur; reſtat igitur, vt cælum ex corpore & anima veluti ex materia & forma conſtare dicamus. Ex his intelligitur rationum Academicorum imbecil- [*Academicorum rationũ imbecillitas.*] litas, quæ ſecundum modum duntaxat habent propoſitum, qui omnium eſt maximè improbabilis; & non tertium, qui eſt concedendus, & in quo tantum abeſt, quæ vna iunguntur, vt aliquid damni accipiant, vt contra compleantur, & abſoluantur, ſunt enim naturæ dimidiatæ, ac partes alicuius totius, quæ non antè ſuam adipiſcuntur integritatem, & abſolutionem, quam id, [*Secundũ.*] cuius ſunt partes, conſtituant, & componant. Preterea ſi anima eſſet in cælo veluti gubernator in naui, quoniam hic non eſt natura nauis, nec etiam illa erit natura cæli; atqui cum anima ob id tribuatur cælo, quoniam, vt dicebat Alexander, corporis præſtantiſſimi natura eſt præſtantiſſima, hæc planè non ſic erit in cælo, [*Tertium.*] vt nauta in nauigio: Quin etiam cęlum non eſſet corpus animatum, quoniam mens non rectè poteſt anima vocari, ſi gerat gubernatoris ſimilitudinem: Enim verò anima eſt actus, & forma corporis, eaque abeunte interit corpus animatum, gubernatore autem è naui digrediente hæc integra, incolumiſque perſiſtit. Amplius ex mente & orbe non fieret per ſe vnum, quemadmodum ſcripſit [*Quartum*] Auerroes *in lib. 2. de cælo com. 3.* & confitendum eſt, ſi cælum eſt verè animatum anima intelligente; quoniam cauſſa, cur per ſe vnum [*Vnum per ſe cur fiat ex actu & poteſtate.*] ex duobus exiſtat, ea eſt, quia vnum eſt poteſtas, & alterum actus, & neutrum per ſe ſolitarium eſt aliquod integrum. Quapropter ſi orbis per ſe actu exiſteret, atque huic mens vi ſua conſiſtens adiungeretur non ſecus, ac nauta naui, cælum ex his conſtans non eſſet vnũ per ſe, ſed per accidens, veluti domus, & quæcunq. exiſtunt ex compoſitione multorum per ſe exiſtentiũ. Quod Theophilus Zimara *in* [*Theophili Zimaræ reſponſio.*] *com. lib. 2. de anima*, & alij, vt id tueantur, ſentiant in ijs, quæ natura conſtant, ex inſtrumento & eo, quod vtitur inſtrumento, vnũ per ſe fieri ob naturalem quandam affinitatem, & naturæ cognitionẽ, minimè verò in artificioſis, id non habet momentum, quoniam ratio, cur in ijs, quæ arte fiunt, non exiſtat vnum ex inſtrumẽto & ex eo, quod [*Confutat.*] vtitur inſtrumẽto, ea eſt, quia alterũ ab altero eſt diuiſum, neque vnũ eſt forma, & actus, & alterum poteſtas, ſed ambo ſunt actu, & actus eſt id, quod ſeparat, & diſtinguit *lib. 7. poſt nat.* 49. quocirca & in naturalibus ſi id, quod vtitur inſtrumẽto, per ſe conſiſtens fuerit ab inſtrumento diſiunctum: id quod in cælum, & in animam cæli cadat, oportet, ſi hæc cõiungatur illi, vt nauta nauigio, nulla ratione fieri poterit, vt ex eis vnũ per ſe cõficiatur. [*Quintum*] Rurſus cælũ eſſe corpus viuens, & ani-

Digitized by Google

animatum multis in locis ſignificauit Ariſtoteles à nobis ſupra reci-
tatis; ſed quicquid vitam agit, quod vitam viuat, formæ acceptum
fert *lib. 2. de anima* 24. & quod eſt animatum, id eſt animatum mune
re formæ, cuius partes ſunt præſtare, vt id, cui eſt forma, ſit hoc ali-
quid, & in certa rerum ſpecie contineatur; ergo mens, quæ tanquam
anima tribuitur cęlo, cum ſit id, quo cœlum viuit, & eſt animatum,
erit cœli forma, huiuſque eſſentiam complebit. Demum ſi intelli- *Sextum.*
gentia, & appetentia ſunt cœli functiones, atque harum principium
eſt anima cœleſtis, quis non ſentiat hanc eſſe cœli veram, propriam-
que formam, neque huic ineſſe tanquam nautam in naui? Qui hanc *Reſponſio.*
opinionem tuentur, vt ab his obiectis ſeſe vendicent, in varias abeũt
reſpõſiones. Inquiunt nonnulli cęlum nec intelligere, nec appetere,
tametſi mens intelligat, & appetat, quoniam hæc non eſt anima cœ
li in eo, quod verſatur in his muneribus, & has functiones ex ſe fun-
dit, ſed qua ex parte tribuit motum. Hi valdè errant, nam cum mens *Confutatio.*
ſeparata moueat cęlum, vt id, quod cadit in intelligentiam, & appe-
tentiam, quemadmodum in diſputatione de mentibus à materia ſepa
ratis demonſtrauimus, neceſſe eſt cęlum hanc intelligere, & appete-
re. Alij cęlum duobus modis cõſiderantes vno modo per ſe ſolum; *Alia re-*
altero cum mente eius motrice copulatum ſtatuunt cęlum in priore *ſponſio.*
conſideratione eſſe corpus inanimum; in poſteriore anima vti, & in
animãtibus numerari, verum non propriè, ac verè, ſed ſimilitudine.
Atqui ſi mens à materia ſeparata mouet cęlũ, vt id, quod intelligi- *Confuta-*
tur, & expetitur, quis non exiſtimet mente motrice à cęlo diſiuncta *tio.*
cęlum anima vti, qua mentem intelligentia apprehendit, & huius a- *Calũ à mẽ*
more trahitur? Et ſi poſitionis differentiæ non alia ratione fuerunt *te motrice*
cęlo tributæ ab Ariſtotele *lib. 2. de cælo* 13. niſi quia eſt animatum; at- *ſeparatũ*
que cęlum à mẽte diſiunctũ has perſpicuè, proprieque retineat, quis *eſt anima*
non fateatur Ariſtotelem putaſſe cęlum à mente ſeparatum verè ac *tum vere,*
propriè eſſe animatum, quòd hæ differentiæ, vt idem inquit, illorũ, *ac proprie.*
quæ verè numerantur in animantibus, propriæ ſint, atque horũ na-
turæ accõmodatæ? Adhęc ſi Theophraſtus, Alexander, Euſtratius,
& Auerroes ob id vel maximè ſenſerunt cęlũ eſſe animatũ quia rebus
caducis animatis dignitate anteit, quis non intelligat ab his clariſſi-
mis Peripateticis cęlum fuiſſe inductũ verè ac propriè animatũ? Nõ
.n. quod verè, ac propriè vtitur anima, id dignitate ſuperatur ab eo,
quod ſimilitudine eſt animatũ, quãdoquidẽ in omnibus quod ſimili
tudine, & nõ verè eſt cuiuſdã modi, id nunquã ſit pręſtabilius eo, q
propriè, ac verè eſt illius modi. Inſuper ſi cęlũ à mẽte motrice diuul
ſum in animãtibus nõ eſt poſitũ, ecquid eſt, cur Ariſt. ipſum ſummis
laudibus cumulat aſſeuerãdo in li. 2. phyſ. 45. eſſe diuiniſſimũ; in li.
1. de cęlo eſſe ſubſtãtiã maximè diuinã, eoq; præſtãtiore natura prę-

ditum,

ditũ,quò ab his noſtris eſt magis remotum;& ſub exitũ li. 1.de part.
anim. illius cognitionẽ plurimi faciendã eſſe ob ſingularẽ præſtan-
tiam,qua ijs omnibus anteit,quę generantur & intereunt,cum *initio*
*lib.*1. *de gen. animal.* ſcripſerit animatum inanimo dignitate præſta-
re? Ariſtotelem verò in his locis, in quibus ampliſſimam laudem cœ
lo impertitur cœlum à mente eius motrice diſiunctum intueri id
non leue eſt argumentum, quòd naturalis philoſophi non interſit
contemplari ſubſtantiam immobilem, & à materia ſeparatam. Ad
Reſponſio prima. hoc multæ ſunt reſponſiones: Quidam affirmant Ariſtotelem ſolis
elementis, rebuſque inanimis ex his conſtitutis cælum anteponere.
Confutatio. Hi perſpicuè falluntur, nam cum *in lib.* 1. *de cælo* oſtendatur cœlum
eſſe generationis, & interitus expers; incrementum & decremen-
tum non agnoſcere; alterationem non pati; ad ſenectutem non com
pelli; & ab omni mutatione, vique externa liberum optimam vi-
tam, ac rebus omnibus, quæ quis poſſit optare, affluentem per om-
ne æuum traducere; in lib. 2. eiuſdem operis 51. aſſeueretur abſurdum
eſſe naturam animalibus caducis conſuluiſſe, & ſtellas tam præſtan-
tes naturas neglexiſſe; & ſub calcem lib. 1. de part. animal. corporum
cæleſtium contemplatio ob rei ſubiectæ excellentiam amplius nos
delectet, quam ſtirpium, & animantium caducarum conſideratio;
nemo fuerit, qui ex his non intelligat cœlum, & ſtellas, quæ in cœ-
lo ſunt, anteferri non ſolum caducis corporibus inanimis, ſed etiam
animantibus cunctis gradientibus. Statuunt alij, in quorum numero
2. Reſponſio Piccolominei. eſt Piccolomineus *in lib. de cælo cap.* 23. cœlum ab anima, menteque
motrice ſeiũctum eſſe vno homine excepto cunctis rebus anima-
tis præſtabilius duobus argumentis adducti; Vnum eſt, quia æter-
num naturæ dignitate antegreditur id, quod non eſt æternum *lib.* 9.
poſt nat. 17. & cœlum eſt æternum; atque ob id à veteribus plurimi
ſemper habitum. Alterum, quoniam cœlo mens omnium diuiniſſi-
ma copulatur, & propterea conſentaneum eſt, vt naturam habeat
præſtantiſſimam, neque alicui cedat dignitate, niſi homini, cui da-
ta eſt mens, à qua ſeiungitur cœlum, cum homine eſſe minus nobile
Confutat. aſſeueratur. Hi in errore poſiti ſunt, quoniam cum corporum natu-
ralium ſpecies non ſecus ac numeri in ordinem ſint redactæ, ſequi-
tur, ſi inter hominem & brutas animantes cœlum inanimum inter
ijciatur, vt corporum animatorum ſeries corporis inanimi inter-
ſtitio non ſine crimine naturæ abrumpatur. Inſuper viuentium, &
non viuentium gradus ſic inter ſe ſunt digeſti, vt quę vitam viuunt,
Animatũ eſt præſtabilius inanimo. naturæ dignitate prægrediantur, & quæ ſunt vitæ expertia, ſequan-
tur: ergo quoniam cœlum a mente motrice diſiunctum eſt corpus
inanimum, id planè à corporibus cunctis animatis dignitate ſupera-
bitur. Atque ſanè quod eſt inanimum, id amplioris dignitatis locum
peni-

Digitized by Google

penitus cedere anima prædito probatum fuit non ſolum Platoni, Ariſtoteli, Theophraſto, Alexandro, Euſtratio, & Auerroi, verum etiam omnibus Theologiæ magiſtris admonitis à D. Auguſtino, qui *in lib. de vera religione cap.* 29 quamlibet ſubſtantiam uiuentem anteponit cuilibet ſubſtantiæ non viuenti, quamuis hæc viſibili luce prę fulgeat: & in lib. 11. de Ciuitate Dei cap. 16. ſcribit eorum, quę quoquo modo facta ſunt à Deo, naturæ ordine viuentia non viuentibus anteferri; ſentientia non ſentientibus; intelligentia non intelligentibus; & eorum, quæ intelligunt, immortalia mortalibus. Nec horum argumenta ſunt nimis facienda, nam Ariſtoteles in loco recitato vult æterna non dignitate, ſed natura eſſe anteferenda caducis, quoniam ſine his conſiſtunt, & hæc ſine illis non poſſunt exiſtere. Sanè in ijs, quæ ſub eodem genere proximè continentur, quod eſt ſempiternum, naturæ dignitate prægreditur; at in ijs, quorum diuerſa ſunt genera, id non eſt perpetuò verum, nam materia, quæ eſt æterna, dignitate vincitur à formis, compoſitiſque caducis; neque ſemper, vt inquit Ariſtoteles *in lib. 1. Ethic. ad Nicom.* ob id quippiam eſt præſtabilius, quia eſt diuturnius. Quòd veteres cęlum plurimi fecerint, non eſt, vt alicui videatur mirum, nam ijdem ſenſerunt cœlum eſſe anima præditum, atque id ſic habuerunt perſuaſum, vt aliter ſentire ipſis fuerit religio. Hinc Anaxagoras, quòd dixiſſet Solem eſſe lapidem ignitum, hincque propterea animam eripuiſſet, impietatis à Cleone fuit accuſatus, capiteque fuiſſet mulctatus, niſi Periclem diſcipulum habuiſſet defenſorem. Alterum argumentum eſt leue, quia connexio mentis, & cœli inanimi eſt commentitia, quòd teſte Platone *in Timæo* mens alicui ſine anima non poſſit tribui. Non ſum ignarus à Mercenario, & alijs quibuſdam hoc Platonis placitum ità accipi, vt eadem natura ſit mens, & anima, nam cum huius duæ ſint functiones, quarum altera in ea manet, & eſt intelligentia; altera progreditur extra, quæ eſt motus, ex priore functione inuenit mentis nomen, & ex poſteriore nominatur anima; hanc verò functionem quoniam non exercet, niſi coniuncta cœlo, ob id Plato ſtatuit animam eſſe corpori coniunctam; mentem verò animæ dedit, quoniam hæc non mouet cœlum, niſi intelligat, quod munus dum obit, mens nuncupatur. Verum hi non probè tenent Platonis ſententiam, iuxta quam mens eſt anima ſuperior, ſicque ab hac diſtinguitur, vt in vnam naturam ea & anima nequeant cadere; nam mens eſt penitus ſtabilis, & anima perpetuò mobilis; & fieri non poteſt, vt idem ſimul ſit omnino ſtabile, & nunquam non mobile. Atqui hoc tempore nobis non eſt animus Platonis dogmata perſequi. Sentiunt alij cœlum eſſe quidem vno excepto homine cunctis animantibus caducis anteferendum, verum non eſſe eijciēdum ex numero viuen-

D Aug.

Quippiã non sẽper ob id eſt præſtabilius, quia diuturnius.

Anaxagoras impietatis accuſatus.

Plato.

Mercenarius perperam accepit Platonis ſententiam.

3. reſponſ.

tum,

tium, quippe quod eam vitam viuat, quæ motui in loco accommodatur, cuius quidem vitæ gradus proximè accedit ad ſupremum, qui cernitur in hominibus, fluitque ab anima intelligente. Mala cauſſa

Confutat. quò defenditur pertinacius, eò pluribus exponitur ictibus; qui enim ita reſpondent, hi non intelligunt vitæ gradum ad motum in loco pertinentem nunquam eſſe diſiunctum à cognitione, & appetentia; quod ſatis copioſè declaratum fuit ab Ariſtotele *in lib. 3. de anima* huius vitæ gradum contemplante: Quare cum hi exiſtiment cælum nec intelligere, nec appetere, quoniam hæ functiones ſolius mentis propriæ ſunt, neque cælum ſit harum particeps, non eſt, vt propter motum in loco cælum in viuentibus numeretur. Accedit, quod principium motus, qui eſt vitæ gradus, ſit anima; quocirca quoniam mens, quæ in cælo eſt principium huiuſce motus, non eſt propriè anima cæli, nec hoc quoque erit propriè viuens, & animatum. Demum reſpondent alij, quibus Connimbricenſes *in lib. 2. de*

Quarta reſponſio Connimbricẽſium *calo cap. 1. quæſt. 2. art. 2.* aſſentiuntur, cælum ab anima, menteq; motrice ſegregatum abſolute quidem eſſe ignobilius rebus animatis, verum aliquatenus his dignitate anteire, quando quidem eſt interitus expers: & modus, quo illius forma coniungitur materiæ, eſt præſtantior modo, quo rei caducæ forma init cum materia ſocietatem: etenim cæleſtis corporis forma ſic cum materia copulatur, vt ab hac nunquam diuellatur, & forma corporis caduci eo pacto informat

Confutat. materiam, vt in hac non poſſit perpetuò ineſſe. Hi quoque decipiuntur, quoniam æternitas, & caducitas fluunt ex naturis rerum; quocirca ſi cælum, quia eſt æternum, & caducis præſtabilius, non aliquatenus, ſed ſua natura, & abſolutè erit præſtabilius. Nec præterea corporum compoſitorum nobilitas, & ignobilitas ex eo ſpectanda eſt, quod horum formæ inſeparabiliter, aut ſeparabiliter cũ materia conſtringantur, quoniam quod forma magis, minuſue arctè complectatur materiam, eſt per accidens, & non per ſe; atque ex eo, quod eſt per accidens, rei nobilitas, & ignobilitas non eſt dijudicanda. Quòd ſi aduerſarij contendant id in ijs, quæ ſunt per ſe, ponendum eſſe, neceſſe habebunt fateri id, cuius forma æterno tempore coniungitur materiæ, abſolutè anteferri illi, cuius forma ſempiternis ſeculis non poteſt materiam informare; & quod ſequẽs eſt, cælum non aliquatenus, ſed abſolutè dignitate anteire omnibus caducis corporibus animatis; nam quod per ſe tribuitur alicui, id ex huius natura proximè fluit: & quod ſua natura eſt præſtantius, id abſolutè eſt præſtabilius. Verum Ariſtotelem putaſſe cælum ijs omnibus, quæ infra ipſum poſita ſunt, abſolutè eſſe anteferendum, loci ſupra recitati tam apertè ſignificant, vt qui id non intelligit, is omnino ingenij ſit hebetis. Ex his conſtat animam, quæ

tri-

Digitized by Google

quæ tribuitur cœlo, non eſſe in earum formarum numero, quæ vocantur aſſidentes; ſed verè, ac propriè animare, iungique cęlo tamquam formam, quæ compleat eius naturam, & eſſentiam. Atque id erui ex Ariſtotelis doctrina non obſcurè cenſet D. Thomas *in lib. 2. contra Gent. cap. 70.* quamquam *in p. p. quæſt. 70. art. 3. & in quæſt. de ſpirit. creat. art. 6. quibus in locis quæ ſunt noſtræ fidei, habet propoſita*, ſentiat cœleſtem animam duntaxat tribuere motum, & nullo modo complere eſſentiam, atque verè, ac propriè animare. *Anima cæli non eſt aſſidens.* *D. Thom.*

Anima cœli nunquid animet cœlum, cum ſit ſubſtantia integra per ſe conſtans, & manens immota. Cap. XXXIX.

SCripſerunt alii cœlorum animas verè, ac propriè eſſe formas, & principia, quibus hi ſunt id ipſum, quod ſunt, quibuſque vita fruuntur; verum adiunxerunt duplex formarum genus reperiri, nam alias materiam perficere, ex quâ conſequuntur, quòd in rerum vniuerſitate cohæreant; atque huius generis formas ex materiæ viſceribus erutas ſuam eſſentiam habere ex materia penitus pendentem; alias materiæ quidem largiri perfectionem, eiuſque eſſentiam complere, verum eſſe naturas integras, & per ſe, ſuiſque viribus conſtare à materia, & à corpore ſeparatas; atque ad hoc genus reuocari formas, & animas cœlorum, quæ cœleſtem materiam ſic complent, & perficiunt, vt hac mota ipſæ non moueantur neque per ſe, neque per accidens, ſed immotæ maneant omnino: non mouentur per ſe, quoniam ſunt indiuiduæ; & quod per ſe mouetur, id omne eſt diuiduum *lib. 6. phyſ.* 32. nec prætereà per accidens, quoniam cum id, quod mouetur hoc modo, moueatur aut per partem, aut quia ineſt in eo, quod mouetur per ſe *lib. 8. phyſ.* 27. hæ animæ, quia ſunt impartibiles, non poſſunt moueri per partem: & cum ſint naturæ integræ per ſe ſubſiſtentes ab omni corporis contagione ſegregatæ, nequit fieri, vt moueantur quia ſint in eo, quod per ſe mouetur. Huic poſteriori formarum generi Ariſtotelem ſuam aſſenſionem præbuiſſe inquiunt ſe intellexiſſe ex lib. 2. de anima 11. quo in loco quædam animæ inducuntur, quæ perinde ſunt corporis actus, veluti nauta nauigij, hoc eſt, ſic corporis actus exiſtunt, vt ab hoc ſint ſeparatæ, & in ſe conſiſtentes ſuis viribus cohæreant in naturæ vniuerſitate. Hæc opinio, ſi credendum eſt Plethoni in ſcholiis in oracula magica, ex Pythagoreorum, & Platonicorum doctrina emanauit, in qua formæ vniuerſæ tripartitò diuiduntur, harumque primum genus eſt penitus a materia ſecretum, eoque continentur mentes omnes ſupercœleſtes; poſtremum à materia ne- *Multorum opinio.* *Formarũ duplex genus.* *Pletho.* *Pythagorei.* *Platonici.* *Formæ vniuerſæ tripartitò diuiſæ.*

Digitized by Google

ria nequit abiungi ſubſtantiã; habens non per ſe ſubſiſtentem, ſed è corpore pendentem, cum quo oritur, & perit: & hoc genus vniuerſum eſt rationis expers: inter hæc medium eſt interiectum genus animarum ratione præditarum, quæ à mentibus ſupercæleſtibus eo interſtitio ſunt diuerſæ, quòd materiam habeant adiunctam; & à formis ratione carentibus, quòd materiæ non coniunguntur, quippe quæ non egeant materia, vt ſiant, & ſubſiſtant, cum ſint propriæ ſubſtantiæ, & per ſe ſubſiſtentis participes, itemque impartibiles; ſed vice verſa eis materia coniungitur. Eandem opinionem Achillinus, & alij tribuunt Auerroi, atque eiuſdem Simplicium quoque fuiſſe amatorem quidam coniiciunt, quod hic *in lib. 1. de anima 86.* ſignificet eſſe duplex formarum genus, vnum earum, quæ ſunt corporum, ex quibus & corporibus compoſita animata caduca conficiuntur: & alterum earum, quæ non ſunt corporum, ſed corpora ſunt ipſarum, quippe quæ in ſe manent, nec coniunctione corporis coinquinantur, atque huius generis eſſe animam cœli, quam idem *in lib. 2. eiuſdem operis 4.* ſcribit perpetui illius corporis uim determinandi habere, ſed in ipſum minimè vergere, nullamque ad ipſum habere inſitam propenſionem, ac ſi dicat cæleſtem animam perficere quidem cœlorum materiam, attamen inter hunc, & illam non eſſe mutuam coniunctionem, quia materiæ non ita admiſcetur, vt ex hac pendeat, & ab hac fulciatur, ſed in ſe manens eſt ſui iuris, ac poteſtatis. Quæ hos in hanc opinionem impulerunt tria vel maximè fuerunt: Vnum, quia cœlum eſt verè, ac propriè animatum, id quod ex varijs Ariſtotelis doctrinæ locis intelligitur: Alterum, quoniam mens ponenda eſt anima cœli, nam cum motus ſit vita cæli, atque mens ſit principium huiuſce motus, par eſt hanc eſſe naturam, & animam cœli: Tertium & poſtremum, quia mens non poſſet cęlo motum ſempiternum tribuere, niſi à materia, & à corpore ſeparata conſiſteret, quod nulla virtus, quæ hæreat in materia, & ſit corpori affixa, queat motum infinito tempore conſtantem afferre, vt fuit *ſub exitum lib. 8 phyſ.* demonſtratum. Hi non ſunt audiendi, nam poſterius formarum genus nunquã efflu xit ex decretis Ariſtoteleis, idque poteſt intelligi & ex communi, & ex propria natura formæ. Huic, & materiæ illud commune eſt, vt ſint partes ſubſtantiæ compoſitæ, hancque vna iunctæ conſtituant: at cum omnes partes ſint propter totum comparatæ, huiuſque gratia in rerum natura poſitæ, nequit fieri, vt quod per ſe exiſtit, & eſt integra natura, id ſit actus, & forma alicuius Enim vero cum id, quod per ſe exiſtit, & eſt natura integra, non ſit propter aliud, ſed propter ſe, eam naturam obtinuit, quæ non eſt alius, neque ex alio pendet. Quia in re attendendum eſt, quod cum id, cuius eſt aliquod opus, ſit gratia operis *lib. 2. de*

Achillinus. *Simplicius.* *Opinionis fundamẽta.* *Confutatio.* *Forma, et materia quid commune.* *Natura integra per ſe exiſtens non eſt forma alicuius.* *Obſeruatio.*

de cælo 17. efficitur, vt vnicuique ea vis, & eſſentia fuerit à natura impertita, quam proprium opus, præcipuaque muneris functio poſtulat. Quæcunque igitur habent eſſentiam per ſe exiſtentem, atque ſunt naturæ integræ, quoniam eorum opus non eſt propter aliud, ſed propter ſe, nequeunt eſſe partes, quæ ſunt propter aliud, & gratia totius: Quæ vero ſunt huius modi, vt non ſint naturæ integræ, ſed dimidiatæ, id operis datum eſt eis, quod eſt propter aliud, atque hæc poſſunt eſſe partes: Huius generis ſunt forma, & materia, quæ ſua natura ſunt ſubſtantiæ dimidiatæ, & propterea ſic natura comparatæ, vt ex eis vna iunctis ſubſtantia integra conficiatur. Quod ſi hæc eſt communis natura formæ, ſanè fieri nequit, vt aliqua forma ſic informet, vt ab eo, cuius eſt forma, ſit ſeparata, nam quod per ſe conſtat ab alijs ſeparatum, id eſt ſubſtantia integra, & non dimidiata, & cum ſit propter ſe, & non propter aliud, non eſt conſentaneum, vt ex eo quippiam conſtituatur, ſitque alius, & non ſui ipſius. At vero cum propria formæ natura in hoc poſita ſit, vt ſit illud, quo id, quod eſt hoc aliquid, eſt huius modi, qui fieri poteſt, vt ab eo, cuius eſt forma, quodque eius opera eſt hoc aliquid, ſeparata conſiſtat? Planè quod facit hoc aliquid per modum efficientis, id ſemper eſt diuiſum ab eo, quod ſua efficientia fit, & eſt hoc aliquid; at quod facit hoc aliquid per modum formæ, id cum ſit illud ipſum, quo id, quod eſt hoc aliquid, eſt huiuſmodi, ſic ineſt in eo, vt ſit eius pars, neque ab eo ſit ſeparatum. Quicunque igitur formas introducunt, quæ ſic informant, vt ſint naturæ integræ, & ab eo, quod formant, ſeparatæ, hi prorſus ignorant ſe formis id tribuere, quod eſt harum naturæ aduerſum. Deinde forma, quæ eſt ratio, & quidditas, quo pacto poterit ab eo, cuius eſt forma, ſeparata conſiſtere, nec huius motione cieri? Et ſanè quis non putet omnem prorſus noſtræ mentis captum excedere cœlum in orbem agi, & illius eſſentiam, ac quidditatem manere immotam, & ab omni motione liberam? Quod pertinet ad locum lib. 2. de anima 11. in quo putant aduerſarij Ariſtotelē ſuæ opinionis eſſe fautorem, hic ſi legitimè interpretetur, perſpicuum erit ex eo nullam ad ipſos vtilitatem peruenire. Ego cum lib. de anima interpretarer, hunc locum tribus explicationibus donaui, quarum vnam ſaterit in medium afferre, quæ eſt huiuſmodi: Ex ijs, quæ de natura animæ tradita ſunt, dum eius diffinitio fuit inueſtigata, & poſita, clarum quidem eſt animā, vel quaſdam animæ partes non eſſe a corpore ſeparabiles. hoc eſt, non ſic eſſe in corpore, vt ab eo ſeparatæ conſiſtant, quia ſunt actus corporis, vel corporis partium, veruntamenimuero quoniam anima poteſt videri corporis actus, non ſolum quia eſt huius forma, ſed

Nulla forma ſic informat, ut ab eo, quod format, ſit ſeparata.

Formæ propria natura in quo poſita.

Loci lib. 2. de anima 11. explanatio.

etiam quia eſt principium functionum, nondum liquet, an anima ita ſit corporis actus, vt quoque ſit principium, quo corpus animatum fungitur ſuis muneribus, quo pacto nauta dicitur actus nauis: Enim verò quia adhuc non fuit expoſitum animam eſſe principium functionum, quas corpus anima prædi um ex ſe fundit, nemo ex ijs, quæ tradita ſunt, poteſt explicatè intelligere, ſitne anima actus corporis, quia ſit functionum principium. Hæc igitur cum ſit huius loci ſententia, non eſt, vt ex eo quiſpiam colligat Ariſtoteli probatas fuiſſe illas formas, quæ ſic informant, vt per ſe conſiſtant ab ijs, quæ informant, ſeparatæ. Nòn poſſum ſilentio preterire coniecturam, quæ mihi venit in mentem hunc locum conſideranti, quæque eſt verba huius loci extrema, ex quibus aduerſarij intellexerunt Ariſtoteli probatas fuiſſe animas, quæ ſint actus corporis perinde, ac nauta eſt actus nauis, cum negatione eſſe legenda hoc modo.

Authoris coniectura

„ Amplius non obſcurum eſt, ſi anima ſit corporis actus, vt nauta „ nauis. Vt caperem hanc coniecturam effecit dictio, Amplius, qua tum vti conſueuimus, cum in eadem ſententia perſiſtimus, quippiamque adiungimus non alienum ab antecedente: Quapropter cum proximè dictum fuiſſet ex ijs, quæ in anima definienda tradita ſunt, obſcurum non eſſe animam, vel quaſdam animæ partes non eſſe à corpore ſeparabiles, adiungitur ex eiſdem quoque obſcurum non eſſe, ſi anima ſit actus corporis, vt nauta nauis; nam cum actus in animæ diffinitione aſſumptus ſignificet formam, qua id, cuius eſt forma, eſt illud ipſum, quod eſt, patet animam non eo modo eſſe corporis actum, quo nauta eſt actus nauis, quemadmodum Plato exiſtimauit. Ac ſanè cum græcè legatur ἔτι δὲ ἄδηλον, fieri potuit, vt librariorum incuria aut negatio οὐκ fuerit neglecta, aut in huius locum irrepſerit δὲ. Hæc igitur mea coniectura ſi non improbabilis fuerit viſa, hic locus nullam aduerſarijs poterit vtilitatem afferre; quia immo his erit infeſtus, cum ex eo intelligatur animam non perinde eſſe corporis actum, vt nauta eſt actus nauis. Quæ verò impulerunt hos in hanc opinionem, in his non eſt pondus, nam licet primum ſit Ariſtotelicum, reliqua tamen non carent difficultate, nam mens, quæ eſt principium, & cauſſa cœleſtis motus, non eſt anima, & natura cœli, quòd hæc mens moueat per modum finis, quæ ratio mouendi longè abeſt ab anima, & natura, qua cœlum mouetur in orbem intelligens, & appetens mentem à materia ſeparatam. Quòd ſi mentis nomine obſignetur anima intelligens, hæc ſanè eſt anima, & natura cœli, verum non

In fundamentis nō eſt multū ſtabilitatis.

tribuit

tribuit motum ſempiternum, idque ex ijs, quæ mox dicemus, erit perſpicuum.

Cæleſtis anima ſic cælum informat, vt ab eo non ſit ſeparata, & ut eius motione cieatur. *Cap. XL.*

SI animæ cæleſtes corporibus æthereis non ſunt addictæ veluti id, quod mouet, rei, quæ mouetur; nec præterea ſunt naturæ omnino integræ per ſe, ſuiſque viribus conſtantes à cælis ſeparatæ, & immobiles penitus exiſtentes, ſupereſt, vt ſtatuatur, eas ſic cælos informare, vt ſint ipſorum partes, ipſiſque circunlatis per accidens moueantur, id quod Ariſtoteles videtur ſenſiſſe in lib. 8. phyſ. 52. quo in loco tribuit principijs, quæ ſunt in cęlo, hoc eſt corporum cæleſtium animis moueri per accidens, & quod ſequens eſt, non eſſe ſeparatas ab ijs corporibus, in quibus inſunt, quæque informant, & animant. Non me fugit Simplicium putare principia, quæ ſunt in cælo, ſignificare Ariſtoteli ſphæras ſtellarum errantium, quæ ex accidenti mouentur à ſphæra inerrante verum huic ſi accedamus, non erit locus obiectioni, cui hoc in loco ab Ariſtotele occurritur, quæ quæ eſt: Cum proximè dictum fuiſſet mouens immobile, quod ſic mouet, vt ex accidenti moueatur, non poſſe continuum, perpetuumque motum efficere, quiſpiam poterat obijcere cæleſtia quædã mouentia, à quibus motio continua, & perpetua videtur effluere, moueri ex accidenti: At verò ſi cæleſtia mouentia ſignificent ſphæras erraticas, vana eſſet obiectio, quod hæ ſphæræ non ſint mouentia immobilia, neque in his rebus caducis efficiant motum vnum, continuum, atque perpetuum: inanis autem non erit, ſi mouentium, & principiorum nomine intelligantur animæ cæleſtes, quæ de ſententia Platonis motum tribuunt cæleſtibus corporibus, & cum ſint per ſe immobiles, mouentur ex accidenti globis, in quibus inſunt, circũlatis. Nec præterea Auerroes, & Latini ſunt audiendi ſtatuentes animas, & mentes cælis erraticis præſidentes moueri per accidens, non quia ipſæ verè moueantur, ſed quia ipſarum orbes mouẽtur per accidens à prima, ſupremaque ſphæra; tum quoniam per accidens hoc pacto moueri abhorret à propria huius ſignificatione, quam nos Ariſtoteles docuit *paulo ſupra in text.* 27. inquiens moueri per accidens, quæcunque in ijs ſunt, quæ mouentur per ſe, & quæ per partem: tum etiam quia multò rectius & expeditius hæc obiectio fuiſſet depulſa dicendo has mentes, & animas nec propriè, nec verè moueri per accidens, quippe quæ non hæreant in ſuis ſphæris, & ab his disiunctæ prorſus ſint immobiles ſuis viribus conſtantes. Non eſt igitur, vt diffiteamur Ariſtotelem hoc in loco tribuere cæle-

Ariſtot. in lib. 8. phy. 52.

Simplicij explicatio.

Confutat.

Auerrois & Latinorum explicatio.

Expugnat.

Digitized by Google

Alexand. cæleſtium corporum animis verè moueri per accidens; quod ſenſit Alexander referente Simplicio *in huius loci enarratione;* quodq; conſentit cum ijs, quæ ſcripta ſunt in lib. 1. de anima 50. vbi Ariſtoteles *Locus lib. 1. de anima 50.* accuſans Platonem, quod ſcripſerit cælum circulo ferri, quia anima, quæ ſua vi agitur in orbem, cum eo eſt connexa, inquit id eſſe improbabile, quoniam conuerſio non eſt ſita in animæ ſubſtantia, quæ non per ſe, ſed per accidens hoc motu cietur. Nec verò aliquis exiſtimet hæc eſſe accipienda iuxta Platonis opinionem, quoniam hic ſtatuit conuerſionem eſſe in animę ſubſtantia, & hanc per ſe moueri, ac propterea fieri, vt cælum, cum quo eſt connexa, circunferatur. *Confirm.* Porrò præter hos Ariſtotelis locos illud maximè videtur mihi confirmare hanc ſententiam, quod anima omnis ſit actus, & ἐντελέχεια quod vocabulum Ariſtoteli propriè ſignificat id, quod ſua natura ſic eſt in aliquo, vt non ſit ab eo ſeparatum, neque per ſe cōſtet aliquod integrum exiſtens; nam eſſe actum corporis nihil eſt *Actū corporis eſſe quid ſignificet Ariſtoteli.* aliud Ariſtoteli, quam eſſentiam habere, quę ſit alicuius; & quod eſt alicuius eſſentia, illius eſt modi, vt nequeat eſſe, quin inſit in eo ex ſua ratione, & natura; qua è re concludendum eſt omnem animam ſua ratione, & natura ineſſe in alio, vt partem, atque ſic ineſſe, vt nō per ſe conſtet ab hoc ſeparata, quo pacto nauta ineſt in naui. Hinc *in lib. 2. de anima* 11. perſpicuum eſt vel animam vniuerſam, vel quaſdam animæ partes non eſſe à corpore ſeparabiles, hoc eſt, non ſic eſſe in corpore, vt ab hoc ſeparatæ conſiſtant, quia ſunt actus corporis, aut partium corporis: & poſt paulo *in text.* 26. rectè ſentiunt ij, quibus anima neque eſſe ſine corpore, neque corpus aliquod eſſe videtur; nam ipſa cum ſit actus, non eſt quidem corpus, verum à corpore, cuius eſt actus, eſt inſeparabilis, hoc eſt, ſic ineſt in corpore, cuius eſt actus, vt ab hoc ſeparata non conſtet. Sed & illud quoque hanc ſententiam confirmat, quod cum Ariſtoteles tanti fecerit cælum, vt ei inter corpora dederit primas dignitatis partes, cælum non poterit hanc ſuam tueri dignitatem, niſi animatum fuerit anima ſibi coniuncta, ac verè animante, quæ ſit pars eius eſſentiam complēs *D. Thom.* id quod D. Thomas ſignificauit *in lib. 2. de cælo lect. 3.* Huius opinionis amator fuit Alexander, qui Simplicio teſte *in lib. 8. phyſ. com.* 31. *&* 61. *atque in lib. 2. de cælo com.* 3. animam, & naturam idem eſſe in *Alexand.* cælo putauit, atque idcirco animam eſſe actum perficientem à corpore non ſeparabilem, cuiuſmodi eſt natura; nam præter animam, vt idem inquit, quæ fuerit cęli natura? Eſt enim anima natura præ- *Alex. interpres li. poſt nat.* ſtantiſſima, & decet corporis diuini naturam eſſe præſtantiſſimam. Stat præterea ab hac opinione Alexander ille non contemnendus, qui ſcripſit comm. in lib. poſt natural. nam hic *in l. b. huius operis* 12. *com.* 19. ſtatuit primum mouens eſſe penitus immobile, animas verò

rò

rò cæleſtes moueri ex accidenti: & in com. 34. agnoſcit has animas veluti formas, & naturas in cælis inſitas, per quas hi licet in orbem agantur, ab eis tamẽ non habent, q; ſemper ſecũ dũ eadem eodẽq; modo, & circa eadem, & in eodem moueãtur, ſed à motore immobili; quem vnicè amant, cuiuſque bonorum largitate mirabiliter complentur. Eiuſdem quoque opinionis fuit Algazeles *in lib. 1. phyſ. tract. 4. cap. 2.* nec non etiam, vt opinor, Auennaſar inter Arabes vir non obſcurius; nam cum hic Auerroe *in lib. de animi beatitudine* referente ſex rerum gradus introduxiſſet, in horum altiſſimo poſuit Deũ in proximo mentes cælorum præſides, in tertio mentem effectricẽ, in quarto animam, in quinto formam, & in ſexto materiam; horum que graduum tres ſuperiores voluit eſſe corporis expertes, neque ad corpus vllam habere propenſionem; reliquos non eſſe quidem corpora, cæterum coniunctos corporibus, atque horum corporum ſex genera reperiri, ex quibus tota hæc corporum vniuerſitas exiſtit, quorumque infimo continentur quatuor elementa, proximo mineralia, tertio plantæ, quarto animalia rationis expertia, quinto animantes ratione vtentes, & poſtremo cęleſtia corpora, quæ vi, & anima intelligente prædita omnium corporum ſunt præſtantiſſima. Quin & Auicennas eandem opinionem fuit amplexatus, qui cælo dedit animam, per quam veluti per propriam formam in ſua materia ſitam in orbem conuerteretur. Cæterum inter nos, & Auicennam illud intereſt, quod hic ſentit cæleſtem animam ſentientis animæ genere contineri, & vim imaginatricem vocari, qua in re fuit à nobis ſupra accuſatus, & nos cum Alexandro illam eſſe intelligentem exiſtimamus. Demum in hanc opinionem Auerroes perſpicuè declinauit; quippe qui *in lib. 12. poſt nat. com. 41.* dubitans ecquid ſit, cur cæli motor, qui eſt virtutis infinitæ, non moueat tempo ris momento, ſoluit inquiens cæli motum è duobus motoribus pendere, quorum vnus vim habet finitam, & eſt anima in cælo exiſtẽs; alter eſt præditus vi infinita, qui in nulla materia hæret, atq; cauſsã motus perpetuitatis in motorem poſteriorem eſſe conijciendam, qui eſt forma ſoluta à materia, quique mouet, vt id, quod optabile, & expetendum proponitur, cauſſam verò, cur cæli motus tempore ſtatuto, ac definito agatur, in animam, & in priorem motorem eſſe referendam, qui virtutis finitæ exiſtit, perpetuoque cælo adheret. Atque in his quidem Auerroes perſpicuè ſequutus eſt Alexandrum, à quo alijs in locis diſſentiens ſuis ſectatoribus iniunxit laborem vindicandi eum à repugnantia; ſed fruſtra profectò hi laborant, nam Auerroes hoc in loco eſt apertiſſimus, & violentæ ſunt Gregorij Ariminenſis *in lib. 2. ſent. diſt. 1. quæſt. 1. art. 2.* Zimaræ *in theor. 61.* & aliorum explanationes, idque is facilè intelliget, qui Auerrois verba cũ

Algazeles

Auẽnaſar

Auicẽnas

Auerroes.

his

his voluerit comparare. Sed quicquid ſit de Auerroe, hanc eſſe Ariſtotelis opinionem ex iam dictis poſſumus tenere.

Profligantur ea, quæ ſuperiori dogmati videntur infeſta. *Cap.* XLI.

QVoniam hoc dogma de modo, quo cælum animatur, his temporibus eſt inauditum, idque multi arbitrantur deſtruere Ariſtotelis doctrinam, paucis, quæ contra illum differuntur, ſunt explicanda, & confutanda. Primum arguunt aduerſarij. Si anima cæli cum corpore ita, vt dictum eſt, coniungatur, propter horum alterũ coniungeretur, aut quia animæ, aut quia corpori commodius eſſet, quorum neutrum eſt admittendum, non enim corporea cæli natura, quæ eſt ſubſtantia ſua vi actu conſiſtens, & nullis inſtrumentis diſtincta, vllam animam poſtulat, quæ ipſam compleat, ac perficiat: neque etiam anima, & mens melius intelligit corpori cõiuncta; quin immo deterius, quod corpus ſit impedimento, ne ſua munera probè queat obire. Accedit, quòd quandocunque duo ſic ſunt inter ſe cõparata, vt vnum altero ſit præſtabilius, naturam nunquam diſponere præſtantius in gratiam illius, quod eſt minus nobile, ſed contra: ergo cum animæ, quæ corpori antecellat dignitate, non expediat corpus formare, non eſt aſſeuerandum eam perficere corpus, quod id ſeruiat corporis commoditati. Secundo argumentãtur: Cum peculiares formæ operationes aperiant eius vim, & eſſentiam, nam cuius modi eſt vis, & natura formæ, illius modi eſt functio illius, ſanè ſi cæleſtis anima eſſet corpori, materiæque coniuncta, id ex aliqua eius functione intelligeretur: atqui ſi ſingulas huius animæ functiones voluerimus intueri, nullam reperiemus, quæ faciat huius coniunctionis fidem. Hæ numerantur tres, intelligentia, appetentia, & conuerſio, quarum priores cum abſque inſtrumento corporeo expleantur, relinquitur, ſi anima materiæ eſt coniungenda, id intelligatur ex motu, qui efficitur in orbem; id autem non intelligi conſtat ex eo, quod anima materiæ copulata nequit corpori motum afferre ſine inſtrumentis huic operi ſeruientibus, hoc eſt ſine ſpiritibus ac neruis, & nemo fuerit tam rudis, qui exiſtimet in cælo eſſe huius modi inſtrumenta. Quin immo tantum abeſt, vt hic motus poſſit eſſe argumento animam cæleſtem eſſe corpori, & materiæ affixã, vt ex eo, quia eſt perpetuus atque continuus, neceſſaria argumentatione concludatur cæleſtem animam eſſe à corpore ſolutam, neque vlla ratione per accidens moueri cælo in orbem lato: Dicebat enim Ariſtoteles *in lib. 8. phyſ. 52.* quæcunque ita mouent, vt ſe ipſa moueant per accidens, vt continuo, immortalique mouerẽ motu fieri non

Prima obiectio.

Secunda.

Digitized by Google

non poſse, quoniam per accidens moueri à ſe ipſis congruit ijs ſo-
lis,quæ oriuntur,& intereunt. Tertio argumento conantur perſua- *Tertia.*
dere fieri non poſse, vt cælum moueatur à mente, & ab anima in-
telligente,ſi hæc ſit ſua forma, & ab ipſo non diſiuncta, quoniam
cum in omnibus id,quod mouet,diſiunctum ſit ab eo,quod mouetur
*lib.8.phyſ.3*o. nequit fieri, vt forma,& anima moueat corpus, quod
format,& animat. Quarto argumento perſuadent cæleſtes animas *Quarta.*
non eſse alicuius corporis partes,quia cum pars ſit toto minus perfe-
cta,cæleſtes animæ non haberent integram perfectionem; & pri-
mus motor,qui animat primum orbem,non teneret ſummum digni-
tatis gradum. Quinto loco ita diſputant: Si animæ cæleſtes non eſ-
ſent à cælis ſeparatæ, vel vis infinita conſiſteret in magnitudine fini-
ta,cuius contrarium concluditur ab Ariſtotele *ſub exitum lib.8.phyſ.*
vel cæleſtes animę non haberent vim,qua conſtent,& moueant tē- *Quinta.*
pore infinito. Prior conſequentis pars euidens eſt, quia cælum eſt
finitæ magnitudinis,& huius anima, quia mouet ſempiterno tem-
pore, habet vim infinitam: poſterior declaratur, quoniam virtus fi-
nita vt maneat, & moueat perpetuo, fieri non poteſt; & anima cæ-
li,ſi ſit in corpore,& corpus verè animet, vires habebit finitas, quod
in corpore finito non inſit virtus infinita. Sexto argumento, quod *Sexta.*
hac in re magnum pondus habere creditur, ita nos agitāt: Si cæleſtis
anima corpori,& materiæ eſset coniuncta,& non eſset immortalis,
& vi intelligendi prædita; id autem cum à vero ſit remotum,anima
non ſic ponenda eſt in cælo, vt huius magnitudinem informet, &
ab hoc non ſit ſeparata: Connexum partim ex eo confirmatur,quod
ſub exitum lib.8 phyſ.fuerit oſtenſum nullam vim in materia ſitam
poſse infinito tempore conſtare; & in lib. 12. poſtnat.30. monſtra-
tum ſubſtantias cęlorum motrices eſse à materia ſeparatas,quia ſunt
perpetuæ, partim ex eo intelligitur,quod *in lib.3.de anima* 4. noſtra *Septima.*
mens ponatur immixta,vt poſſit fungi munere intelligendi. Deni-
que aduerſarij Alexandrum,& nos ita oppugnant. Si cælum eſset a-
nimatum anima rationis compote verè informante,hæc cęleſtis ani
ma eſt ne eiuſdem rationis,& ſpeciei cum anima hominum rationa-
li,an diuerſæ? Si eiuſdem,cum Alexandro authore anima humana
ſit mortalis,cælum non erit corpus immortale. Sin diuerſæ,quis nō
reprehendat Ariſtotelem, quod in libris de anima, in quibus ſe de
omni anima diſputaturum eſse pollicitus eſt, hanc animam negle-
xerit? Hæc nobis infeſta creduntur, quibus alia poſsent adiungi, ve-
rum ſi in his quantum roboris,& neruorum ſit,non ignorabitis,de *Reſponſio ad primā obiectionē*
alijs,quæ ex eiſdem fontibus deriuantur,quid ſentiendum ſit, planè
intelligetis. Primum obiectum purgamus, quoniam cæleſtis anima
materiæ coniungitur non propter ſe, aut propter materiam,ſed pro-

Digitized by Google

pter cælum,& vt cælum ex vtriſque vna iunctis conſtituatur, quod eſt corpus præſtantiſſimum;& cum ſit totum quoddam integrũ, eſt multò præſtabilius anima cæleſti,quæ eſt pars ipſius, & propter ipſum tanquam propter finẽ parata. Atq; hinc factũ eſt,vt ea vis,& eſſentia fuerit à natura materiæ,& animæ cæli impertita, quæ eſt dimidiata,& per ſe nõ cõſiſtens: Etenim ſi naturã obtinuiſſent integrã & per ſe conſtantem,neutiquam potuiſſent ſic vna coire,vt ex eis cælum exiſteret,quoniam quorũ natura eſt integra,& per ſe conſtans, et cum ſint propter ſe,& non propter aliud, non poſſunt eſſe partes, ex quibus quippiam per ſe cõſtituatur. Itaque quod anima cæli materiæ prorſus cõiungatur,efficit,& propria animę vis & cæleſtis materiæ natura. Neq. anima requirit materiam,vt obeat munus intelligendi,nam in hoc verſatur ſine alicuius corporis miniſterio,ſed quia id poſtulatur ab eius natura,quæ cum ſit forma,cæleſtiſq. corporis actus,& propterea natura dimidiata, non per ſe conſiſtit ſeparata ab eo,cuius eſt forma,& actus; quemadmodum quoque materia cæli, quæ ſua natura eſt poteſtate,& non actu hoc aliquid,formam deſiderat,cuius copulatione queat certam rerum naturalium ſpeciem tenere,atque in naturæ vniuerſitate conſtare. His ita decurſis ruit, quod adiungitur ab aduerſarijs, nunquam ſcilicet naturam id,quod eſt præſtabilius, in illius gratiam diſponere, quod eſt minus nobile; & idcirco cum non expediat animæ ineſſe in materia, abſonum eſſe illam materię coniungi propter ipſam materiam. Secundam argumentationem diſſoluimus, quoniam omnes hæ functiones intelligentia,appetentia,& conuerſio impellunt nos ad credendum animã rationis compotem cælum prorſus animare,nam cum hæ ſint propriæ functiones cæli, non poteſt intelligi, quo modo huic verè tribuantur,niſi ab eius forma,& anima prodeant: Iam verò ſi anima intelligens,& appetens eſt forma, & anima cæli,patet ex dictis hãc non conſtare à cælo ſecretam. Quærere in cælis neruos,& ſpiritus, quibus hi circunagantur,deſipientis eſt, quoniam in perpetuis animalibus alia ratio videtur,atque ſit in ijs,in quæ cadunt ortus & interitus,vt ait Alexander *in lib. 12. poſt nat. comm. 29.* Nec quempiam velim commoueri, quod cælum vertatur in orbem ſine inſtrumentis,quæ animalium caducorum progreſſioni ſunt conſtituta, quoniam inceſſus in his animalibus efficitur tractu,& pulſu, videturq; quodam modo mixtus ex motibus ſimplicibus; quapropter inſtrumenta requirit,quibus adminiſtretur, id quod Ariſtoteles ſignificauit,cum ſcripſit *in lib. 1. de cælo* motum mixtum eſſe corporũ cõpoſitorum,hoc eſt corporum ex partibus diſſimilibus conſtantium, quæ partes,quoniã ſeruiunt alicuius muneris functioni,inſtrumenta nuncupantur: Cæli autem conuerſio eſt motus ſimplex,qui ſi abſque vl-

Anima cæli cur materiæ cõiungatur

Ad ſecundum.

Alexand.

Inceſſus animalium cur deſiderat inſtrumenta.

Ariſtot.

Digitized by Google

lis inſtrumentis in igne, aere, aqua, & terra cernitur, non eſt, vt in cę lo deſiderentur inſtrumenta, quibus ſimplici motu circunferatur. Cum inquiunt ex motus cæleſtis continuitate, ac perennitate conclu di animam cæleſtē non eſſe materiæ coniunctā, nec per accidens mo ueri, eos monemus cælū nō moueri ab anima, ſed p animā, nec ſecus ac caduca elementa moueantur per grauitatē, & leuitatē; nā vt hæc non mouentur à grauitate, & leuitate veluti à cauſſa effectrice, quæ fuit eis adempta *in lib. 8. phyſ. 32.* ſed mouentur per grauitatem, & le uitatē, tanquam per id, quo propendent ad loca ſupera, & infera, in quibus omne ipſorū bonū eſt ſitum; aut ſanè tāquā per id, quod motus ipſorū comitātur, eodē modo cælū per animā mouetur, veluti per id, quod ei eſt principiū, quo propendet, & adſpirat ad ſuū bonū vel tanquā per id, ꝙ motus in orbē comitatur: anima enim eſt cæli natura, quā vt alias diximus, comitatur motus circularis. Cauſſa verò cæli motrix per modū veri efficientis nulla eſt, nā hæc eorū dūtaxat eſt corporum, quæ oriuntur, & intereunt vt ſuo loco declarauimus; etſi vlla eſſet, ea nequaquā eſſet ipſius anima, quoniā in vnoquoque diuiſū eſt, quod mouet, ab eo, ꝙ mouetur *lib. 8. phyſ. 39.* Quod Alexander Simplicio in huius loci cōmētarijs referēte dixerit animā poſſe ratonē motoris habere, quoniā cū non ſit corpus, nō poteſt dici corpori cōtinua, id non habet momentū, quoniā anima quidē nō eſt corpori cōtinua, verū cū huius ſit forma, arctius illi eſt coniūcta, quā ſi ei cōtinuā fingeretur. Nec quoq. Pendaſij in huius loci explicatione obſeruatio eſt multi faciēda, quę eſt: Anima quę cognoſcit, eſt tale genus formæ, vt non ſolū ſit id, ꝙ ipſa eſt, ſed etiā quodāmodo illa, quæ cadunt in ipſius cognitionē, quippe quæ cognoſcēdo fit id, quod cognoſcitur. Quapropter cū anima moueat in eo, quod cognoſcit aliquod iucūdū, aut moleſtū, ꝙ eſt diuiſū ab animali, ꝙ mouetur, poteſt & ipſa videri ab animali diuiſa. Hęc obſeruatio, non eſt, vt fiat multi, quoniā licet anima cognoſcendo fiat id, ꝙ apprehenditur cognitione, nō tamē ſic fit, vt deſerat corpus, cuius eſt anima, ſed huic coniūcta manet, ſuaq; cognitione cōiūgit ei illud, quod cognoſcitur. Nō igitur anima, aliudue quippiā ponēdū eſt cauſſa, quæ cælū moueat per modum cauſſæ effectricis. Equidem mens ſeparata cælum mouet, verum per modum finis, quippe quæ cæli cognitione apprehenſa ei motum affert, ac conuerſionem. Hæc cum nullam mutationem patiatur, & bonum ſit perpetuum, à cęlo expetitur immortaliter, & perenniter expetita cauſſa eſt, vt cælum perenni, immortalique motu cieatur: Quapropter ab hac mente, quæ primus motor appellatur, penitusque immutabilis exiſtit, fluit, vt Alexander & Auerroes inquiunt, æternitas, & continuitas cæleſtis conuerſionis, quod autē hęc tēpore finito, ſtatutoq; abſoluatur, & ratam

Anima nō eſt cauſſa motus efficiens.

Alexand. reſponſio. Reprehenſio.

Pendaſij obſeruatio

Reprehen.

A motore immobili fluit æternitas cæleſtis conuerſionis.

Alexand. Auerroes.

ac conſtantẽ habeat celeritatem, vel tarditatem, ex anima cæli exiſtit, quæ eſt propria ipſius natura. Atque id Plato *in Timæo* videtur

Plato.

ſignificare, dum ſcribit Deos minores, hoc eſt cælos, ſiue cælorum animas, cùm Dei patris mandata intellexiſſent, quibus præcipiebatur, vt patrem imitantes, quæ ſupereſſent, mortalia efficerent, confeſtim ad hæc caduca efficienda conuerſos fuiſſe, & motum circula-

Hermin?.

rem pro cuiuſque natura proprium quemque molitum eſſe. Neque Herminus eſt ferendus, qui arbitratus eſt cælum, quod moueatur in orbem, naturæ propriæ acceptum ferre, quod autem infinito tempore animæ, enim verò cum hæc, vt dicebat Alexander apud Simplicium *in com.3.lib.2.de cælo*, ſit actus finiti corporis, atque vim

Simplicius

habeat finitam, non poteſt motionem præbere infinitam. Hic præterea non intelligit animam cæleſtem eſſe naturam cæli, atque inter hanc, & illam nihil intereſſe. Animæ igitur cæleſtes quamuis moueantur ex accidenti, attamen quia non à ſeipſis per accidens mouentur, non habent naturam, quæ ad interitum dilabatur. Quod Simplicius *in lib.8.phyſ.com 61.* ſcripſerit, vt anima moueatur à ſe ipſa, oportere corpus, cuius eſt anima, ex toto locum mutare, quippe quæ non eſt alicui certæ parti affixa, ſed toti copulata, & propterea quoniam cælum non ex toto mutat locum, cæleſtem animam non moueri ex accidenti, id non caret difficultate, nam cum ea moueantur per accidens, quæ ſunt in ijs, quæ per ſe mouentur *lib.8.phyſ.27.* atque cælum per ſe moueatur, planè cæleſtis anima per accidens mouebitur, cælum ſiue ex toto mutet locum, ſiue

Ad 3.

in eodem loco maneat perpetuò. Quod tertio loco affertur, id quo

Ad 4.

pacto ſit confutandum, ex proximè diſputatis clarè conſtat: non e-

Primus motor nullius cæleſtis globi anima.

nim cælum ab anima, ſed per animam conuertitur in orbem. Proximum argumentum illud refellit, quod abſurdum non ſit cæleſtes animas vinci perfectione a cælis animatis, nam hi ſunt integræ ſubſtantiæ per ſe cohærentes, propter quas animæ cæleſtes fuerunt paratæ, quæ ſunt partes earum, & naturæ dimidiatæ. Nec verò hinc

Ad 5.

Vis infinita duorum modorum.

ſequitur primum motorem non obtinere ſummam dignitatẽ, quoniam hic ab omni materia ſolutus, & ab omni mutatione liber per ſe, & ex ſe ſubſiſtit nullius globi cæleſtis forma, vel anima exiſtens. Quintum argumentum ſic tollitur. Vis infinita duorum eſt

Vis infinita quæ poſſit eſſe in magnitudine, & quæ non poſſit.

modorum, nam vna in temporis perennitate conſiſtit, quæ per partes actu exiſtit; altera ſimpliciter eſt infinita, quæ tota ſimul conſtat, prior, nihil vetat, quo minus ſit in magnitudine finita, atque hac infinitate præditæ ſunt animæ cæleſtes; poſterior, nequit fieri, vt ſit in magnitudine: & hæc eripitur his animis, quam Ariſtoteles habuit propoſitam, cum monſtrauit vires infinitas non poſſe ineſſe finitæ magnitudini. Vis namque motrix infinita,

quæ

Digitized by Google

quæ tota eſt ſimul, non poteſt eſſe in magnitudine finita, quoniam
hæc eſt quoddam totum pendens ex ſuis partibus, quæ cum finitæ
ſint,& magnitudinem componant,vim infinitam prębere non poſ-
ſunt: At manere ſeculis ſempiternis,& moueri tempore infinito ni-
hil prohibet, quo minus conceſſum ſit corpori finito, quia poteſtas,
quæ capitur in eo,quod manet ſempiterno tempore,& mouetur in
infinitum,ſemper eſt finita: Argumentum,quod ſequitur, non eſſe *Ad 6.*
tanti faciendum, quanti faciendum eſſe autumant illius authores, id
perſuadet,quód conſequens non neceſſario cum antecedente cohę-
reat, neque ad id confirmandum quicquam valeant, quæ fuerunt
allata: Etenim ad calcem lib. 8. phyſ. nequaquam oſtenditur nullam
vim in materia ſitam poſſe æternis ſeculis manere, ſed hoc vnum
concluditur virtutem corpori, & materiæ coniunctam non poſſe
ſempiternis ſeculis mouere, quoniam vis, quæ motum æternum pręー
bet, eſt ſimpliciter infinita, & tota ſimul conſtat; hæc autem nequit
fieri, vt cum corpore,& magnitudine coniungatur: Et in lib. 12. poſt *Locus lib.*
nat. 30. cum ſuadetur ſubſtantias cælorum motrices eſſe à materia *12. poſt nat.*
ſeparatas, quia ſunt perpetuæ, hoc ita eſt accipiendum, quia perpe- *30. expli-*
tuo,infinitoque tempore mouent, non enim ſola perpetuitas poteſt *catus.*
eſſe argumento id, cuius eſt, à materia eſſe diſiunctum, cum materia
ipſa ſit æterna, & cælum, quod eſt perpetuum & immortale, non ſit *Perpetui-*
immateriatum; ſed perpetuitas in motu afferendo, quando quidem *tas ſola nō*
nihil, quod ſit materiæ coniunctum, poteſt eſſe primum principium *eſt argu-*
perpetui, infinitique motus. In lib. autem 3. de anima mens noſtra *mentū ſe-*
ſic ponitur immixta, vt ſit vacua ab ijs omnibus, quæ per ſe cadunt *parationis*
in eius intelligentiam; neque huius loci ſententia eſt mentem, & a- *a materia*
nimam intelligentem non eſſe corpori admixtam, vt queat intelli- *Locus li. 3.*
gendi munus obire. Sed hæc alias fuerunt à nobis copioſè explicata *de anima*
hūc locum interpretantibus. Poſtremum argumentum diſſoluitur, *4. explica-*
quoniam cæleſtis anima non eſt illius rationis, & ſpeciei, cuius eſt *tus.*
anima hominis, ſed alterius, & diuerſæ: De hac autem etſi *in lib. de* *Ad 7.*
anima non fuerit ab Ariſtotele diſputatum, non eſt tamen, vt ipſum *Cur de a-*
reprehendamus, quia, vt alias diximus, ſolas habuit in animo propo- *nima cæli,*
ſitas animalium caducorum animas, de quibus ſic verba fecit, vt qui *in li. de a-*
non fuerit omnino rudis, poſſit ex ijs, quæ tractantur, non exiguam *nima non*
cæleſtis animæ notitiam ſibi comparare. Nunquid verò ex iiſdem *fuerit di-*
poſſit intelligi, quo modo anima cæleſtis fungatur munere intelli- *ſputatum*
gendi, & quæ cadant in illius intelligentiam, non caret dubitatio-
ne. Cæterum cum alia ſit natura cæleſtis animæ, & alia humanæ, e-
xiſtimandum eſt illam vti alia intelligendi ratione, ac ſit ea, quæ da-
ta eſt hominum animis. De hac autem intelligendi ratione ſi quic-
quam dicere aggrediamur, periculum eſt, ne in multas incurramus

diffi-

difficultates, ex quibus euadere ſit valde operoſum, ne dicam impoſſibile. Et ſanè ſi ab hac diſputatione ſibi abſtinendum eſſe putauit Ariſtoteles rei difficultate forſitan deterritus, qui nos ſine reprehenſione in ea poterimus verſari, qui ab Ariſtotelis doctrina, & ingenio longiſſimè abſumus? Valeat igitur hæc conſideratio, & ſi vlla huius vos tenet cupiditas, Cæſar Cremoninus præſtantiſſimus in Gymnaſio Patauino Ariſtotelicæ doctrinæ interpres ſatis vobis faciet in diſputatione de natura cœli, in qua cœleſtis animæ vim & intelligentiam doctè, & ſubtiliter fuit contemplatus. Atque hoc modo purgata ſint obiecta, quæ noſtro dogmati videbantur infeſta, finiſque ſit poſitus priori parti huius contemplationis, in qua nobis fuit propoſitum cœleſtis corporis ſubſtantiam indagare; quæ verò & quanta ſit huius cœleſtis corporis, & ſtellarum efficientia, deinceps conſiderabimus ad poſteriorem huius contemplationis partem aggredientes.

Cæſar Cremoninus.

Finis Primæ Partis.

THO-

Digitized by Google

THOMAE GIANNINII FERRARIENSIS

De Cæli, & Stellarum efficientia

DISPVTATIONES ARISTOTELICÆ,

PARS ALTERA.

Cælum agere in hanc rerum caducarum vniuerſitatem argumentis perſuadetur. Cap. I.

HAnc elementorum vniuerſitatem certis ſtatutiſque cælorum conuerſionibus, ac mirificis horum viribus regi, & adminiſtrari vetuſtiſſima eſt opinio per ſingulas ætates miro *Conſenſus omniū ſapientum.* quodam omnium ſapientum conſenſu firmata, à qua ne ſenſus quidem diſſentit. Nemò eſt enim, qui ſæpè non obſeruauerit Sole abeunte, & redeunte annuas frigoris, & *Experientia.* caloris in aere, qui terram, & aquas ambit, fieri mutationes; quique non intellexerit Lunæ vi maria, ſtirpes, & ani-

animalia miris modis commoueri, & ægros quandoque ſic affici, vt is medicus videatur rudis, qui in morbis ſanandis nullam habuerit Lunæ rationem. Quòd ſi nemo cognitam non habet Solis, & Lunæ efficientiam, non eſt, vt quiſpiam ambigat de reliquorum ſyderum efficientia, nam ſtellarum omnium vna eademque eſt ratio, nec quod fuit aliquibus conceſſum, id alijs eſt adimendum. Sed & Ariſtoteles huius opinionis eſt approbator, qui varijs in locis cælum agnoſcit veluti cauſſam effectricem eorum, quæ naturam generantur; & in lib. 1. meteor. cap. 2. aſſeuerat cœleſtium corporum motionibus totum hunc mundum ſublunarem eſſe quodam modo continuum, vt inde vis eius vniuerſa regatur, hoc vel maximè inductus argumento: Cùm motus veluti vita quædam inſit ijs vniuerſis, quæ natura conſtant *initio lib. 8. Phyſ.* cenſendum eſt, quod mouetur eo motu, qui in reliquis omnibus eſt motionibus origo, atque principium, id eſſe cauſſam principem, à qua regantur reliqua; atqui cæleſtium corporum conuerſio eſt origo, & principium motus omnibus reliquis corporibus, quæ natura conſtant; exiſtimandum eſt igitur cælum eſſe primam cauſſam, à qua elementa, & quæcunque exiſtũt ex his, gubernentur. Cæleſtem motionem eſſe cauſſam, & originem aliarum motionum illud ſuadet, quòd rationi conſonum ſit motum perpetuum, & nullo vnquam tempore ceſſantem eſſe fontem, & principium cuiuslibet motionis finitæ, perpetuoque non manentis; quapropter quoniam cælorum motio eſt perpetua, nullumque habet finem, & reliquorum corporum motus ſunt finiti; quando quidem hæc corpora cum locis finitis inter ſe diſtent, ijſque cieantur motibus, qui vertuntur inter contraria, quorum diſtantia eſt finita, fieri non poteſt, vt in infinitum, atque perpetuo moueantur, ſanè cęli motio fons eſt, atque origo motuum, quibus reliqua omnia corpora aguntur. His poſſumus hæc adiungere, quibus *in lib. 8. phyſ. 53.* conficitur ponendum eſſe aliquod mouens perpetuum, ex quo pendeat perennis, & nunquam ceſſans ortus, & interitus viciſſitudo, quæque ſunt: Cum eorum, quæ complent hanc fragilem vniuerſitatem, alia cernamus oriri, & alia interire, atque id perpetuò fieri, præter vnumquodque iſtorum aliquod mouens ſempiternum oportet eſſe, quod ſit cauſſa, vt eorum alia ſint, ac generentur, & alia nõ ſint, ac intereant, atque mutationis perpetuæ. Id autem non poteſt eſſe mouens omnino immobile, quippe quod cum nulla afficiatur mutatione, ſemper vno, eodemque mouet motu, neque ex eo vlla poteſt exiſtere ortus, & interitus diuerſitas, ſed id ſit, oportet, quod mouetur a motore immobili, atque inter hunc, & corpora caduca eſt medium interiectum; nam illud cum aliter, atque aliter ad res inferiores ſe habeat, non eiuſdem motionis cauſſa eſt, & cum in contra-

Ariſt.

Primũ argumẽtum ex li. 1. meteor. c. 2.

vt.

Motus celi cauſſa, & origo reliquorũ motuum.

Secũdum ex lib. 8. phyſ. 53.

rijs

Digitized by Google

rijs ſic locis, contrario modo quamque cæterarum rerum motu diſponit, atque his cauſſa exiſtit, vt oriantur, ac pereant, & moueantur, ac quieſcant. Hoc autem eſt cælum, quod ratione optima inter mortalia, & motorem immobilem eſt medium interiectum, quippe quod ea natura fuit donatum, qua eſt huic, & illis affine: etenim cum motor immobilis ſit cuiuſque expers mutationis, atque caduca corpora omnes patiantur mutationes, cælum, quod ſolum accipit motum circularem, & nullum alium præter hunc, eoque partim eſt mutabile, & partim immutabile, ſua natura ſic eſt comparatum, vt cum corporibus caducis quaſcunque mutationes patientibus, & cum motore immobili nullius mutationis capace coniungatur, ſitque vinculum aptiſſimum, quo huius vniuerſi extrema inter ſe conciliantur, & inſtrumentum accommodatiſſimum, quo cuncta natiua, & caduca à primo ſupremoque motore immobili gubernantur. Non igitur abſurdè fuit dictum à Pythagoricis cælum eſſe Dei Lyram, hoc eſt inſtrumentum, quo princeps ille Deus Vniuerſi moderator coniungitur cum mortalibus, hæcque temperat variè, & concinnè moderatur. Sed & ex eo, quod bonum, & ſalus Vniuerſi conſiſtat in ordine, vt declaratum eſt ad calcem lib. 12. poſt nat. & ordo ſit forma, & natura ſenſibilium, vt ſcriptum eſt *li. 3. de cælo 24.* poſſumus oſtendere cælum agere in elementa: Niſi corpora cæleſtia agerent in elementa, horum, & illorum vniuerſitates nullo inter ſe ordine coniungerentur; ſed Vniuerſum eſt vnum vnitate ordinis, huicque quod ſit, ac maneat ſeculis immortalibus, fert acceptum: ergo cælum agat in elementa, eſt neceſſe. Connexum illud confirmat, quod in ijs, quæ inter ſe proprijs naturis diſcordant, ordinis ratio in eo poſita eſt, vt vnum agat, & alterum patiatur: quapropter cum ſit diſſentaneum, quod eſt immortale, id pati ab eo, quod eſt caducum, concludendum eſt, niſi cæleſtis vniuerſitas ageret in elementarem vniuerſitatem, hancque haberet ſuæ effectioni ſubiectam, fore, vt hę vniuerſitates nullo inter ſe ordine coniungantur. Adhæc elementa inter ſe perpetuò commiſcentur; ergo in hac vniuerſitate ſit vna cauſſa, oportet, quæ in his perpetuò efficiat commiſtionem: Hæc cauſſa verò niſi cælum ſit, in ea inquirenda labor fruſtra ſuſcipietur, quod cælo excepto omnia corpora ſint caduca, neque in ſe contineant vim, & facultatem efficiendi perpetuam, & nunquam ceſſantem elementorum mixtionem. A cælo igitur, quod eſt æternum, & nullo labore fatigatur, confunduntur, & temperantur elementa. Inſuper cum par ſit, quæcunque corpora motu indefinito, & inæquabiliter cientur, illius corporis virtute regi, quod in æquabili, conſtantique motu verſatur; atque caduca corpora varijs, indefinitiſque motibus agantur, contra cæleſtia corpora ſtatutis, & ex omni

Cælum medium interiectum inter mortalia, & motorem immobilem.

Cælũ Dei lyra.

Tertiũ ex lib. 12. poſt nat. ſub exitum.

Vniuerſũ unum unitate ordinis.

Ordinis ratio in iis, quæ ſpecie differunt, in quo poſita.

Quartũ.

Quintũ.

æternitate conſtantibus, nemo non dabit ab his illa gubernari. D. Thomas *in p.p.quæſt.* 115. *art.* 3. hoc vtitur argumento. Virtute illius corporis, quod eſt reliquis minus mobile, contenta neum eſt regi corpora magis mobilia; nam cum vnitas ſit principium multitudinis; & quod eſt immobile, id vno ſe habeat modo, quod autem mouetur, vario, ac multiplici, planè quod eſt immobile, id erit principium eorum, quæ mouentur, & quod eſt minus mobile, propiuſque accedit ad id, quod eſt immobile, cauſſa, & principium erit eorum, quæ magis ſunt mobilia, longiuſque abſunt ab eo, quod eſt omnino immobile: Verum enim verò cæleſte corpus minus, quam reliqua corpora mouetur, quippe quod ſolius circularis motus eſt particeps; ergo cælorum vi corpora caduca regi eſt exiſtimandum. Idem *in lib.* 3. *contra Gent. cap.* 82. haud diſſimiliter ita argumentatur: Cum à ſubſtantijs ſola mente præditis, & à materia ſegregatis cætera omnia regantur, atque his ſubſtantijs cæleſtia corpora, quæ ſunt incorruptibilia, & ab his proximè mouentur, ſint multo, quam reliqua ſimiliora, ab his profecto cætera regi eſt conſtituendum. Præter hæc ſunt alia argumenta, quibus D. Thomas, & alij perſuadent cælum, & aſtra agere in elementa, & ea omnia, quæ ex elementis ſunt compoſita, ſed hæc ſunt prætereunda, quod non multis ſit opus ad illud perſuadendum, de quo nulla eſt inter Peripateticos controuerſia.

Sextũ D. Thomæ.

Immobile principiũ eorũ, quæ mouentur.

Septimũ einſdem.

Argumenta nonnulla afferuntur, & refelluntur, quæ dubiam, incertamque efficiunt cæleſtis corporis efficientiam.
Cap. II.

QVamuis nemo, cui ſana ſit mens, non ſit daturus cælum agere in hæc caduca corpora, non deſunt tamen argumenta, quæ id videntur in dubium reuocare: Et primum Ariſtoteles *in lib.* 1. *de gen. & int.* 87. ſtatuit, cum cauſſa effetrix, & id, quod patitur, habent materiæ communionem, illam ab hoc patiendo aliquid viciſſim accipere: ſed non aliam eſſe cælorum, & corporum caducorum materiam ſuo loco fuit oſtenſum; ergo cælum ſi in his caducis efficiat quidpiam, non erit vacuum à perpeſſione, cuius contrarium docemur ab Ariſtotele *in lib.* 1. *de cælo* 22. Præterea ſi cælum in res natiuas, & caducas agendi vim exerceret, ijs præditum eſſet conditionibus, quas Ariſtoteles impertijt cauſſæ effetrici, & agenti lib. 1. de gen. & int. quæque ſunt: Efficiens, & patiens ſunt contraria: In efficientis facultate ſitum eſt ei, quod patitur, ſuam tribuere ſimilitudinem: Has verò conditiones in cælum non quadrare liquet tum ex lib. 1. de cælo 20. vbi monſtratur cælo nihil eſſe contrarium; tum

Primũ argumentũ.

Secundum

Cauſſæ efficientis conditiones.

ex eo

ex eo, quod nulla poſſit ratione fieri, vt quæ ſunt genita, rei ſempiternæ induant ſimilitudinem, fiantque immortalia: Hinc Plato, quod *in Timæo* ſcripſerit mundum, quem genitum introduxit, fore ſempiternum, non ſolum fuit ab Ariſtotele caſtigatus *ſub exitum lib. 1. de cælo*, verum etiam ab Epicureis apud Ciceronem *in lib. 1. de natura Deorum* irriſus veluti ignarus philoſophiæ naturalis, quod nulla coagmentatio ſit non diſſolubilis, & nihil habeat principium, cui non ſit aliquod extremum. Amplius ſi cælum ageret in hæc corpora caduca, vel motus, vel lumen, vel alia qualitas nobis occulta eſſet ei actionis principium, & ratio agendi, quorum nullum eſt ponendum eſſe id, quo agat cælum, lum ne quidem cælum non agit, nec alia qualitate, quoniam ſi motus tollatur è cælo, hoc nihilo minus in hæc mortalia ageret, quandoquidem motu ſublato non extinguatur lumen nec alia qualitas deſtruatur in cælo poſita: & verò perſuaſum eſt omnibus, ſi cælum quieſceret, nihil ab eo fieri poſſe in rerum caducarum vniuerſitate. Cælum quoque non agit motu, quoniam hic eatenus ſeruit actioni, quatenus ducit ad formam, quæ eſt principium agendi, & motus cæleſtis ad locum ducit, cui nulla vis agendi fuit conceſſa. Præterea quæcunque in hac mortali rerum vniuerſitate procreantur, ea omnia poſſunt fieri primis elementorum qualitatibus miniſtris; nulla igitur eſt ratio, cur ad hæc gignenda cæli efficientia imploretur. Demum ſi cælum hæc caduca ſuæ actioni haberet ſubiecta, hæc omnia euenirent neceſſario, & nihil temere, fortuitoque contingeret: & vero hæc ſic fieri, vt ſecus quoque poſſint fieri; & in his locum eſſe caſui, & fortunæ nemo non fatetur, cui non ſit mentis infirmitas. Connexi partem poſteriorem illud confirmat, quod cælorum conuerſiones ex omni æternitate ſunt conſtantes, certis, ac ſtatutis fiunt temporibus, nullámque admittunt varietatem; quapropter quiſquis dixerit cælos agere in hæc corpora caduca, is quoque neceſſe habebit dicere nihil temere, fortuitoque fieri. Pars prior ita declaratur: Qui cæli efficientiam amant, hi ſunt rogandi, nunquid hæc poſſit impediri. Si negent, liquido conſtat cæli effectionem eſſe neceſſariam; verum cum omnia pro actione, & efficientia cæleſtis virtutis efficiantur, atque hæc ſit neceſſaria, ita vt non poſſit non efficere illud ipſum, quod efficit, aut alio modo, cuncta ſane ineuitabili neceſſitate euenient, ſic vt non euenire, vel ſecus, quàm eueniant, euenire non poſſint. Sin vero affirment, rurſus rogabuntur, quodnam cæli efficientiam interpellat, num mens beata à materia ſeparata, an quippiam eorum, quæ illius amplexu coercentur: Si mens, hæc, quoniam ſemper eſt vnius modi, nihilque in ſe accipit varietatis, ne cælum agat, ſemper

Plato reprehẽs° ab Epicureis.

Tertium.

Quartum

Quintum.

erit impedimento. Sin aliquod eorum, quæ eius ambitu cohibentur, id firmius, ac valentius eſſe oportebit, quàm cælum, quod nequit fieri, cum omnia agantur, & moueantur à cælo. Hæc, & alia his ſimilia dubiam, & incertam efficiunt cæleſtis corporis efficientiam, quibus quiſpiam fortaſſe poſſet induci, vt crederet cælum ab omni actione vacuum fuiſſe in rerum natura poſitum, vt Vniuerſo eſſet decori, & ornamento, atque ſtellarum lumine tenebras diſpellеret, ſolis conuerſione diem à nocte ſegregaret, & Lunæ nunc creſcentis, nunc ſeneſcentis varietate rerum humanarũ inconſtantiam ſignificaret. Verum hæc ſunt inania, & ad ea facilis eſt reſponſio. Primum argumentum diluitur, quoniam Ariſtoteles cum ſcribit efficiens, quod in materia conuenit cum patiente, ab hoc viciſſim pati, illud efficiens habet propoſitum; cui in agendo ſeruiunt qualitates contrariæ, ac patibiles, cuiuſquam materia reſpectu illius, quod patitur, verè appellatur materia, hoc eſt, huius modi eſt, vt in illud, quod patitur, poſſit tranſmutari, cuius modi efficiens non eſt cælum, à cuius natura longè abſunt qualitates contrariæ, cuiuſque natura ſubiecta, quæ formam perpetuam habet coniunctam, non verè alicuius materiæ poteſt dici, neque rerum caducarum formas excipere. Huius generis efficiens Ariſtoteli fuiſſe propoſitum illud ſuadet, quod eo in loco Ariſtoteles mixtionem contemplatur, quæ fit qualitatibus primis miniſtrantibus; atque *lib. eodem tex.* 54. in eo ſtatuit huius mutuæ perpeſſionis rationem, quoniam materia eſt eadem vtriuſque contrarij, hoc eſt fieri poteſt vtrumque contrarium, atque vtriuſque contrarij formam excipere; quocirca frigidum, quia habet materiam, quæ poteſt indui caliditate, calefaciente propius admoto incaleſcat oportet. Illæ conditiones, quas ſecunda argumentatio tribuit cauſſæ efficienti, non tam latè patent, vt cuicumque datæ ſint efficienti, nam cum cauſſa effectrix non ſit ſimplex, & vnius modi, ſed alia vocetur vniuoca, cui ratio agendi eſt forma ſimilis illi, quam tribuit patienti; & alia æquiuoca, in qua forma, quæ eſt principium agendi, nullam habet illius formæ, quæ tribuitur patienti, ſimilitudinem, explicatæ conditiones ad vnam illam cauſſam accommodantur, quæ prioris eſt generis, in quo cælum non eſſe poſitum nemo non ſentit. Tertiæ argumentationi occurrimus, quod cælum non lumine, nec vlla qualitate arcana vtitur ad hæc caduca regenda, ſed ſolum adhibet motum, qui non eſt illi actionis principium, aut ratio agendi, ſed inſtrumentum, quo ad agendum vtitur, & eſt huius modi, vt eius vis ad omnia ſubiecta corpora pertineat, vt poſt declarabitur. De quarta argumentatione dicendum eſt, quoniam

Refutatio primi argumenti.

Secundi.

Cauſſa efficiens vniuoca.

Cauſſa efficiens æquiuoca.

Tertii.

Quarti.

niam in his caducis, vt quippiam efficiatur, duplex cauſſarum genus poſtulatur, vnum commune, ac remotum; alterum proximum, & præcipuum, generis poſterioris rationem ſuſtinere quęcunque primis agunt qualitatibus, & prioris rationem vni cælo fuiſſe mandatam, atque hinc fieri, niſi & cælum ſuam adhibeat efficientiam, vt nihil penitus poſſit oriri.

Cauſſarũ duplex genus.

Sequitur poſtremum argumentum, cuius connexum cum duabus partibus conſtet, vtriuſque partis confirmatio eſt diſcutienda.

Quinti.

Prioris partis confirmatio ita diſcutitur: Quæcunque generantur, non ſunt neceſſariò genita, nec generationem habent neceſſariam, tametſi efficientia cæleſtis ſit neceſſaria, quoniam cauſſæ ſecundæ, ac propinquæ, ſine quibus cælum nihil confert ad rerum naturalium generationem, ſunt contingentes, ac varijs mutationibus expoſitæ; quapropter cum quæ gignuntur, ſequantur naturam, & conditionem cauſſarum ſecundarum, & proximarum, hæc nequaquam ſunt neceſſaria, neque fiunt neceſſariò.

Quę gignũtur, naturam ſequũtur cauſſarum ſecundarum, & proximarum.

At verò ad partis poſterioris confirmationem dicendum eſt cæleſtes cõuerſiones eſſe quidem ex omni æternitate conſtantes, & harum ordinem eſſe immutabilem, attamen ob indefinitam materiæ naturã, & proximarum cauſſarum efficientium repugnantiam confici, vt quandoque non fiat id, quod cauſſę proximæ effectrici eſt propoſitum: Etenimuero vt idem ſemper, eódemque modo gignatur, non ſatis eſt cauſſam communem, & longinquam non accipere varietatem, ſed præterea oportet cauſſam ſingularem & finitimam, cuius naturam res effecta imitatur, nunquam ſecus ſe habere, nullumque efficiendo accipere impedimentum.

Effecta caſualia reſpectu cæli nunquid hoc nomine poſſint appellari.

At quiſpiam rogabit, nunquid effecta caſualia poſſint hoc nomine reſpectu cæli nuncupari. Multi exiſtimant aliquod fortuitum, & caſuale poſſe contingere, quod habita cæli ratione ſit huius modi, atque id his confirmant: Si in rebus naturalibus nihil accideret, quod reſpectu cæli caſu, fortuitoque conſtaret, reſpectu cæli quicquid euenit in rerum natura, id neceſſariò eueniret; id quod falſum eſt, & pugnat cum omnium rectè ſentientium perſuaſione, à qua non eſt diſcors Ariſtoteles *ſub exitum lib. 2. phyſ.* qui preterea *in lib. de diuinat. per ſomnum* ſcriptum reliquit ea, quorum in cælo ſunt ſigna, cuius modi ſunt pluuiæ, venti, & horum ſimilia, interdum non euenire, quod impedimentum accedat cauſſæ vehementioris, & efficacioris:

Multorũ opinio. Confirmatio. Primum argum.

Deinde cum cauſſa eſt huius modi, vt accedente impedimento propoſitum effectum non ſequatur, quod efficitur, id reſpectu huius cauſſæ per accidens, verũ enim verò quoniam fieri poteſt, vt cælum non conſequatur ſuum effectum, quod materia, quæ ſuſtinet eius effectionem, non eſt apta, & idonea, ex qua oriatur id, quod eſt à cælo efficiendum, profectò in hac rerum vniuerſitate multa poterunt gigni, quæ reſpectu cæli e-

Alterum

runt

Digitized by Google

nus ſuum effectum conſequatur. Atque hunc in modum caduca corpora ſubjici cælorum efficientiæ ſit à nobis definitum, quod priſcæ ætatis ſapientes vt ſignificarent, dixerunt terram eſse quaſi fæminam, & matrem, cælum verò tamquam marem, & genitorem, horumque nuptias vere celebrari: Hinc Poeta præclarè cecinit.

Terra veluti fæmina, & mater.
Cælũ tanquã mas, et geniter

» *Vere tument terræ, & genitalia ſemina poſcunt,*
» *Tum pater omnipotens fœcundis imbribus æther*
» *Coniugis in gremium lætæ deſcendit, et omnes*
» *Magnus alit magno commixtus corpore fœtus.*

Opinio illorum explicatur, qui cæleſtes influxus, arcanaſque ſtellarum virtutes adamarunt. Cap. III.

QVoniam quicquid agit, illud omne in ſe aliquod habet principium, quo agit, quodque illi eſt ratio princeps agendi, planè cælum cuius magna eſt agendi vis, hoc principio minimè carebit: Id autem eſt ipſius forma, & de hoc nulla eſt controuerſia, cum certum ſit, quicquid agit, id agere, qua ex parte eſt actu; & forma omnium conſenſione ſit actus, & id, quo illud, cuius eſt, actu eſse dicitur. Verum cum *in lib. 7. phyſ.* fuerit demonſtratum, quod mouet, id oportere ſimul eſse cum eo, quod mouetur, hocque tangere vel proximè, vel aliqua re media interiecta, atque cælum ab his noſtratibus longiſſimè poſitum ſit, planè ſi cælum eſt hęc moturum, neceſſum eſt præterea illi quippiam ſeruire, quod vocatur eius inſtrumentum. Id quodnam ſit, magna eſt inter doctos concertatio. Simplicius *in lib. 2. de cælo com.* 12. & 29. ac Latini Ariſtotelis explicatores ſentiunt ſingulas ſtellas tam fixas, & ſtabiles, quam non fixas, & erraticas præter omnibus communem luminis proprietatem quaſdam virtutes arcanas habere inſitas, quibus cuncta generant, huicque conſulunt rerum caducarum vniuerſitati. Eiuſdem opinionis ſunt Albumaſar, Albius, & alij in Aſtrologia viri præclari, qui ſtellarum effectiones tradunt occultis proprietatibus eis à natura impertitis expleri. Huius dogmatis Chaldæi, & Aegyptij fuerunt inſertores, qui cælum loco progenitoris habentes in eo rerum omnium ſemina ſingulari quodam modo contineri decreuerunt. Perſuaſum namque habebant cæli munere inanima, viuentiaque corpora non modo gigni, & conſeruari, verum etiam ſuis omnibus virtutibus noſtris ſenſibus tam occultis, quam manifeſtis donari: nam cum has virtutes à corpore omnium præſtantiſſimo tantum poſse deriuari exiſtimarent, ratione concludebant illas à cælo ad nos traduci, cui inter corpora veteres omnes primum dignitatis locum conceſserunt, & pro-

Principiũ quo cælũ agit, eſt forma cæleſtis.
Simplic.
Albumaſar.
Albius.
Chaldæi.
Aegyptij.

pre-

Google

præterea in cælo,& in ſingulis ſtellis inſitas eſſe quaſdam virtutes ſingulares,à quibus quæcunque in aere,aquis,& terra gignuntur,initia cauſſaque accipiunt. Has virtutes ſtellarum arcanas, quas plerique

Influxus propriè qui.

appellant influxus, (quamquam hoc nomine non hæ virtutes, ſed ea,quæ fluunt ex eis, propriè ſignificentur) multis confirmant illi, quibus ipſe fuerunt probatæ, quorum hæc maioris videntur momenti:

Primum argu. quo arcana ſtellarum virtutes confirmantur

Mundum hunc ſublunarem cælorum prouidentia regi teſtis eſt Ariſtoteles *in lib.* 1. *meteor.cap.*2.atqui cum prouidere nihil aliud ſit,quam id,cui prouidetur, in ſuum finem dirigere, profectò hæc omnia ſuos ad fines mouebuntur à cælis. Verum directio fit per inſtrumenta,quæ in cælis ſunt ſtellæ; ergo in his ponendæ ſunt vires,quibus homines omniaque caduca diriguntur. Nec aliquis

Prouidere quid.

perturbetur, quod non omnia ſuos fines aſſequantur, nam cum ſtellarum motiones,& impulſus rectè,& non rectè poſſint ſuſcipi, ijs proſpera eſt fortuna,in quibus rectè ſuſcipiuntur, & ijs aduerſa, in quibus non rectè.

Secundum

Præterea *in lib.* 2. *de gen.& int.* 58. ſæpè euenit, vt res citius corrumpantur,quam fuerit ſecundum naturam conſtitutum ob mutuam principiorum confuſionem, hoc eſt,vt viri præclari interpretantur, quia ſtellarum vires inter ſe confunduntur,& quod ab vna tribuitur, id ab altera eripitur. Non igitur ſtellæ ſine proprijs,arcaniſque virtutibus ſunt inducendæ.

Tertium.

Amplius corpora natiua,& caduca habent vires proprias ſibi à natura datas; ergo & cæleſtia corpora,quæ his plurimum anteſtant dignitate,& ſydera in his infixa virtutes varias, & admirabiles in ſe continebunt.

Quartum

Non enim conſentaneum eſt, vt inquit Ariſtoteles *in lib.* 2. *de cælo* 50.naturam corporibus caducis conſuluiſſe, & corpora tam eximia deſpexiſſe. Et ſanè quorſum in cælo tot ſtellæ eſſent infixæ ijs ſpacijs, & eo ordine inter ſe diſtinctæ, vt noſtris oculis pulcherrimas figuras obijciant, ſi nulla agendi vi præditæ manerent otioſæ, & nihil molirentur? An has caſu infixas, & temere poſitas exiſtimabimus, qui non ignoramus in vilis, & abiecti animalis conſtitutione tantam eſſe operis perfectionem, vt ne minimæ quidem particulæ addi, detrahiue poſſit quippiam,& vnicuique ſint iuxta ſuam naturam vires,& actiones impertitæ? Qui in numero, pondere,ac menſura fecit omnia ſapientiſſimè, cum putabimus fortuitò hunc cæli ornatum condidiſſe, quo nihil eſt formoſius ad animi oblectationem, & nihil ornatius ad Vniuerſi decorem?

Quintum.

Deinde conſtans eſt omnium opinio cælum eſſe cauſſam communẽ eorum,quę natura fiunt, at niſi vires à noſtris ſenſibus remotæ fuerint ſtellis à natura datæ, quo pacto metalla cælorum virtute, in terræ viſceribus, ad quæ nullum lumen,nulluſque cæleſtis motus pertinet, poterunt generari? Inſuper ſi corpora cæleſtia,& aſtra lumine duntaxat

rat vterentur, quo pariunt caliditatem, nec vllas vires arcanas haberent, quibus frigus, cæteraſque qualitates gignãt, conficitur has qualitates non per ſe, ſed per accidens in vniuerſo reperiri; nec omnes corporum caducorum formas, & qualitates in cæleſtium corporum, & ſtellarum virtute contineri. Quinetiam ſequitur nullam poſse rationem afferri, cur cane oriente, & media æſtate ſummum frigus quandoque ſentiatur, media hyeme, & Sole in aquario, & piſcibus exiſtente æſtus interdum accendatur, curque æſtates non ſint æquè calidæ, & hyemes æquè frigidæ. Amplius has ſingulares ſtellarum virtutes non obſcurè declarant mirificæ quorundam mixtorum corporum proprietates, quarum cauſsas nemo non deducit e cælo, qui enim fieri poteſt, vt ex primis elementorum qualitatibus emanet, quod purgantia medicamenta ex noſtro corpore educant humores? quòd magnes ad ſe alliciat ferrum, & ad cynoſuram ſeſe conuertat? & quòd Echeneis piſciculus ingens nauigium remoretur ventis, & vndis repugnantibus? Adhæc ſingulares quidam euentus, & præclara quædam effecta cernuntur, quorum nullæ ſint cauſſæ, oportet, niſi hæc in abditas ſtellarum virtutes conijciantur. Etenim dicant illi, quibus diſplicent arcanæ ſtellarum virtutes, vnde imagines in auro, aliaue materia Aſtrologicè impreſſæ ſint conſequutæ, quod ab morbos curandos plurimum valeant? Equidem niſi ad virtutes antedictas confugiant, idoneam cauſſam neſcient inuenire; ad quas quoque niſi reuocent incantationes, quibus fit, vt ſtellæ vires ſuas amicè, aut inimicè demittant, cauſſæ inopia laborabunt. Poſtremò has præclaras ſtellarum virtutes Luna clarè teſtatur, nam cum ad hanc Galenus dierum criticorum cauſſam retulerit; & in hac ſit poſita cauſſa illius perennis aquæ marinæ commotionis, quam maris æſtum appellamus, atque Luna nec motu, nec lumine poſſit horum eſſe cauſſa, quod eius conuerſio non attingat terram, & aquas, eaque Soli coniuncta, nullumque Lumen ad nos mittente fiant criſes, mareque fluat, & refluat, vi planè abdita eſt donanda, qua miniſtrante horum ſit cauſſa, & principium. Quòd ſi Luna vim arcanam ſibi aſserit, hæc non eſt, vt reliquis ſtellis eripiatur, cum omnium ſtellarum vna, eademque ſit ratio, & natura Ariſtotele authore in lib. 2. de cælo ſtellarum accidentia contemplante.

Sextum. *Septimum* *Octauum.* *Nonum.* *Decimum* *Stellarum omniũ una eademque ratio.*

riam,quam certo odore ſumunt condiendam, ita parant, vt nullum habeat proprium odorem; & qui materijs mollibus, impreſſionique cedentibus figuras imprimunt, nullam omnino priorem in eis figuram apparere patiuntur, quoniam igitur lumen inſitam habet vim calefaciendi, non eſt rerum naturæ contonum illud à diuerſis ſtellis ſuſceptum varias ſibi aſſumere vires, quibus diuerſas qualitates efficiat. Sed & hoc falſum eſſe illud ſuadet, quòd lumen omne videatur calefacere, & nunquam refrigerare; idque intelligi poteſt ex lunari lumine,quod calefacere tradit Ariſtoteles cum in lib.4. de part.animal.cap.5.vbi Echini, & alia id genus viuentia in plenilunijs vberius ſe habent, quod noctes ſint tepidiores propter lucem pleniorem,tum in lib.4 de gen. animal. cap. vltimo vbi Luna propter Solis ſocietatem,lucemque receptam ſit quaſi alter Sol minor, conducitque ad omnes generationes. Et verò ſi Lunæ lumen calefacit,nullum erit cæleſte lumen,quod refrigeret,quoniam ſi vlli ſtellarum lumini hæc vis eſt data,illud eſt lumen lunare. Occurrunt alij ſtatuentes proprietatem,qua ſtellæ refrigerant, non eſſe lumini propriè,intrinſecuſque aduerſam,ſed virtutes,ac extrinſecus, in eo ſcilicet, quod facit frigus contrarium calori à lumine profluenti; quapropter abſurdum non eſſe quibuſdam ſtellis tribuere vim refrigerandi,ſi omnibus ſtellis communiter data eſt facultas calefaciendi. Hi falluntur,quoniam ſi veri eſſent, actiones nullùm haberent momentum ad aperiendas vires,& naturas ſenſum latentes,quando quidem ab ijs naturis,quæ non ſunt contrariæ,actiones contrariæ effundantur. Nec præterea fieri poteſt, vt vires contrariorum cauſſæ effectrices in vna ſtella,vnoque ſubiecto coniungantur, quod nefas ſit in vna,eademque natura illas vires,& cauſſas vna copulatas conſiſtere,quæ ne ſuum effectum conſequantur,ſibi mutuo poſſunt eſſe impedimento: atque huius ea eſt ratio, quia ſi harum cauſſarum alteram altera viribus exceſſerit,quę erit validior,ea ſemper ſuum obibit munus,obſtabitque,ne infirmior fiat actuoſa, ſin autē habuerint vim inter ſe æquam,neutra integrè verſabitur in officio, quod viciſſim ſeſe impediant in ſuo munere obeundo. Sunt denique alij, qui reſpondent calorem à lumine defluentem non eſſe igneum, & frigori aduerſum,ſed cæleſtem,ſalutarem,rebuſque omnibus vitam,& incolumitatem afferentem,itaque veluti omnium opificem, ac moderatorem omnia ambire,per omnia ſe diffundere,ſingulas qualitates ad agendum excitare, hiſque coniunctum ſimiles qualitates gignere:qua de re ſi e natura rerum tollatur,futurum eſſe, vt neque calor caliditatem,neque frigus frigiditatem, neque res vlla rem vllam poſſit generare illa natura extincta, cuius munere omnia conſeruantur,

Lumē omne calefacit.

Secunda reſponſio

Improbat.

Vires contrariorum effectrices non poſſūt in vno,eodemque ſubiecto inesse.

Tertia reſponſio.

Reprobat. Calor cæleſtis nõ eſt ab elementari diuerſus.

uantur, fiuntque actuoſa. Hi pugnant cum ſenſu, qui nobis declarat calorem, qui cælitus ad nos delabitur, illius eſſe naturæ, cuius eſt elementaris, quippe qui non ſecus ac elementaris vrat, (id patet in calore, quem excitat lumen à ſpeculis inflexum) ab igneo calore augetur, & denique frigori eſt aduerſus: quapropter ſi quorum operationes ſunt ſimiles, eorum naturæ non ſunt diſſimiles; & ſi quicquid augetur, rei ſimilis acceſſione augetur, nemo non ſentiet non aliam

Quorũ operationes ſimiles, eorum natura nõ diſſimiles.

eſſe calori cæleſti naturam, & aliam elementali: & ſi præterea vnum vni contrarium eſt *lib. 1. de cælo* 10. & *lib.* 10. *poſt nat.* 14. planè quoniam frigus & à calore cæleſti, & à calore elementari depellitur, his caloribus vna eademque natura erit, ne ſi diuerſa ſit, vni frigori plura ſint aduerſa. Quinetiam ferendum non eſt celeſtem calorem cum frigidis refrigerare, & cum humidis humefacere, nam tantum abeſt, vt Solis calor niui coniunctus refrigeret, & aquæ admixtus humefaciat, vt illam ſoluat calefaciendo, & hanc extenuet exſiccando. Præterea ſi hæc quoque vis admirabilis fuerit conceſſa cæleſti calori, hæc tamen reſponſio non carebit reprehenſione, eoque nomine reprehendetur, quia non eſt conſentaneum illud, cui dignitate anteſtat id, quod præbetur à natura communi, alicuius naturam præcipuè comitari, quod natura, quæ eſt magis communis, ab ea, quæ eſt minus communis præſtantia ſuperetur; quocirca quoniam ea qualitas, quæ omnem continet qualitatem, illi, quæ ſolum frigus, & vnicam qualitatem parit, nobilitate anteit, abſurdum erit, ſi omnibus ſtellis generali quadam conditione is calor eſt tributus, qui in ſe omnes coercet qualitates, alicui ſtellæ ex propria natura adſcribere virtutem, quæ frigus duntaxat, & vnicam qualitatem gignit. Sed de hoc argumento nimis multa fortaſſe, ad alia progrediamur. Influxuum amatores rogandi ſunt, nunquid velint omnes influxus in vnaquaque ſtella reperiri, an ſingulas ſtellas ſingulis, proprijſque influxibus præditas eſſe. Primum ſi aſſeuerent, cauſſa erit afferenda, cum in eo, quod eſt influxuum par, ſimiliſque ſit omnium ſtellarum ratio, nec ab vna fiat quippiam, quod ex alia non exiſtat, cur cælum tot ſtellis innumeris fuerit inſignitum, cum natura in omnibus reſpuat ſuperuacaneam multitudinem, nec multis faciat quidpiam, quod paucis poteſt abſolui? Nec præterea ex ſtellarum influxibus vlla poterit ratio afferri varietatis, quæ in his rebus caducis cernitur, quamquam omnes influxuum amaſij conijciunt in diuerſarum ſtellarum influxuum varietatem. Et cum diuerſorum influxuum diuerſæ, & quandoque contrariæ ſint actiones, planè ſi ſtellis ſingulis omnes influxus fuerint impertiti, à ſingulis ſtel-

Natura magis cõmunis præſtantia ſuperatur à minus cõmuni.

Secũdum argum.

lis

lis diuerſæ, contrariæque effectiones emanabunt, quod ferendum non eſſe illud indicat, quod ſtellæ agant per modum naturæ, & quod ita agit, id vnum ſolum efficere ſit apte natum. Quod non nulli dicant ſtellas eſſe cauſſas rerum communes, & à cauſſa communi varia, & contraria fieri, id non verè dicunt, quoniam poſitis virtutibus arcanis ſtellæ ſunt cauſſæ rerum ſingulares, & non vniuerſales: Etenim cauſſa communis, & vniuerſalis non poteſt quicquam facere, niſi cauſſa propria, & ſingularis accedat, per quam illius vis latè patens ad hoc efficiendum arctetur; & abditæ ſtellarum virtutes in rebus efficiendis ſic verſari ponuntur, vt ſe ipſis contentæ nullam alterius cauſſæ efficientiam deſiderent, per quam ad ea, quæ faciunt, agenda definiantur. At verò ſi alterum ponant, cælum non erit corpus ſimplex, corpuſque ſimilare, cum varia ſit partium ipſius natura; cælum verò eſſe corpus ſimplex, partiumque ſimilium teſtis eſt Ariſtoteles *in lib. 1. de cælo*, qui propterea *in lib. 2. eiuſdem operis* ita argumentatur: Luna non mouetur motu volutationis, quod eius maculę declarant; & figuram habet globoſam, quod monſtrant ea, quæ ſenſui apparent; idem ergo de cæteris eſt iudicandum, quod cæleſtia omnia vnam habeant naturam. Nec Ariſtotelicam argumentandi rationem Aſtrologi calumnientur, quoniam Auenrodan. præclarus in eorum diſciplina author, non diſſimili vſus eſt. Sol, inquit *in com. lib. 1. Ptolomæi de Iudicijs*, & Luna in nos agunt; igitur & reliqua ſydera, cum omnia ſint eiuſdem naturæ. Amplius ſi cælum in ſe contineret influxus, arcanaſque virtutes, fieri poſſet vt cælorum motu ſublato caduca vniuerſitas conſtaret vim ab his virtutibus occultis accipiens, qua incolumis, integraque conſeruetur; id quod fieri non poſſe illud perſuadet, quoniam cæli motus eſt reliquorum omnium fons & origo; ex quo fit, vt eo ſublato nullus locus ſit futurus reliquis motibus, ac mutationibus, cum principio auulſo ruant omnia, quæ pendent ex principio. Rurſus ſi in cælis & ſtellis inſitæ ſint hæ virtutes ſingulares, hæ eorum, quæ fiunt cauſſæ eſſent aut integræ, aut dimidiatæ, & hoc & illud non eſt ſine accuſatione. Influxus non ſunt cauſſæ integræ, ac ſe ipſis abſque altera cauſſa aptè nati in rebus efficiendis verſari, quia hi ſine cauſſis ſecundis ſua munia obirent, quod abeſt à vero, nam Solis influxus nunquam ſine homine generat hominem, & nunquam ſine equo equum: Nec etiam ſunt cauſſæ dimidiatæ, quoniam cauſſa dimidiata eſt illius naturæ, vt abſque alterius cauſſæ acceſſione nequeat quidquam efficere; iſtud vero pugnat cum natura influxuum, quos ſui amatores tanti faciunt, vt velint omnia, quæcumque fiunt ab eis, abſque alterius cauſſæ adminiculo fieri. Et ſi aqua & ignis aliæque cauſſæ naturales caducæ per ſe ſolæ abſque alterius cauſſæ particularis auxilio

ſua

Quod agit per mod. naturæ, id vnũ ſolum efficere eſt apte natũ.

Reſponſio quorundã. Reiectio.

Poſitis influxib. ſtellæ ſũt cauſſæ rerũ ſingulares.

Cælum eſt corpus ſimplex, partiumque ſimilium.

Auenrodã.

Tertiũ argumẽtum.

Principio auulſo ruunt omnia, quæ pẽdẽt ex principio.

Quartum argumentum.

Influxus non ſunt cauſſæ rerũ integræ.

Influxus nõ ſũt cauſſæ rerũ dimidiatæ.

Digitized by Google

ſua obeunt munia, cur id ſtellis, quæ ſi fuerint cauſſæ, his longè anteeũt nobilitate, ac efficientia, non erit impertitum? Sed & præter hoc alia demonſtrant ſtellis tributas virtutes arcanas non eſſe cauſſas eorum, quæ fiunt, proprias, & ſingulares: Ac primum cum

Quintũ argumẽtum.

Influxus nõ ſũt cauſſa rerum propria.

Vnius rei una eſt cauſſa propria.

cauſſæ rerum propriæ cernantur quoque in rerum caducarum vniuerſitate, ſequitur, vt cauſſa rei propria, ac ſingularis non ſit vna, & ſimplex, ſed varia, in multaſque cauſſas ſpecie, ac natura differentes diducta; id autem abſurdum eſſe cum illud ſuadet, quoniam quod fit, id cauſsæ propriæ gerit ſimilitudinem, & nequit fieri, vt vnum, & idem in ſe exprimat duarum cauſsarum ſpecie, & natura diſſidentium ſimilitudinem: tum etiam illud teſtatur, quoniam periret demonſtratio, in qua ex re effecta ducimur in cauſsæ propriæ cognitionem: Enimuerò ſi vnius rei duæ eſſent cauſsæ propriæ, neutra ex re effecta neceſſariò colligeretur, quod hęc ex ambabus ęquè pendeat, nec ex ea ſola, quæ ſit in demonſtratione incluſa. Deinde ſi

Cælum nõ eſt cauſſa rerum ſingularis.

Idem vt ſimul ſit cauſa communis, & ſingularis nequit fieri.

influxus eſſent cauſsæ rerum proximæ, ac ſingulares, cælum erit cauſsa rerum omnium non ſolum communis, ſed & proxima, ac ſingularis, id quod non eſt ſine flagitio; nam cum cauſsa communis, & cauſsa ſingularis ſint ordine diuerſi, illaque ſit prior, & procul abiuncta ab eo, quod fit, atque aptè nata efficere multa & diuerſa; & hæc poſterior, ac tangens id, quod fit, atque ad vnum ſolum efficiendum comparata, nequit fieri, vt idem ſit eiuſdem ſimul cauſsa communis, & cauſsa ſingularis. Amplius ſi influxus eſſent cauſsæ rerum proximæ, nihil à cauſſis caducis proximis poterit fieri, quod non fiat commodius ab influxibus, & ab arcanis ſtellarum virtutibus; qua de re illæ tamquam redundantes ex rerum vniuerſitate erunt eijciendæ. Et mehercule cum quicquid fit in hac mortali vniuerſitate, id oriatur primis qualitatibus viciſſim inter ſe agentibus, ac patientibus, ſuaque effectione, ac perpeſſione materiam ſic afficientibus, vt formas veteres exuat, & nouas induat, quis non ſentiat, ſi ſtellæ ſuis influxibus harum qualitatum opera, & effectiones ex ſe fundant, fore, vt primæ qualitates ſint elementis, corporibuſque caducis impertitæ? At præter hæc redarguunt alia has virtutes arcanas. Vnum eſt huius modi: Cum ſtellæ tam procul ſint à terræ finibus,

Sextum argumẽtum.

Quod procul abeſt, non agit ſine medio.

Obiectioni occurritur.

earum effectiones ſine vllo medio hæc noſtratia attingunt ne, an per medium ad hæc perferuntur? Si primum aduerſarij ſumant, Ariſtotelem audiant *in lib. 7. phyſ.* 10. monſtrantem, quod mouet per modum cauſsæ effectricis, quocunque moueat motu, id ſimul eſſe cum eo, quod primum mouetur. Nec verò reſpondeant decretum Ariſtotelicum ad illas cauſsas effectrices ſolum dilatari, quibus miniſtrant primæ qualitates, nam cum Ariſtoteles initio huius conſiderationis vnum illud mouens excludat, quod mouet, vt id, cuius gratia,

tia,& per modum finis,patet ipſum in hac oſtenſione quamcunque cauſam effectricem habuiſſe propoſitam. Et cum in lib 2.de anima 74. Democritum reprehendat opinantem, ſi id, quod inter nos, & cælum eſt medium interiectum,fieret vacuum, viſionem fore exquiſitiorem, ita vt formica in cælo exiſtens clarè conſpiceretur, quod nequeat fieri,vt quippiam moueat id,quod eſt procul poſitum, niſi ante moueat id, quod medium interijcitur, non obſcure ſignificat hanc explicationem ſibi diſplicere, & ſuum dogma ad ea quoque mouentia pertinere,quæ mouent abſque vllo primarum qualitatum miniſterio Sin verò alterum dent,hæ ſtellarum effectiones deferunturne cum corpore, an ſine corpore? Si cum corpore reſpondeant, ſua intereſt explicare,quodnam ſit hoc corpus; & qui fieri poſſit, vt ex ſtellis abſque detrimento effluant vlla corpora,quæ vſque ad nos earum effectiones deferant? At ſi abſque corpore dicant,quo iure hæ effectiones, quæ in accidentibus numerantur, per ſe ſolæ ab omni corpore disiunctæ cælitus ad nos poterunt delabi? Et ſi velint has virtutes non delabi, ſed educi, quoniam ſtellæ ſunt remotæ ab ijs, e quibus educuntur, aliæ virtutes occultæ erunt ponendæ, quæ ſtellis ſeruiant ad illas educendas,quarum cum eadem ſit ratio,cæleſtium virtutum numerus erit infinitus,à quo natura nunquam non abhorret. Nec in illorum opinionem eſt deſcendendum,qui ſyderum effectiones ad terram permanare à lumine inuectas ſcripſerūt, nam cum lumen ſit accidens adeo tenue,& parum conſtans, vt egeat effectore,à quo continenter efficiatur; atque quod eſt alicuius virtutis vehiculum, & accidentis ſubiectum, id habeat naturam conſtantem, ac permanentem, eſt cognitu difficile,quo modo cæleſtium corporum effectiones vehi poſſint à lumine, & ad nos perferri. Adhæc multa inferæ vniuerſitatis loca in terræ viſceribus concluſa, ad quæ nihil pertingit luminis,nullam omnino exciperent virtutem influxuum.

Stellarum effectiones non cū corpore deferuntur.

Nec etiam ſine corpore.

Stellarum virtutes non educūtur.

Stellarum virtutes à lumine nō deferūtur.

Reſponſio quorūdam repellitur.

Neque illi rectè ſeſe expediunt, qui reſpondent luminis vim ad hæc addita terræ loca pertinere, quoniam ſi rogentur, quæ, & qualis ſit hæc luminis virtus; & nunquid corpus habeat,an ſine corpore cohæreat; & qua ratione à lumine demittatur,intelligent,in quas inextricabiles incidant difficultates. Et ſi lumen, quæ ipſius eſt natura, de ſententia aduerſariorum parit calorem,qua ratione poterit deducere effectionem, quæ refrigerando propriam ſuam vim oppugnat, & labefactat? Neque reſpondent lumen eſſe ſtellarum effectionum delatorem, quoniam in ſtellis magna varietate diſtinctis receptum multis, varijſque modis temperatur, & ita commutatur, vt natura propria depoſita aliam aſſumat,& in cauſſa ſit, vt variæ ſint,ac multiplices ſtellarum effectiones; nam ſi ita reſpondeant, grauiter peccabunt,pugnabuntque cum rei euidentia, & cum ſenſu quo eſt com-

Reſponſio quorundā.

Expugnatio.

per-

Digitized by Google

pertum ſemper lumen calefacere, & nunquam ſic variare, vt pariat frigiditatem. Et cum in naturis ſtellarum nulla ſit repugnantia, nullaque naturæ diſſimilitudo, qua ratione lumen in his receptum induet varias contrariaſque naturas? Equidem in ſtellis aliqua eſt varietas, verum ob hanc, quæ in ratione maioris, & minoris raritatis, ac denſitatis conſiſtit, nequeunt effecta contraria, formiſque diuerſa ab aſtris emanare. Et ſi ſtellarum fixarum lumina non attingunt hæc infera mundi loca, id quod nocturnæ tenebræ declarant, quo

Opinio quorundã quod ſtellarum influxus ſint ipſarum lumina.

pacto earum influxus à luminibus delati ad nos perferrentur? Quod nonnulli exiſtiment ſtellarum lumina influxus non deferre, ſed eſſe ipſos influxus, putentque hæc non ex Sole pendere, ſed eſſe ſtellarum propria, atque vires diuerſas habere, quod variæ ſint ſtellarum naturæ, à quibus fluunt, non rectè exiſtimant, nam ſi ſtellarum varia eſſet natura, hæ non eſſent vnius corporis ſimplicis, ac ſimilaris

Confutat.

partes, quibus eſt data ſimilis natura. Quod ſi inter ſtellas nulla eſt naturæ diſcordia, nec etiam inter earum lumina erit vlla virtutis diuerſitas. Et cum intima rei vis, ac natura ex accidentibus cognoſcatur, atque ſtellarum lumina nullis diſtinguantur accidentibus, ex quibus eorum diuerſitas intelligatur, non eſt temere aſſeuerandum

Septimum argumẽtũ

variam eſſe vim, variamque naturam luminum. Alterum, quod expugnat influxus ita ſe habet: Si ſtellæ has virtutes arcanas haberent, propter duorum alterum habere viderentur, aut quia id eſſet neceſ-

Influxus non ſunt ſtellis neceſſarij, vt ſint.

ſarium, aut quia melius eſſet; neutrum verò poteſt defendi. Non eſt neceſſarium ſtellis inſitas eſſe has virtutes, quoniam his amotis ſtellæ, quæ ſua natura ſunt immortales, optimè conſeruantur: Et ſi reliquæ cæli partes, quæ minorem habent denſitatem, vt ſeſe cuſtodiãt, incolumeſque ſeruentur, virtutes nullas ſingulares habent ingeneratas, cur ſtellæ, quæ & magis denſæ ſunt, & magis præſtabiles exiſtimantur, non poterunt ſine his virtutibus tueri ſuam incolumita-

Influxus non melioris cuiuſdã notæ gratia inditi ſũt ſtellis.

tem, atque ab omnibus iniurijs ſeſe vindicare? Nec præterea melioris cuiuſdam notæ gratia inditæ ſunt ſtellis, quod hæ virtutes nullam ſyderibus afferant perfectionem; abſurdumque ſit ſtellarum æternarum bonum in ijs eſſe poſitum, quæ propter caduca fuerunt comparata. Aſſeuerare vires haſce ſingulares in ſtellis ponendas eſ-

Occurritur cuidã reſpõſioni.

ſe, vt res caducæ gubernentur, id prorſus eſt inane, nam in Ariſtotelis ſchola non deſunt viri grauiſſimi, qui ſentiunt ſtellas ſuis curſibus hæc noſtratia ita regere, ac moderari, vt nihil ſupra deſideretur: quapropter quoniam ſuperuacaneum eſt multis quippiam conficere, quod paucis poteſt expleri; & natura id non amat, quod eſt ſuperuacaneum, vanum penitus eſt propter caducarum rerum admi-

Octauum argumẽtũ

niſtrationem in ſtellis ingenerare has ſingulares, occultaſque virtutes. Demum, vt hæc diſputatio concludatur, illud reuincit Ariſote-

licos

licos influxuum defenſores, quod *in lib. 8. phyſ. 15.* admonemur illud dogma eſſe commentum quoddam, quod nec ſenſu, nec vlla ratione confirmatur; & influxuum nec ſenſus, nec vlla ratio fidem exhibeat. (ea, quæ creduntur influxus ſtabilire, nihil roboris, nihilque neceſſitatis habere mox planè, niſi animus nos fallit, declarabimus) & quod influxus habiti ſunt ab Ariſtotele indigni, de quibus aliquando verba fierent; nam ſi omnes huius libri diligenter euoluantur, planum erit eum, dum cæli, ſyderumque naturas, accidentia, motuſque multiplices contemplatur; imbrium, cometarum, ventorumque cauſſas ſcrutatur; & occulta animantium inanimarumque rerum principia inquirit, harumque ortus, interitus, vires, & progreſſus aperit, influxuum nullam prorſus rationem habere, nec quicquam ad hos referre, aut poſſe referri ſignificare, quin immo *in ſect. 21. probl. 2.* quærens cur aer nubilus ſit tepidior, quàm apertus, & placidus, abſurdam eſſe iudicauit antiquorum opinionem, qui ſtellas vim frigoris continere arbitrabantur: & in ſect. quæ ſequitur, plurima tractans, quæ ad ventos pertinent, nihil vnquam retulit ad arcanas ſtellarum virtutes. Sed & Theophraſtum Ariſtotelis auditorem influxus poſthabuiſſe ex eo intelligitur, quod *in lib. 6. de cauſſis plantarum cap. 11.* exquirens ecquid ſit, cur oleæ nihil olei poſt arcturum profundant, quam quantum æſtate acceperunt, qualitati aeris ambientis cauſſam imputauit, & occaſum ſyderis pro caſu habendum eſſe putauit.

Ariſtoteles de influxibus nunquã eſt loquutus.

Theophraſtus neglexit influxus.

Refelluntur argumenta, quibus arcana ſtellarum virtutes fuerunt inductæ. Cap. V.

NVnc argumenta, quæ influxus, arcanaſque ſtellarum virtutes in aduerſariorum animis excitarunt, ſunt confutanda. Ad primum argumentum dicendum eſt à cælis regi quidem vniuerſam elementorum regionem, verùm ſic regi, vt minimè ſit opus influxibus, nam vno ipſorum motu gubernatur, quod intelligitur ex argumentatione, qua ad hoc perſuadendum vtitur Ariſtoteles, ſuperius explicata; id autem quo modo ſit, loco idoneo explicabitur. Locus Ariſtotelicus in ſecundo argumento aſſumptus quo pacto ſit explicandus, declarant ea, quæ habentur ſub exitum lib. 4. de gen. animal. quæque ſunt naturam ſibi velle, vt certis numeris, & ſtellarum circuitibus rerum omnium ortus, & interitus numeret, ſed id non poſſe facere exquiſitè propter materiæ indefinitionem, & quod multa principia incidant, quæ generationes deſtinatas ſecundum naturam, & corruptiones ſæpè impediunt, atque in cauſſa ſunt earum, quæ veniunt præter naturam. Ad tertium argumentum re-

Ad primũ.

Ad ſecundum, & explicatio loci in lib. 2. de gen. & int. 58.

Ad tertiũ.

ſpondetur de ſtellis non ita eſſe ſentiendum, perinde ac ſint naturæ quædam ſingulares per ſe conſtantes in rerum vniuerſitate, ſed cum ſint partes cælorum, in quibus ſunt infixæ, maiori affectæ denſitate,

De ſtellis non ſecus, ac de cælis cogitādū.

non ſecus de eis, quam de cælis, quorum ſunt partes, oportet cogitare: at verò cum nemo non cognitum habeat cæleſtia corpora, quæ ſunt animata anima præſtantiſſima, primum locum tenere in hoc viuentium theatro, liquet his nullos influxus, nullaſque vires abditas eſſe neceſſarias, quibus dignitate corporibus caducis antecellant: prædita enim ſunt natura adeo ſingulari, & optima, vt ſine tot virtutibus præclaram habeant dignitatem.

Ad quartū

Nec periculum eſt cælos, & ſtellas, ſi nullas ſibi inſitas obtineant occultas proprietates, ætatem otioſam, & quietam traducere, nam verſantur in perenni motu, eaque funguntur intelligendi ratione, qua vitam viuunt ſuauiſſimam, magniſque bonis affluentiſſimam; vt interim mittam efficientiam, quæ cum ſit cauſſæ communis, huiuſmodi eſt, vt ſine ipſa cauſſæ agentes particulares nequeant quicquam efficere, ſuiſque muneribus fungi. Atque hinc quoque patet ſtellas eiectis virtutibus arcanis vi, & poteſtate corporibus caducis anteire, nam cum cælum ſit cauſſa efficiens omnium communis, eiuſque vis latè patens ſuperet vires cauſſarum particularium, ſtellæ, quibus eadem vis fuit conceſſa, ſingulari, admirabilique vi erunt prædictæ. Hæc verò cæli vis ſic ſtellis fuit diſpertita, non vt ſingulæ aliquam illius partem habeant, ſed vt ſingulæ vniuerſam vim contineant;

Cæli natura omniū corporum vnitas.

Id forſitan veteres illi habuerunt in animo propoſitum, qui dixerunt cæli naturam eſſe omnium corporum vnitatem, nam in cælo cæterorum corporum virtutes in vnum coniunctæ, ſingularique vnitate comprehenſæ continentur, non ſecus ac omnis numerus in vnitate, tota ciuitas in principe, & exercitus vniuerſus in imperatore.

Ad quintū

Cum adiungitur has vires occultas in ſtellis eſſe ponendas, vt earum effectione metalla in terræ viſceribus generentur, dicendum eſt quicquid fit in caducarum rerum vniuerſitate, id omne proximè fieri à cauſis ſecundis, quamquam non ſine cælo, quod eſt cauſſa omnium communis, nam cum quicquid efficiunt, id efficiant motu & mutatione, omnis ipſarum motus, omniſque mutatio pendet ex cælorum motu.

Metalla, vt in intimis terræ locis generentur, nullis opus eſt arcanis ſtellarum virtutibus.

Itaque vt in intimis terræ locis metalla, & reliqua huius generis procreentur, nullis opus eſt arcanis ſtellarum viribus, ſed ſatis eſt in his terræ partibus concludi calorem, & frigus, quorum magna eſt vis in rerum omnium procreatione, & quorum efficientia generantur omnia, quæ ex duobus halitibus in his abditis terræ locis oriuntur.

Calor ſubterraneus.

In terræ viſceribus calorem contineri inde poteſt ſciri, quod aquæ calidæ, quas thermas nuncupamus, e terra erumpant; & quandoque videamus recenti

foſſio-

foſſione terram calentem fumare; ac præterea ex puteis iugis aquam calidam hauriri, & id maximè fieri temporibus hybernis, in quibus terra in ſinu ſuo calorem arctius continet ob denſitatem, & aeris ambientis frigiditatem. Hunc calorem Ariſtoteles multis in locis ſignificauit *lib. 2. meteor.* nam in cap. 3. cauſſam ſaporum, quos fontes, & amnium fluxiones præferunt, in ignem conijcit, qui eſt in eis, aut innaſcitur: in cap. 4. dum ventorum cauſſas inquirit, ſcribit terram multum ignis, & caliditatis in ſe continere: & in cap. 8. tradit terra ab igne, quem continet, concalefacta multum ſpiritus extra, & intra gigni. Huius verò ignis cauſſa non eſt lumen, aut vis ſtellarum arcana, ſed exhalatio, quæ, vt inquit Ariſtoteles in loco proximè recitato, ſub terra vi detenta, ac ne exeat repulſa agitatur, agitata ad terræ concauitatum latera colliditur, colliſa atteritur, & attrita in ignem conuertitur; Quod ſi his in locis fuerit ſulphur, aut bitumen, aut aliud, quod accendi aptum ſit, id igni genito materiam ſuppeditat, qua diu poteſt ſub terra gigni, & conſeruari. Argumentatio, quæ ſequitur, à D. Thoma *in lib. 2. de cælo* contra Auerroem allata tollitur ab Auerrois ſectatoribus, quod cęlum ſuo lumine gignat non ſolum calorem, verum etiam reliquas primas qualitates, nam lumen areſacit calore extrahens partes humidiores; idem humectat humidos vapores euocans, eoſque abſumens; & denique frigefacit, cum procul abſcedit, eadem enim eſt cauſſa contrariorum, & quod præſens eſt cauſſa cuiuſpiam, idem abſens nonnunquam eſt cauſſa contrarij; vt gubernatoris abſentia cauſſa eſt nauis ſubmerſionis, cuius præſentia cauſſa eſt ſalutis *lib. 2. phyſ. 30.* Hi potius confirmant, quàm tollant argumentum, quoniam cum lumen non per ſe, ſed per accidens refrigeret, humectet, & areſaciat, ſequitur has qualitates, ſi ab aſtris non alio fierent modo, per accidens & non per ſe in cæli virtute contineri. Alij cum Pico *in lib. 3. contra Aſtrologos cap. 4.* huic argumento ita occurrunt: Si quæratur, quid tamquam cauſſa proxima cælum efficiat, reſpondetur ab illo per ſe fieri tantum calorem, & ex accidenti cæteras qualitates, ſicut calor ipſe per accidens refrigerat. Sin verò quid tamquam cauſſa communis, dicendum illud cum cauſſis ſecundis efficere per ſe omnes qualitates, nam cum aqua generat aquam, & cum igne ignem; dum verò generat elementorum ſubſtantias, vna quoque generat omnes illas proprietates, quæ has comitantur; quare cum aqua procreat frigiditatem, & cum igne caliditatem. Hi quoque non carent difficultate, nam hæc caliditas, quæ proximè fit à cælo, ſi fuerit qualitas communis, ac diuerſa ab elementari caliditate, vt Picus exiſtimat, tamquam figmento ſimilis damnabitur; ſin ſecus, exagitabitur,

Ignis ſubterraneus Ariſtoteli cognitus.

Ignis ſubterranei cauſſa.

Ad Sextū.

Auerrois ſectatorū reſponſio.

Confutat.

Pici reſpōſio.

Accuſatio

Digitized by Google

quoniam cum cauſſa communis ad ea, quorum eſt cauſa, æquè ſit affecta, nec vnum magis, quàm alterum habeat propoſitum, non eſt conſentaneum cælum, quod eſt cauſa omnium communis, per ſe proximè parere calorem, & cæteras qualitates per accidens. Et ſi cælum igni copulatum gignit calorem, cur eundem effundit ex ſe ipſo nulla media cauſſa miniſtrante? Vel enim fruſtra uim obtinuit ex ſe ipſo proximè faciendi caloris, ſi hunc poteſt efficere cum igne ſociatum, vel igni fruſtra coniungitur ad faciendum calorem, quem ex ipſo poteſt proximè gignere.

Sirenii reſponſio. Sirenius *in lib. 3. de fato cap. 49.* ſtatuit nullam qualitatem per ſe fieri à cælo, quamquam omnes qualitates per ſe fiant à motu, & à lumine, quæ ſunt cæli inſtrumenta.

Caſtigatio. Hic labitur, quoniam lumen, & motus non per ſe pariunt omnes qualitates, nam vnam caliditatem fieri à motu Ariſtoteles voluit *lib. 2. de cælo 42 & lib. 1. meteor. cap. 4.* & eandem declarat ſenſus ſemper fieri a lumine, atque hoc niſi abſens parere frigiditatem: Et cum quicquid fit ab inſtrumento, id verius dicatur fieri à cauſa principe, cui ſeruit inſtrumentum, quo pacto cælum erit cauſa per accidens eorum, quæ per ſe oriuntur à motu, & à lumine ipſius inſtrumentis? Et ſi mundus hic ſublunaris cælo eſt continuus, vt omnis eius vis ab eo regatur *lib. 1. meteor. cap. 2.* atque ille ab hoc gubernetur non ſine primarum qualitatum miniſterio, qui cælum nullam qualitatem per ſe habebit propoſitam?

Piccolominei reſponſio. Placuit Piccolomineo *in lib. 4. de materia cap. 14.* dicere licet nulla qualitas per ſe primò fiat à cælo, ſed ratione ſecunda, attamen ſi qualitates inter ſe conferantur, ſolum calorem, qui cæteris anteſtat dignitate, primò, ac præcipuè pendere ex cælo.

Reprehenſio. Hic quoque non eſt ab omni difficultate remotus, quoniam cum cælum ſit cauſa omnium communis, oportet ipſum æquè affectum eſse ad omnia, quæcunque ſuæ efficientiæ ſubijciuntur, neque horum dignitatis vllam rationem habere: Quapropter calor non eſt tanti faciendus, vt ſolus inducatur, qui primum, ac præcipuè ſit cælo propoſitus. Et ſi lumen per ſe primum gignit calorem, atque lumen per ſe primum effunditur à cælo, planè oportet cælum ſimpliciter, atque ſine vlla inter qualitates collatione per ſe primum efficere calorem.

Reſponſio propria. Argumentum hoc quamuis multorum ingenia exercuerit, parum tamen negocij faceſſit nobis, quibus perſuaſum eſt (id quod in diſputatione de lumine ſatis copioſè declarauimus) cęlum ſuo lumine per ſe nequaquam calefacere, ſed eſse cauſam communem, & cum cauſſis ſecundis per ſe efficere tam caliditatem, quam cæteras qualitates. Cum enim generet, ac tueatur elementa, generat quoque, ac tuetur qualitates, quæ horum ſubſtantias cõplent, aut comitãtur.

Opinio quorũdã. Quod nõnulli voluerint cęlũ ſuo lumine

calo-

calorem producere, quia cum ſit primum corpus, conſentaneùm eſt ab eo fieri primam qualitatem, hi non intelligunt parere qualitates ad tactum pertinentes, & ab his affici non ſic corporis eſſe, vt datum ſit cunctis corporibus naturalibus, nam hæ qualitates, quæ ortus, & interitus ſunt miniſtræ, eorum corporum propriæ ſunt, quæ oriuntur, & intereunt; quare non eſt, vt cælo ortus & obitus experti tribuatur caliditatis procreatio. Cauſſam cur media æſtate ſummum frigus, mediaque hyeme ingens calor quandoque ſentiatur, non eſt arduum poſthabitis virtutibus ſtellarum arcanis indagare; etenim cum nix vim contineat frigoris, & grando ſit aqua concreta, quæ eſt frigidiſſima, non eſt mirum ſi tempore æſtiuo his genitis aer frigeſcat: & cum calidi, ſiccique halitus hyeme quoque procreentur, ſi eueniat, vt à nubibus impediti ad ſupera non efferantur, nulla erit admiratio, ſi hi in locis circa terram detenti in aere excitent æſtum, ac teporem, atque id perſpicuè ſignificauit Ariſtoteles *in ſect. 85. probl. 21.* vbi cauſſam in hoc refert, cur aer nubilus ſit tepidior quam apertus. Cur autem æſtates nõ ſint æquè calidæ, & hyemes æquè frigidæ, exiſtit tum ex materiæ indefinitione, propter quam fit, vt halitus calidi æſtate, & vapores humidi hyeme non æquè euocentur, qui vt magis, minuſque abundant, ita calor, & frigus magis, minuſque viget: tum etiam ex igne, qui aliquando in maiori copia, aliquando in minori deorſum pellitur cæli latione diſiectus; & quandoque plus, quandoque minus temporis ponit in his locis, qui ſunt circa terrã. Hæc autem varietas ex cauſſis diuerſis poteſt oriri, nam tota hæc regio elementaris eſt variabilis, plurimumque expoſita mutationibus, quarum principia non in cælis, quæ ſemper eodem ſe habent modo, ſed in ipſa ſunt perquirenda.

Confutat.

Ad ſeptimum.

Cur æſtate ſummum frigus, & hyeme ingens calor quandoque ſentiatur.

Æſtates cur non æque calidæ & hyemes cur non æquè frigidæ.

Admirabiles mixtorum corporum virtutes non fluunt ab arcanis ſtellarum viribus, & vnde exiſtant. *Cap. VI.*

ADmirabiles illas vires, quibus mixta corpora creduntur agere ſupra elementares materiæ qualitates, vanum eſt putare ab arcanis ſtellarum virtutibus proficiſci, quod cum Philoponus nõ ignoraret, *in com. lib. 1. meteor.* obiurgat, & irridet illos, qui ponentes in ſtellis poteſtates, & virtutes, quæ harum inferiorum paſſionum cauſſæ effectrices exiſtant, nos ad has occultas cauſſas, ignotaſque rerum nouitates remittunt, ac relegant, quorum opinionis Alexandrum extitiſſe ſcripſit Damaſcius: Sed forſitan hic, cum hanc diligeret opinionem, vt ex viri eruditiſſimi authoritate fidem illi conciliaret, tradidit eandem habuiſſe Alexandrum, cuius, ni fallor, ſententia eſt ea

Philopon.

Damaſc.

quam

Singulares mixtorum virtutes unde exiſtant.

quam Philoponus approbat *in lib. 1. meteor.* quæ ſtatuit has ſingulares corporum inanimatorum virtutes ab eorum temperationibus, intimiſque principijs effluere, ipſarumque varietatem exiſtere ex diuerſitate non influxus, ſed temperationis, ex cuius varia ratione alia, & alia vis reſultat. Cæterum quoniam hæ vires in duo genera diducuntur, & quædam communes ſunt omnibus eiuſdem ſpeciei indiuiduis & aliæ vni indiuiduo ſunt præcipuè à natura tributę, quę ſunt generis prioris, hæ formam ſimpliciter ſequuntur, qua quicquid eſt in aliqua ſpecie, id huius eſt ſpeciei; & quæ poſterioris, hæ exiſtunt ex temperatione ratum habente permiſtionis numerum. Hinc mirandi rerum quidam conſenſus, & diſſenſus ortum habent, quorum cauſſæ parum patent, quia certus cuiuſque miſtionis numerus, & numeri efficacia ignoratur. & quoniam definitus temperationis gradus, & eiuſdem gradus efficacitas parum eſt cognita. Nec harum proprietatum origo ſit dubia alicui, quoniam ſi in artificioſa theriacæ miſtione illam admirabilem cernimus proprietatem, quæ vim cuiuſque veneni debilitat, ac retundit, quid erit abſurdi, ſi ex naturali temperatione, & ex elementis ſimul iuſta quadam ratione connexis effecta quædam multò maiora prodeant? Huc accedit, quod cum certum ſit ex primarum qualitatum temperatione, ſiue ex materia certis ac definitis qualitatibus affecta ſtirpium, & belluarum animas exprimi, quarum functiones quarumuis occultarum proprietatum operibus plurimum præſtant, ſuntque his multò admirabiliores, nemo non ſibi perſuadebit ex eadem poſſe originem habere illas ſingulares, & à noſtris ſenſibus remotas mixtorum proprietates. Equidem Alexander primarum qualitatum temperationem ſic magni fecit, vt non dubitauerit aſſeuerare ex hac oriri animam noſtram intelligentem, qua nihil diuinius mortalium generi conceſſum fuit; qua in re quam longè abhorreat à vero, ſitque impius, & in Deum, & in hominum genus, nemo eſt veſtrum, cui probè non ſit cognitum. Si igitur ſtirpes, & animalia quæque rationis, & orationis expertia, quod alantur, quod creſcant, quod ſibi ſimilia procreent, quodque ſenſuum muneribus fungantur, moueantur, & iraſcantur, à cæleſtium corporum influxibus non ſortiuntur, quis non putet ridiculum eſſe pæoniam, quod epilepticis opituletur; medicamenta, quod purgent humores; magnetem, quod ferrum ad ſe alliciat, ab occultis ſtellarum viribus accipere? nam ſi illa emanant ex quatuor primis qualitatibus, non intelligo, cur hæc ab eiſdem nequeant effluere? Quod duæ temperationes fuerint ab Aſtrologorum nonnullis excogitatæ, vna ex quatuor primarum qualitatum miſtione conflata, altera ab occultis ſtellarum viribus impertita, ex qua exiſtant ſingulares mixtorum proprietates, id ſimilitudinem habet figmenti.

Conſenſus & diſſenſus rerum unde.

Temperationis primarũ qualitatũ magna vis.

Admirabiles mixtorum proprietates non fluunt ab arcanis ſtellarum viribus.

Tẽperationes duæ ab Aſtrologis poſitæ.

menti, nã illa tẽperatio, quã cõficiunt ſtellarum vires, aut erit ex primis qualitatib. aut ſine his cõſtabit. ſi ex primis qualitatibus extiterit qui fieri poteſt, vt vnius ſubiecti duæ ſint tẽperationes ex eiſdẽ qualitatibus conflata? ſin abſque primis qualitatibus conſtiterit, cũ præter has, & illas, quæ has conſequuntur, nullæ qualitates cognitæ ſint, quæ ſint aptæ, & natæ conficere temperationem, hæc cælitus impreſſa temperatio erit ex iis quæ non ſunt. Nec reſpondeant huius cæleſtis temperationis qualitates nos latere, quoniam ipſa quoque temperatio ſit nec ne, nos latebit, & cum lateat, vanum eſt ad eã quicquam referre.

Reſponſio repulſa.

Non me præterit Fracaſtorium *in lib. de sympath. & antipathia* occultas proprietates irridere, haſque inſcitiæ aſylum nominare; ſed felix, qui omnia poteſt ad certas, & euidentes cauſſas reſoluere. Nec verò hic vir in horum cauſſis perquirendis ita ſe geſſit, vt ei in omnibus ſit aſſentiendum, nam ſi illius doctrinam accuratè examinemus, hanc in multis delinquere comperiemus. Et ne longius abeamus, hic ferrum ſtatuit à magnete trahi, quia vnum fit cum eo & vnum fieri formæ vtriuſque coniunctione; ſiquidem cum omnibus formis à natura datum ſit ſeſe propagare, horum formæ ſe ipſas ſpiritaliter propagando ſic ſe promouere, vt in media intercapedine mutuo occurſu coniungantur.

Fracaſtorij opinio de ratione qua ferrũ trahitur a magnete.

Hæc incerta ſunt, nec digna, quibus habeatur fides, nam incertum eſt, nunquid omnibus formis ſit à natura datum ſeſe propagare, cum multæ ſint, quarum nulla vis agendi apparet, nec credendum eſt magnetis, ferrique formas ſeſe propagare, atque per aerem diffundi; rogo enim quo pacto fiat hæc propagatio, nunquid formæ ex ferro, & magnete effluentes ſeſe per aerem diffundant; an ex aeris materia educantur.

Improbat.

Si primum fuerit datum, id non patietur philoſophia, quæ monſtrat formam caducam, & materiatam proprium ſubiectum nunquam deſerere, neque huc, illucque moueri. Sin alterum his formis aer ſimul informabitur, ſimulque erit ferrum, magnes, & aer. Et ſi hæ formæ ſunt tenues, ac ſpiritales, qua vi, quibuſque vinculis poterunt compellere, & trahere corpora, e quibus fluunt, vt moueantur, & cõiungantur.

Forma materiata nunquã deſerit proprium ſubiectum

Sine tot flagirijs Alexander *in lib. 2. quæſt. natu. cap. 23.* poſt reiectas Democriti Empedoclis, & Diogenis opinionis ſentit ferrum à magnete eo trahi modo, quo animantes à re expetibili, & ab alimento; propius enim rationi videtur ferrum interna virtute moueri, quam ab externa magnetis trahi, à qua non tangitur, quæq; quid ſit, & quo pacto ad ferrum pertineat, difficulter intelligitur.

Alexãdri opinio, ꝙ ferrũ moueatur ad magnetẽ.

Non enim ſolum quæ ab anima reguntur, id quod cognatum eſt, ac familiare, appetunt, & ad hoc mouentur, verum ea, quæ anima carent. Magnetem verò à natura ferri non multum abeſſe argumento eſt, quod gignatur, vbi ferrum, cum quo in ſubſtantia, & in colore

con-

cōuenit. Nec vos moueat, q́ hæc opinio Alexandri nonnullis argu-
Exagitat. mentis fuerit ab ijs exagitata, qui putant ferrum trahi à magnete vi quadam ab hoc ad illud demiſſa: nam in his nulla eſt firmitas, quod ne vos fugiat, ea paucis perſtringemus. Hoc igitur dogma
Primum argum. Alexandri accuſatur, primum quoniam quod alicuius rei appetitu concitatū mouetur, id ne ad hanc moueatur, nulla prohibet loci intercapedo; & nemo non cognitum habet, ſi ferrum ſit procul diſiunctum à magnete, ad hunc illud minimè ferri. Deinde quia corpo-
Secundũ. ris magnitudo non eſt impedimento, ne corpus deferatur ad id, cuius cupiditatem habet inſitam; & ferrum ſua magnitudine impedi-
Tertium. tur, ne magneti coniungatur. Præterea quoniam quod innato alicuius rei deſiderio ducitur, vtcunque fuerit affectum ad hoc nunquam non mouetur; & ferrum rubigine exceſum non fertur ad magne-
Quartum tem. Amplius quia ferrum ſic fertur ad magnetem, vt motibus contrarijs cieatur, pro vt magnes ſurſum, vel deorſū eſt poſitus; & vna,
Quintum ac eadem virtus non eſt principium motuum contrariorum. Poſtremò quoniam hæc virtus inſita non eſt ferro tribuenda aut ſecundū naturam, quippe quod, cum ſit graue, ſua natura deorſum mouetur, aut præter naturam, quia abſurdum eſt ferrum violentia ad id mo-
Ferrum trahi à magnete quæ perſuadeant. ueri, cuius innatam habet cupiditatem. Hæc multos impulerunt, vt de abſurditate accuſarent Alexandri opinionem, multoque probabilius arbitrarentur ferrum ad magnetem moueri, quod huius trahatur virtute; atque huius argumento eſſe dixerunt tum quod anuli ferrei ex magnetis contactu ſeſe attrahant vi magnetica eis impertita; tum etiam quod magnes oleo, aut allij, vel cæpæ ſucco illitus ferrum non alliciat eius virtutem ab horum illitu extincta. Hi peccant, in grauioreſque difficultates incurrunt, nam ſciſcitor,
Ferrũ non trahitur a magnete. nunquid vis attractrix, quæ effluit ex magnete, ferro extrinſecus accedat, an ex ferri materia, & poteſtate educatur; Si primum dederint, formæ, & qualitates incorporeæ à corpore ſolutæ per aerem commeabunt, quod eſt turpiſſimum. Quod ſi vt hoc effugiant, hanc virtutem cum corpore colligauerint, magnes hanc vim dum ex ſe fundit, ſenſim contabeſcet, ſuæque magnitudinis iacturam faciet: Sin alterum, quoniam alteratione forma omnis educitur ex materiæ poteſtate, neceſſario inducenda erit alteratio, qua ferrum altereſcat; hanc autem eſſe nullam ſenſus declarat. Et cùm magnes procul à ferro poſitus ſit, ei altera virtus erit tribuenda, qua poſſit hanc virtutem è ferro educere, cuius cum eadem ſit ratio, multæ, ac infinitæ erunt magnetis virtutes, quod non eſt ferendum. Et cum præterea virtus hæc ferro imprimatur ex eius poteſtate educta, quo pacto ferrum poterit impellere ad magnetem, cum id, quod mouet, ab eo, quod mouetur, ſemper ſit diuiſum *lib. 8. phyſ. 3 o.*? Reſponde-

bunt forſitan hanc virtutem non imprimi, ſed extrinſecus ferrum tangere; atqui ſi hoc modo reſpondeant, neceſſe habebunt fateri hanc virtutem ad magnetem remeare, & ſecum ducere ferrum; id autem qua ratione poſſit fieri, ſi nos docuerint, ſingulares habebimus gratias. Præter has aliæ ſunt difficultates, in quas hi delabuntur, ſed ſingulas perſequi nobis non eſt animus, qui veluti prætereuntes de facultate magnetis inſtituimus diſputationem.

Reſponſio.

Impugnatio.

Nec verò vllam vim attractricẽ poſſunt magneti tribuere anuli ferrei ſeſe conſequentes, nam cum primus anulus magneti coniunctus fiat quodammodo vnum, & idem cum magnete, anulus proximus huic coniungitur, cui mox eandem ob cauſſam alius accedit, atque ita deinceps. Nec rurſus eiuſdem virtutis argumento eſt, quod ferrum ad magnetem oleo, aut allij, vel cæpæ ſucco illitum nõ moueatur, quoniam huius id eſt cauſſa, quod hoc illitu magnes fit inamabilis, ab eaque familiaritate degenerat, cuius gratia expetebatur, & petebatur à ferro.

Diluuntur quæ videntur perſuadere ferrũ trahi a magnete.

Sed & inania ſunt argumenta, quibus Alexander reprehenditur; primumque refutatur, quod ferro id accidat, quod cernitur in beſtijs, quæ ad paſtum non mouentur, niſi fuerit is in ipſarum conſpectu, aut nõn longè abfuerit. Neque id videatur mirum, nam ſi veſtigia motum animi humani, vt ſcribit Ariſtoteles *initio li. 8. de hiſt. animal.* in animalibus ratione carentibus conſpiciuntur, nõ eſt, vt cuique faciat admirationem, ſi quod in belluis eſt euidens, huius veſtigium in lapidibus cernatur.

Diluuntur argu. quibus Alex. opinio fuit reprehẽſa.

Ad primum.

Secundum repellitur, quoniã quod habet rationem partis, id cum ſit mutilum, & decurtatũ quoddam, appetit fieri totum, & integrum; qua de re operam dat, vt alicui naturæ copulatum amplificetur, totumque, & integrum quoddam efficiatur, atque hoc pacto huius acceſſione ſuam perfectionem adipiſcatur. Cum itaque magna ferri moles ſit totum, & integrum quoddam, nulla eſt cauſſa, cur ipſa teneatur deſiderio incundi cum magnete ſocietatem, & ad hunc progrediatur. Id non eſſe improbabile illud declarat, quod magneticæ virtutis exploratores magnetem ad ferrum accedere teſtentur, & magnetem petere magnetem.

Ad 2.

Tertium eſt leue, quia quod morbo eſt affectum, illud non eſt aptum ad ſuum munus obeundum. De quarto dicendum eſt ferrum non moueri ab inſita virtute, ſed ſua natura comparatum eſſe, vt ſi nihil impediat, ad magnetem moueatur, hic ſupra; vel infra ſit collocatus. Nec abſurdum eſt idem varijs, contrarijſque motibus ſecũdum naturam cieri, ſi vario, contrarioque modo ſe habuerit, quando quidem cernere eſt idem contrario ſe habens modo efficere contraria. Sed & hi motus non omninò ſunt contrarij, quoniam non ſeſe impediunt, eiſque vnus, & idem magnes tanquam terminus eſt conſtitutus, & illi motus ſunt contrarij, quorum alter alteri occurrens eſt im-

Ad 3.

Ad 4.

Dd pedi-

pedimento, ne conficiatur; quibuſque progreſſus eſt ad contraria.
Ad 5. Poſtremo argumento eſt occurrendum, quod hæc motio, qua ferrum inſequitur magnetem, ſit proprietas, quæ propriā ipſius formam comitatur ex quatuor primis qualitatibus inter ſe temperatis emergentē; neque vlla ſit abſurditas vni plura ſecundū naturā fuiſſe impertita, ſi hæc tribuantur illi in eo, quod vario afficitur modo. Ferrum igitur, qua eſt graue, in eoque grauia elementa dominantur, ſua natura deorſum mouetur, & qua huius modi forma præditum eſt, quā ſequitur motus ad magnetem, fertur ad magnetem. Sed de hoc lapide fortaſſe nimis multa. Porrò de me aliquis veſtrum non ita malè ſentiat, vt omnia velim in ſenſibus occultas, deliteſcenteſque cauſſas conijcere, ſed quando euentus experimento eſt comprobatus, & cauſſa, ex qua fit, ignoratur, hæ minus mihi diſplicent, quàm rationes illorum, qui huiuſce generis quæſtiones ſolutionibus manifeſtis mandare contendunt, quibus quandoque nihil dici poteſt improbabilius. Hic autem notandum eſt non omnibus fidem eſſe habendam alicuius rei virtutem celebrantibus, quod ſæpenumero, vſuueniat, vt à ſenſu, & ab experientia eorum oratio diſſentiat. Et ego quidem vehementer dubito, nunquid illi ſint veri, qui tradiderunt
echeneidis vis dubia, & incerta Echeneidem piſciculum remorari nauigium, quamquā huius rei ab Ariſtotele *in lib. 2. de hiſt. animal. cap.* 14. à Plinio *in lib. 32. cap.* 1. ab Aeliano *in lib. 2. cap.* 17. & ab alijs facta ſit mentio. Et vt dubitem, illud facit, quod hic piſcis parum ſit cognitus, & à diuerſis
Echeneis variè deſcriptus. ſcriptoribus variè deſcriptus, nam Ariſtoteles *in loco citato* ſcribit eſſe piſciculum ſaxis aſſuetum, pinnaſque habere pedibus ſimiles:
Ariſtot. Oppianus tradit longum eſſe cubitum vnum anguillæ ſimilem, & os acutum habere contortum, rotundi hami cuſpidi ſimile: Plinius in
Oppianus. loco memorato limaci magnæ ſimilē eſſe dicit teſtimonio eorum,
Plinius. à quibus viſus eſt ille, qui Caij Imperatoris quinqueremem tenuit; & *in lib. 9. c. 25.* de ſentētia Mutiani ſcribit muricem eſſe latiorem purpura, neque aſpero, neque rotundo ore, neque in angulos prodeunte roſtro, ſed ſimplice, concha vtroque latere ſeſe colligente, & paucis interiectis ſubiungit Trebium Nigrum tradidiſſe ſeſquipedalem eſſe, & craſſitudine quinque digitorum. Hæc diſſimiliter tradita perſuadeant, ſi vera ſint, multos eſſe piſces, quibus vis ineſt nauium retinendarum, aut ſanè nos monent, ne quæ de Echeneide ſcripta ſunt, temere credamus. Quod ſi aliquis inducatur, vt his fidem habeat, illis non accedat, qui cauſſam huius euentus manifeſtā conati ſunt afferre, nā vel nō aperiunt id, quod cadit in quæſtionem,
Plutarchi opinio. vel ea proferunt, quæ indigna ſunt, vt audiantur. Et primum Plutarchus *in lib. 2. quæſt. ſympoſiac. q. 7.* ſcribit, cur hic piſcis à multis fuerit creditus poſſe moram nauigij curſui inijcere, eam eſſe, quod nauis

vbi

vbi plus ſatis immaduerit, aquâque imbiberit, algam multã, & muſcum attrahit, à quibus fit, vt uis ligni, atque impetus hebetetur, & fluctus marini in illũ lentorẽ incurſantes haud perinde facilè dilabantur: Itaque nauis latera, ſeu parietes nautæ detergunt muſcũ, & algã dimouentes, vt his abraſis expeditus, & facilis ſit nauigij curſus. *Reprehẽſio*
Cum verò Echeneis, quam par eſt exiſtimare propter lentorẽ tabulatis mordicus adhærere, vna quoque dimoueatur, factum eſt, vt creditũ fuerit hanc eſſe cauſsã, cur nauis tardè conficiat curſum. Hæc non explent animũ, quoniam Echeneidis adhæſu nauis nõ pigrè, tardeq; mouetur, ſed immota manet, idque teſtantur illi, qui ſcripſerũt tenuiſſe nauẽ, qua vehebantur legati miſſi à Periandro de pueris nobilibus caſtrandis, & ſignificant verba Plinij *in lib. 32. capit.* 1. quæ *Plinius.*
ſunt. Quid violentius mari vẽtiſue, & turbinibus, & procellis? quo maiore hominum ingenio in vlla ſui parte adiuta eſt, quam velis, remiſque? Addatur his & reciproci æſtus inenarrabilis vis, verſumq; totũ mare in flumen, tamẽ omnia hæc pariterq; eodẽ impellentia, vnus, *Echeneidis vis.*
ac paruus admodũ piſciculus Echeneis appellatus in ſe tenet. Ruant venti licet, & ſæuiant procellæ, imperat furori, vireſque tantas compeſcit, & cogit ſtare nauigia, quod nõ vincula vlla, non ancoræ pondere irreuocabili iactę. Infrenat impetus, & domat mundi rabiẽ nullo ſuo labore, non retinendo, aut alio modo quã adhærendo. Hæc tantilla eſt ſatis contra tot impetus, vt vetet ire nauigia. Sed armatæ claſſes imponũt ſibi turriũ propugnacula, vt in mari quoq; pugnetur velut è muris. Heu vanitas humana, cum roſtra illa ære, ferroque ad ictus armata ſemipedalis inhibere poſſit, ac tenere deuincta piſciculus. Fertur Actiaco marte tenuiſse prętoriã nauim Antonij properantis circumire, & exhortari ſuos, donec tranſiret in aliã. Ideoq; Cæſariana claſſis impetu maiore protinus venit. Tenuit, & noſtra memoria Caij principis ab Aſtura Antiũ remigantis, vt res eſt etiã auſpicalis piſciculus. Siquidem nouiſſimè tum in vrbem reuerſus ille Imperator ſuis telis confoſſus eſt. Nec lõga fuit illius moræ admiratio ſtatim cauſsa intellecta, cum è tota claſse quinqueremis ſola nõ proficeret, exilientibus protinus, qui id quærerent circa nauim, inuenere adhærentem gubernaculo, oſtenderuntque Caio indignãti hoc fuiſse, quod ſe reuocaret, quadringentorumq; remigũ obſequio contra ſe intercederet. Cõſtabat peculiariter miratum quomodo adhærens tenuiſset, nec idem polleret in nauigium receptus. Hæc Plinius. Rendeletius *in lib. 15. de piſcibus cap.* 18. de huius mirabilis euentus cauſsa ita ſentit: Cum ab Ariſtotele in quæſtionibus mechanicis demonſtratum ſit, & experientia comprobatum ad exiguam vnius *Rondeletij*
extremi motionem extremum alterum, atque adeo totam molem *opinio.*
continuum nutare, conſentaneum eſt, vt Echeneide clauo, vel puppi

affixo caudam, vel ſe totam modo in dexterum, modò in ſiniſtrũ mouentem in prora quoque hæc motio percipiatur, & ad Echneidis motum ambiguum, ambiguè quoque moueatur, ac proinde nauis impetus inhibeatur. Hic proficit nihil, nam vt mittam authores ſcribere Echene dem non puppi, aut clauo, ſed fundo, & carinæ adhærentem cogere nauigia ſtare, aliud eſt facere, vt nauis nutet, nec expeditè conficiat curſum, & aliud tollere motum, ac immotam reddere nauim, quamuis ruant venti, ſæuiantque procellæ. Fracaſtorius *in lib. de antipath. & sympath. cap.* 8. duas affert cauſas, vna eſt Echeneidem non cohibere nauem, ſed eſſe ſignum ſaxi magnetici ſub aquis deliteſcentis, quod cum nequeat clauos euellere, nauem retinet: alteram Echeneidem cum ſaxis aquæ ſubiectis eam habere naturæ coniunctionem, vt inde nequeat dimoueri ab eis retenta; quapropter cum naui adhæreat, neque ab hac poſſit auelli, ne ſequatur vacuum, nauis immota manet. Hæc non ſunt audienda, nam cauſam priorem eſſe figmento ſimilem illud oſtendit, quod vires multò validiores ad nauem retinendam poſtulantur, quam ad clauos extrahendos, nam hos faber vnus extraxerit, & illam retinere multi fruſtra tentabunt: & quod multis nauibus vna facientibus iter vna duntaxat facta eſt immobilis cæteris non retentis. Poſteriorem verò eſſe contemnendam intelligitur, & quia mirum eſt remigum conatum, & ventorum impetum non poſſe nauem ab Echeneide retrahere, & quia non imminet periculũ, ne amoto exiguo piſciculo locus fiat inanis, quod aqua ſit præſtò, quæ locum occupet. Cum itaque certa huius euentus cauſa non poſſit afferri, non pigeat ad occultam proprietatẽ confugere, atque dicere, quemadmodũ torpedo ſua innata proprietate manibus impingit ſtuporem, qui eſt quædam ſenſus, motuſque priuatio, eodem modo Echeneidem naturali proprietate cogere naues ſtare, nam ſi agentium naturalium alia ſua vi calefaciunt, & alia calorẽ extinguunt, non eſt, vt cuique mirum ſit, ſi quoq; ex agentibus naturalibus vt quædã ſunt, quæ ſua natura mouent, ita ſint quædam, quibus data ſit vis motus auferendi, & quietis inducendæ.

Impugnatio.

Fracaſtorij opinio.

Refutatio

Echeneis naturali proprietate cogit naues ſtare.

Incantationes vanæ ſunt, nec in vocibus, & verbis vlla ineſt vis aut propria, aut aliunde immiſsa. *Cap. VII.*

IN proximo argumẽto petitur, vt q; colligitur, cõcedatur, q; turpe eſt, ac dignũ reprehẽſione: Enimuero aduerſarijs propoſitũ eſt cõcludere ſtellarũ influxus non eſſe eijciẽdos, quod multa occurrãt in rerũ vniuerſitate, quæ ſunt influxuũ effecta atqui cum ſumitur quippiã à quopiam effici, id eſſe, à quo efficitur, tanquã notũ aſſumitur. Planè in effectis magna eſt vis ad cauſã inueſtigãdã, verũ niſi cõſtet id, quod cauſa ponitur, eſſe in rerũ natura, & niſi effectum non ab

alio,

Digitized by Google

alio, quam ab eo fieri poſſe demonſtretur, inanis erit argumentatio, quoniam aduerſarius effectum quidem confitebitur, verum id non ad illud, quod concluditur, ſed ad aliud eſſe referendum aſſenerabit. Cæterum vt omnis dubitatio eijciatur, incantationibus, & imaginibus in hoc argumento aſſumptis aliquid temporis eſt tribuendum; & quamuis de incantationibus, quas Zoroaſter, & Magi huius ſectatores coluerunt, & Hebręorum Cabaliſtæ tanti fecerunt, vt iactarent ipſas à ſecretioribus Dei reuelationibus fuiſſe deriuatas, & qui eas haberet comprehenſas, hunc poſſe opera admiranda edere; quid iuxta Ariſtotelis doctrinam ſit dicendum, in diſputatione de Dæmonibus ſat ſuperque fuerit explicatum, attamen & nonnulla de his occurrunt dicenda, quæ eo in loco traditis poterunt adiungi. Tota incantationum vis creditur à plerìſque in vocibus, & verbis conſiſtere, quibus vtuntur ij, qui incantant, & Magi appellantur; quapropter ſi à nobis fuerit oſtenſum nullam agendi vim his ineſſe, ruat horum opinio, eſt neceſſe: ad id autem ita aggrediamur. Cum quicquid datum eſt alicui, id huic aut inſitum ſit, aut extrinſecus accedat, atque voces, quod efficiant quippiam, nec per virtutem inſitam, neque per aduentitiam poſſint conſequi, neceſſariò concluditur in his nullam eſſe vim ad aliquid efficiendum. Fieri non poſſe, vt voces vi inſita quicquam efficiant, hæc maximè declarant: Et primum voces fuerunt à natura paratæ, vt his animi humani conceptiones ſignificarentur, & vt harum eſſent notæ, nam cum homines ad ſocietatem ſint geniti, ad hanc apti non eſſent, niſi ſibi mutuò ſignificarent ſuas animi conceptiones; & ad has declarandas vocibus vterētur. Ergo cum natura id, quod melius eſt, ſemper efficiat; atque inſtrumenta optimè ſint conſtituta, ſi vnum vni operi ſeruiat *lib. 1. polit. cap. 1.* non eſt, vt quicquam vocibus efficiatur. Accedit, quod cum natura vbi licet duobus vti inſtrumentis ad duo opera, nunquam eodem vtatur *lib. 4. de part. animal. cap. 6.* atque ad efficiendum manus ſint aptiſſimæ, quæ, quod eis omnia inſtrumenta poſſint ſumi, & teneri, inſtrumentum inſtrumentorum appellantur *lib. 3. de anima 38.* & inſtrumentum ante inſtrumenta *lib. 4. de part. animal. cap. 10.* exiſtimandum eſt nullam efficiendi uim fuiſſe vocibus à natura impertitam. Deinde ſi voces ad aliquid efficiendum fuiſſent à natura paratæ, fruſtra homo manibus eſſet donatus, quas ei natura dedit, vt his miniſtrantibus in rebus efficiendis verſaretur. Præterea cum voces ſua natura cadant ſub auditus obiectum, ſua natura ſunt aptè natæ ea ſola mouere, & afficere, quibus audiendi ſenſus fuit à natura datus, & verò quæ incantationibus creduntur mutari, hæc non rarò ſunt auditus expertia. Poſtremò ſi voces uim inſitam haberent quicquam efficiendi, hac vi vterentùr per modum cauſſæ aut

Zoroaſter Hebræorum Cabaliſta.

Incantationum vis in quo poſita.

Magi.

In vocibus, & verbis nulla eſt vis inſita aliquid efficiendi.

Voces cur à natura paratæ.

Manus inſtrumētum inſtrumētorum.

Homo cur manus habuerit.

vniuo-

vniuocæ,aut æquiuocæ;& neutro modo ea poſſunt vti. Voces veluti cauſſæ vniuocæ non poſſunt quicquam efficere,quoniam cum cauſſæ vniuocæ ſit id efficere,quod ſui eſt ſimile, a vocibus ſimiles voces duntaxat efficerentur,quod falſum eſt: Nec etiam ſicut cauſſæ æquiuocæ,quoniam à vocibus ea ſola efficerentur,quæ cedunt eis dignitate,cum cauſſa æquiuoca ſit re,quæ efficitur,præſtabilior; quapropter quia omnes ſubſtantiæ, plurimaque accidentia dignitate vocibus anteſtant,non erit, vt his tribuatur vis, qua illa efficiantur.

Cauſſa æquiuoca præſtabilior eo, quod efficitur.

In vocibus non eſt vlla vis aduentitia, qua quippiam efficiatur.

Sed hæc quoque vis non eſt vocibus aduentitia,quoniam ſi voces extrinſecus ſibi affererent aliquid efficiendi, hæc vis exiſteret aut ex aere, in quo fit vox;aut ex aeris ictu,qui eſt vox,vel cauſſa vocis; aut ex eo, quod voce ſignificatur; aut ex incantante, & vocem effundente; aut denique ex aſtris, quorum nullum eſt idoneum ad vim huiuſmodi largiendam.

Ad voces nulla vis accedit ex aere.

Et ex aere ſanè hæc vis ad voces non poteſt accedere, quoniam cum aer per ſe nequeat id,quod tribuitur vocibus,efficere, nec etiam vim illius effectricem poteſt vocibus impertire. Adiungendum eſt aerem,quicquid immutat,id virtute primarum qualitatum mutare,& nullam eſſe vocem,quæ vllam poſſit mutationem accipere à primis qualitatibus,quæ corporum propriæ ſunt,in ſolaque corpora agunt. Nec præterea ex aeris ictu,quoniam hic eſt motus in loco,qui ad nullam formam ducit, aut qualitatem.

In voces nulla vis immittitur ab eo, quod ſignificatur.

Nec rurſus ex eo, quod voce ſignificatur; nam id hanc vim immitteret vel quatenus eſt natura quædam huius vniuerſi;vel quatenus ſignificatur,& propter ſignificationem,quorum neutrum eſt ponendum;primum quidem,quoniam cum res, quæ ſignificantur,in eo, quod naturæ,nullam habeant cum vocibus connexionem, & ab his procul ſint poſitæ, nequit fieri, vt quicquam vocibus impertiant, quod in omnibus id,quod tribuit,ſimul ſit cum eo,quod accipit *lib.7.phyſ. t.10* alterum vero,quod ea,quæ magis ſignificant res,noſtriſque oculis obijciunt, maiore agendi vi donarentur;id quod abhorrere à vero teſtãtur ſtatuæ, pictæque imagines, quibus licet maior, quam vocibus inſit vis ſignificandi, nulla tamen vis agendi ab ijs, quæ ſignificant, noſtriſque oculis obijciunt, fuit conceſſa. Et cum quæcunque vocibus ſignificantur, omnia ad voces æquè ſe habeant, omnia quoque vim ſuam tribuerent vocibus;quare nihil erit,quod à vocibus non poſſit fieri; quod ſi quis det, is quid ſit dandum, quidque non dandum, ignorabit.

Vocibus nulla vis tribuitur a vocem effundente.

Sed nec etiam is,qui incantat,vocemque effundit,vim vllam poteſt voci tribuere, quoniam hanc ſi tribueret, is hanc tribueret,vel in eo,quod vocem,& id,quod voce ſignificatur,animo comprehendit; vel in eo,quod pellit aerem,cuius ictus eſt vox,aut efficit vocem: Et verò comprehenſione mentis,ſenſuſque ſiue interioris, ſiue exterioris nihil vnquam fit in eo, quod cadit in comprehenſionem:

nem.& impulſio, quæ eſt motus in loco, nullam formam, nullamque agendi vim eſt aptè nata tribuere. Et cum hæc omnia ſint communia cunctis hominibus: quis non intelligat futurum eſſe, vt omnes homines ſint Magi, vimque habeant incantandi? Quod ſi dictum fuerit non cunctis hominibus datam eſſe hanc vim, quando & non omnibus ſint omnia conceſſa, ſed alia his, & alia illis, rogandum erit, qui pollent hac vi, nunquid natura, an diſciplina ſint eam adepti: Nō eſt, vt natura, quoniam quæ ſunt à natura impertita, ea ſunt cum primis qualitatibus connexa, quippe quæ temperationem ſequuntur ex primis qualitatibus emergentem; at cum vocibus haudquaquam primæ qualitates miniſtrent, arduum eſt intelligere, quo pacto quis ex propria natura ſit conſequutus, quod vocibus quippiam efficiat: Sed nec etiam diſciplina, quoniam nulla eſt ars, nullaque diſciplina, quæ polliceatur rationem efficiendi illud, quod eſt naturale: aliqua ſanè nos docet modum coniungendi ea, quæ viciſſim agunt, & patiuntur, verum quod horum actione, ac paſſione fit, id eſt opus naturæ, & non artis. Demum nequit fieri, vt vis hæc admirabilis cælitus in voces deſcendat, vt opinantur cæleſtium virtutum arcanarum defenſores, quoniam, cum cælum, ac ſtellæ per modum naturæ agant, atque voces quatenus voces nullam habeant naturæ diſſimilitudinem, voces omnes, quales quales ſint, hanc uim cæleſtem exciperent. Deinde cum vis agendi ſit forma, vel formam ſequatur, nequit fieri, vt vis agendi a ſtellis, vel ab alio quopiam tribuatur voci, niſi vna aliqua forma tribuatur: at cum vox ſit accidens, quod fit, & interit continenter, quo pacto poterit vllam formam excipere, quæ habet eſſe fixum & ſtabile, nec niſi in materia, aut in ſubſtantia compoſita poteſt ineſſe? Ex his ſat ſ conſtare opinor vanas eſſe incantationes ad cæleſtes influxus perſuadendos, quod quoque D. Thomas non ignorauit, qui *in lib. 3. contra Gent. cap.* 104. multis argumentis concludit Magorum opera non exiſtere ex cæleſtium corporum impreſſione: Cæterum hæc non inuitus prætereo, quod ijs, quæ dicta ſunt, ſatis abundè conficiatur propoſitum, & his qui fidem non habeat, nec ijs, quæ a D. Thoma traduntur, ſit habiturus.

In voces nulla vis agendi cælitus deſcēdit.

D. Thom.

Imagines Aſtrologicæ vanæ ſunt, nec habent momentum ad perſuadendas virtutes ſtellarum occultas. *Cap. VIII.*

SEquuntur imagines. Antiqua fuit opinio ab Aegyptijs inſerta, & à Magis exculta ad morbos curandos plurimum poſſe imagines vana quadam obſeruatione in auro, aut in alia materia definita im-

Aegyptij Magi.

Digitized by Google

Academici. ta impreſſas. Has nonnulli Academici tanti fecerunt, vt ab eis Dæmones trahi exiſtimauerint, tradiderintque his confirmari protritum illud in Platonis foro enunciatum: *Platonicũ enunciatũ* Omnes huius vniuerſi partes ſic inter ſe aptæ, cohærenteſque ſunt, vt in terris cæleſtia ſint terrenæ conditionis ſorte prædita, & in cælis viciſſim terreſtria cæleſti dignitate ornata: *Magicum enũciatũ.* Quinetiam nonnulli Magicum illud his confirmari prodiderunt: Per inferiora ſuperioribus congruentia homines ſibi poſſunt idoneis temporibus cæleſtia conciliare, & per hæc conſequi ſupercæleſtia. *Thebitius.* Has imagines ſcribit Thebitius Aſtrologus hac ratione confici ad virtutem alicuius ſtellæ accipiendam: *Imagines qua ratione conficiãtur.* Luna trino, vel ſextili aſpectu feliciter intuente aliquam ſtellam in cæli medio, aut in ortu poſitam ex metallo huic ſtellæ dicato conficitur anulus, in cuius cauitatem lapis imagine inſignitus ſubiecta herba huic ſtellæ conſecrata defigitur. *Imaginũ vis.* Hoc, ſimilibuſque anulis tradunt ipſorum opifices animum exhilarari, hoſtes vinci, morbos profligari, & varia miracula fieri; idque confirmant, quoniam *Eudemus.* Eudemus philoſophus huiuſmodi anulos contra ſerpentum morſus, faſcinationes, morbos, ac Dæmones compoſuit: *Giges.* Giges Lydorum rex anulo, in cuius cauitate lapis è draconis capite exemptus erat incluſus, ſeſe reddidit inaſpectabilem; & *Magi.* Magi Zoroaſtri aſſeclæ Perſarum regem induxerunt, *Anulus ad venena præcauenda.* vt ad venena præcauenda hominis imaginem ſerpente cincti, & manu dextera ſerpentis caput, altera caudam comprehendentis genibus quaſi inflexis, & capite paululum reſupino in lapide hæmathide imprimeret, & hunc aureo anulo ita clauſum, vt inter lapidem & aurum radix ſerpentariæ eſſet immiſſa digito geſtaret. Longum eſſet commemorare quas ſyderum, & Lunæ ſtationes hi obſeruauerint, & quas imagines anili ſuperſtitione ducti fuerint machinati, in paucis orationem occupaui, quod hoc commentum ſit turpe, longeque abhorrens a veritate, idque multis oſtenderem, niſi inania confutare non minus inane foret, atqui contra inania licet quandoque inania dicere. *Imaginũ genus duplex.* Imagines, quibus vtitur hominum genus ſuperſtitioſum, in duo genera ab Alberto *in Speculo Aſtronomico capit.* 10. ſunt diſtributæ, *Alb. Mag.* nam quædam inſpectis ſyderibus conficiuntur, & aliæ nullis ſtellis obſeruatis: illæ vocantur Aſtrologicæ, hæ Negromanticæ; *Imagines Aſtrologicæ.* priores aiunt è ſtellis pendere, nec quippiam poſſe emolumenti afferre, niſi in certa aliqua ſingulari materia inſculpantur, & corpori adhæreant; *Imagines Negromanticæ.* poſteriores abſque vlla ſtellarum obſeruatione cudi, nec quicquam intereſſe in nobiliori, aut viliori ſubiecto incidantur, atque etiam ſine corporis tactu effectum conſequi. Negromanticas, qualeſcunque fuerint, non eſſe abſque crimine vel ex ipſo nomine intelligitur. Conſtat enim has Dæmonum fraude confici, & geſtari, quo nihil peruerſius; vt interim mittam

Peri-

Peripatetici Dæmones aut eiiciunt, aut ignorant.

Peripateticos his haudquaquam ſuum aſſenſum poſſe præbere, qui, vt in diſputatione de Dæmonibus declaraui, Dæmones aut eijciunt, aut non cognoſcunt. At verò animos eorum, qui imagines aſtrologicè excuſſas morbis mederi, & plurimum vtilitatis afferre arbitrantur, vanam quandam opinionem obcæcare id declarat, quod cùm imago ſit quippiam per accidens ex figura, & materia ſubiecta compoſitum, neceſſe eſt, quicquid ei tribuitur, id ex aliqua eius parte emanare; hoc enim intereſt inter compoſitum per accidens, & compoſitum per ſe vnum, quod huic aliquod præcipuè datum ſit, quod non fuit partibus conceſſum; & illud, quicquid habet, hoc totum eſt ſuarum partium: atqui imago, quod excipiat virtutem cæleſtem, neque per materiam, neque per figuram poteſt conſequi, vanum igitur eſt exiſtimare virtutem aliquam in imaginem cælitus immitti. Imago, quod excipiat virtutem cæleſtem, non poteſt materiæ acceptum ferre, quoniam quicquid ex eadem, ſimilique materia conſtaret, id ad virtutem ſtellarum excipiendam eſſet aptè accommodatum: quapropter nulla eſſet ratio, cur ex ijs, quorum eadem eſt materia, hæc virtutem cæleſtem excipiant, & illa non excipiant. Eandem non conſequi ex figura, quod in ipſam deſcendat vis cæleſtis, multa declarant. Et primum id ſi eſſet, quælibet materia eam figuram tenens poſſet virtutem cæleſtem ſuſcipere, quod diſplicet harum imaginum amatoribus. Deinde cogi cælum ex figuræ impreſſione ſuos influxus in aurum demittere non caret flagitio; propius enim ad rationem accedit cælum ſempiternum rebus caducis vim afferre, quam has illi. Et cum figura, quod illi materiæ ſit impreſſa, hominum voluntati ferat acceptum, quis non videat hominibus integrum fore virtutes cælitus deducere? Id autem turpe eſſe illud demonſtrat, quoniam ſi hominibus nulla vis data eſt, qua poſſint, vbi eis fuerit collibitum, cogere hæc caduca ad ſuas naturales virtutes effundendas, nec quoque conſentaneum eſt eiſdem fuiſſe conceſſum vim poſſe ſtellis afferre. Amplius ſi figura aſtronomica vim haberet alliciendi virtutem ſimilis figuræ cæleſtis, vt exempli gratia figura, ſcorpij vim ſcorpij cæleſtis, par eſt, vt eadem vis ſit data figuræ, & formæ ſcorpij naturalis, cuius cum cæleſti figura maior eſt ſimilitudo: quapropter vis, quæ eſſet in imagine ſcorpij aſtronomica, eadem quoque in ſcorpio naturali contineretur: quod ſi ita eſſet, cum ſcorpius naturalis vbique, ac ſemper præſtò ſit, ſuperuacaneum eſſet imaginem ſcorpij conficere, vt cæleſtis ſcorpij vis à cælo deducatur. Rurſus cum ratione magis facit figuras naturales poſſe ijs, quorum ſunt figuræ, aliquid tribuere, quàm quæ ab arte exiſtunt, & verò certum eſt ex illis nihil manare, quo ea, quorum ſunt, aut agant, aut patiantur. Inſuper quod

Imagines Aſtrologice nullam vim habẽt.

Inter compoſitũ per accidẽs, & compoſitũ per ſe quid interſit.

Imaginis virtus non exiſtit ex materia.

Imago, quã vis cæleſtis in ipſam deſcendat, non conſequitur per figuram.

Primum argumentum.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Quintum.

Sextum.

Quod pendet ex arte, non eſt ratio accipiendi aliquid à corpore naturali. Septimū.

pendet ex arte; id non poteſt eſſe ratio aliquid à corpore naturali accipiendi: huius ea eſt ratio, quoniam agendi, patiendique principium eſt quoddam abſolutum per ſe exiſtens, & ex arte ſolum exiſtit partium ordo, aut compoſitio, quæ in relationis genere continetur. Equidem arte, quæ natura ſunt aptè nata viciſſim agere, & pati, poſſunt coniungi, verum quod fit ex horum coniunctione, id non arti, ſed naturæ tribuitur. Demum ex figura nullum exiſtere apparatum, quo inſtruatur materia ad virtutem ſtellarum excipiendam argumēto eſt, quod id, quod afficitur, & paratur ad aliquod ſuſcipiendum, afficitur, & paratur alicuius formæ ſuſceptione, nam ſi nullam formam exciperet, id non ſecus ſe haberet, ac ante ſe habebat, quam afficeretur: atqui figura, quæ nullam formam tribuit, qui poterit parare id, cui imprimitur, ad vim cæleſtem excipiendam? Quod ſi dixerint ipſam figuram eſſe eam formam, qua id, cui eſt impreſſa, afficitur, & paratur, erunt quoque improbabiles, quoniam omnis materiæ apparatus, & inſtructio nunquam ſine primis qualitatibns conſiſtit, nam materia has primum excipit *initio lib. 2. de gener. & inter.* hiſque affecta fit apta, & idonea ad reliquas formas accipiendas: & verò figura ab his diuerſa eſt, nullamque cum his habet connexionem: continetur enim in quarta ſpecie qualitatis, & cum ſequatur quantitatem, cui nulla vis mutandi fuit à natura impertita, nequit eſſe forma, quo quippiam patitur, & ab alio mutatur.

Materia apparatus ex primis qualitatibus exiſtit.

Imagines cæleſtes cōmentitia, & fabuloſa.

Sed & vanas eſſe imagines aſtronomicas id non leue eſt argumentum, quod illæ figuræ, & imagines in cælis poſitæ ſunt commentitiæ à poetis, & ab Aſtrologis fictæ, ſecuſque deſcribi potuiſſent, id ſi eis placuiſſet, atque huius fidem faciunt tum fabuloſæ earum explicationes, quas Ioannes Stoflerinus in ſphæra Procli, & Alexander Piccolomineus in ſphæra ab ipſo Italicè conſcripta copioſè ſunt perſequuti: tum etiam variæ earum deſcriptiones, nam Ptolemæus Hipparchi imagines immutauit: Chaldæi ex Libra & Scorpione vnam imaginem confecerunt: Arabes humanas imagines aliter figurarunt turpe eſſe exiſtimantes tribuere aſtris hominum imagines: Hebræi non imagines, ſed literarum elementa cælo dederunt: & Abenezra authore aliter Perſæ, aliter Indi ſtellarum imagines, & aſteriſmos induxerunt. Iam verò ſi imagines aſtronomicæ ſunt huiuſmodi, nemo fuerit, qui fidat his, putetque aurum, aut aliud metallum, cui aliqua figura aſtronomica fuerit impreſſa, habere vim morbos depellendi. Nec aduerſarijs credendum eſt aſſeuerantibus huius decreti fidem facere experientiam, nam hæc ratio medendi iandudum fuit vetuſtatis tenebris oppreſſa, quæ ſi fuiſſet certa, & experimento comprobata, mirandum eſſet illius rei memoriam, qua nihil humano generi poterat accidere ſalutarius, ſenſim fuiſſe obſcuratam, ac

Imagines cæleſtes uarie deſcripta.

Ptolemaus. Chaldæi. Arabes. Hebræi. Perſæ. Indi.

eua-

ſtanuiſſe. Et quamuis Alexander Trallianus Herculis Leonem ſuffocantis imaginem anulo incluſam colicis mederi tradiderit, atque in curatione calculorum in renibus genitorum anulum ex ære cyprio confectum commendauerit, attamen in his componendis de influxibus, & ſtellis obſeruandis ne verbum quidem habet. Verum hæc remedia Tralliani an habeant vim morborum profligandorum, dicant illi, qui periculum fecerunt: mihi ſanè videntur vana, & ad quæſtum fallacijs inuenta; exiſtimoque Galenum his nunquam fidem habuiſſe, qui *in libr.6. de ſimplic. medicam. facultat.* ſcribit Pamphilum eſſe fugiendum, qui huiusmodi fictis herbarum incantationibus, & puerilibus fabulis ſuos libros referſit. Atque huius opinionis eſt quoque Theophraſtus, qui *in lib.9. de hiſt. plant.* putat hæc eſſe abſurda, & hominum commenta. Id Antoninus Caracalla Imperator cum non ignoraret, eos ſtatuit condemnare Aelio Spartiano referente, qui contra febres, & alios morbos periapta geſtabant. Nec verò aſtronomicas imagines confirmant Eudemus, Gyges Lydorum Rex, & Magi Zoroaſtris ſectatores, nam quod tribuitur Eudemo, id incertum eſt; anulus Gygis numeratur in fabulis; & Magi ſunt indigni, quibus in ijs, quæ à ſenſu, & à ratione diſſentiunt, fides habeatur.

Alexāder Trallianus.

Galenus.

Theophraſtus.

Antoninus Caracalla.

Dierum criticorum, æſtuſque marini cauſſæ non ſunt in Luna poſitæ; & de criticis diebus quid ſit ſentiendum.
Cap. IX.

RESTAT poſtremum argumentum, in quo, quoniam id, quod cadit in quæſtionem, colligitur ex eo, quod eſt dubium, & controuerſum, non multum eſt momenti: Etenim nunquid cauſſæ dierũ criticorum, æſtuſque marini ad lunam ſint referendæ, immortalis eſt inter viros doctiſſimos cõtrouerſia, & multò plures ſunt, qui partem negantem tuentur, quam qui aientem; nec iniuria, nam cum tria in luna ſint poſita, motus, & lumen ab omnibus, atque vis arcana ab Aſtrologis, horum nullum eſt idoneum, quod ſeruiat lunæ ad hæc munera obeunda. Ac primum quidem luna ſuo lumine non parit has mutationes, quoniam varietas, quæ cernitur in his mutationibus, lunaris luminis varietatem ſequeretur, lunaque ijs temporibus, quibus ſub Orizonte decurrit, aut Soli coniuncta nullum lumen ad nos demittit, nullam efficeret mutationem, & criſium, æſtuſque marini varietas nequaquã exiſtit ex lunaris luminis varietate; Lunaque quocũq. ſe modo habẽte fiunt criſes, mareque fluit, ac refluit. Rogerius

Luna ſuo lumine nõ eſt dierũ criticorũ, æſtuſque marini cauſſa.

Rogerii Bacconis opinio.

rius Bacco *in epiſt. ad Clement. Quintum*.cum a lumine æſtus marini cauſſa deduceret, ſtatuit Lunã ſub Terra exiſtentem ad partem cœli aduersã radios mittere, à qua reflexi præſtãt id, quod recti faciebant. Sed quis non miretur in radijs Lunæ replexis tantam vim ineſſe, ut præſtent id, quod recti facere ſolent? Et nocte obſcura cur oculis non percipitur exiguum huius reflexionis veſtigium? Atqui hæc reflexio eſt prorſus nulla, quoniam cùm terra ſuperet Lunã magnitudine; & propterea vmbra terræ, quam Lunæ radij, lumẽq; efficiunt, quò longius diſcedit à terra, eo magis amplificentur, nec vnquam minuatur, nequit fieri, vt Lunæ radij ad cœli partem Lunæ aduerſam pertineant, indeque ad terram, & mare inflectantur.

Confutatio.

Luna ſuo motu non parit dies criticos, æſtumque marinũ.

Nec prætcrea harũ mutationum cauſsæ ad Lunæ motũ ſunt referẽdæ, nam cùm hic duplex ſit, diurnus, & menſtruus, certumq. ſit maris æſtum ex menſtruo, & dies criticos ex diurno non pendere, par eſſet ſi motus Lunæ pareret has mutationes, vt diurnus ſit æſtus cauſſa, & mẽſtruus dierum criticorum. Et verò cùm Aboaſar obſeruauerit maris æſtum motui lunæ diurno non reſpondere, quòd interdũ vſu veniat, vt eodem tẽpore aquæ alicubi fluant, & alibi refluant, & Galenus proſpicuè cognòrit dies criticos non pendere ex motu menſtruo, quippe qui, ne dies vigeſimus ex criticorum dierum numero eijceretur, menſem appellatum medicinalem, ſecundum quem fieret dierum criticorum ſupputatio, excogitauit ex lunæ motu non pendentem, quis non ſentiat lunam neququã vti motu ad hæc peragenda? Et ſi motus lunaris non attingit aerem, qui nos, & aquas ambit, is qui poterit eſſe cauſſa eorum, quæ in aquis, & in nobis fiũt?

Aboaſar.

Scaligeri opinio.

Putare cum Scaligero *in exercit.* 52. *ad Cardanum*. mare tacito naturę conſenſu ſequi diurnam lunæ motionem, & quamdiu nullus eſt obex, ſemper ſequi ſuam ducem, vbi uerò litorum obiectu prohibetur, regredi, nihil eſt, nam mare non vbique lunam inſequitur, cum multis in locis mare non fluat, & refluat, & in Oceano, cuius æſtus eſt vehemens, litora, quæ nulla ſunt, efficere nequeunt, vt mare inde, quo fuit à luna ductum, recurrat. Et ſi mare ſequitur lunæ diurnam conuerſionem, cur luna occidente non refluit, ſed ſimiliter vt oriente efferueſcit? nã perpetuò debuiſset aut lunæ motũ comitari, aut ſaltem ea accidente affluere, & recedẽte refluere. Sed nec deniq. luna poteſt vi arcana has mutationes excitare, nam hæc vis aut eſt lunæ aduentitia, aut innata: ſi aduentitia & à ſtellis non errantibus transmiſsa, quoniã hæ ſtellæ per modum naturæ hanc vim ex ſe fundunt, cur cæteris errantibus ſtellis ea nõ impertitur? Et ſi hęc vis excepta à luna has mutationes gignit, cur ſine luna non poteſt eaſdẽ facere? At verò ſi fuerit innata, cur luna vbiq. non efficit hoſce motus? maria enim ſub æquatore, morbiq. diuturni hãc lunarẽ motionẽ

Confutatio.

Luna ui arcana nõ excitat crices, æſtũque maris.

non

Digitized by Google

non ſentiunt, quam maximè deberent ſentire, quod illa ſitus, & loci commoditate, hi temporis diuturnitate magnopere videntur apti ad Lunæ influxum accipiendum. Et ſi hæc vis in luna inſita eodem ſemper modo ſe habet, nec vlli eſt varietati expoſita, cur varij ſunt dies critici, varius eſt maris eſtus? etenim licet mare multis in locis fluat ſex horis, & totidē refluat, attamē ad Ginegam Aethiopiæ horas quatuor ponit in acceſſu, octo in receſſu: ad Garumnæ fauces ſeptem horis ingreditur, quinque egreditur; & in alijs locis aliter. At quæret aliquis, ſi Luna non eſt cauſſa harum mutationum, hæ vnde exiſtunt? Quamuis in præſentiarum mihi non ſit propoſita harum mutationum cauſſæ inueſtigatio, quippe cui inſtituta eſt diſputatio aduerſus influxus, & arcanas ſtellarum virtutes; conſiliumque ſit docere, quæ ad has referuntur, ea non abſque difficultate referri, attamen ne hac in re opinio mea deſideretur, huic breuiter ſatisfacere conabor, primumque dies criticos, tum maris æſtum conſiderabo.

Dies critici qui. *Galenus* *Criſis*

Dies critici vocantur illi, in quibus criſis ſolet fieri; hæc autem cum Galeno finitore *in lib. 3. de criſibus, & in lib. de diebus criticis, alijſque in locis* ſit repentina in morbis mutatio, neceſſario tempus poſtulat, quo peragatur, quòd nulla mutatio fiat in non tempore: In ea verò nunc plus, nunc minus ponitur temporis, quoniam humores, qui naturæ mutantis actionem ſuſtinent, variam habent ſubſtantiam, horumque alij magis, & alij minus reſiſtũt: Etenim natura cum ſit, vt inquit Hippocrates *in lib. 6. Epidem.* morborum medicatrix, corporiſque incolumitatem habeat propoſitam, continenter pugnat aduerſus humores morbum facientes, omnemque vim adhibet, vt hos concoquendo ſeparet id, quod eſt vtile, ab eo, quod eſt noxium, & quò vires eius ſunt magis, aut minus validæ; & quò humor concoquendus eſt concoctu aut magis, aut minus facilis, eò breuius, aut longius eſt tempus, quod ponitur in concoctione, qua ad exitum perducta quod erat cauſſa morbi, id foras expellitur, fitque repentina ad ſalutem mutatio, quæ criſis nuncupatur.

Hippocrates. *Natura morborũ medicatrix.*

Quapropter quod criſis citius tardiuſque contingat, cauſſa eſt proportio, quæ inter naturam eſt concoquentem, & humores, qui concoquuntur; qua etiam proportione quoniam accidit, vt humorum concoctio maxima ex parte in dies ſeptimum, decimumquartum, & vigeſſimum diſtrahatur, (cum enim humorum natura ſit certa, ac definitæ ſint naturæ vires, certa, definitaque ſunt tempora, quibus concoctiones abſoluuntur) hinc factum eſt vt hi dies habiti ſint critici, quamquam nullus ferè ſit dies, in quo criſis non poſſit quandoque fieri: Et hæc de diebus criticis, de quibus Fracaſtorius *in lib. de diebus criticis* & alij Medici præſtantiſſimi nulla habita Lunæ ratione ſatis copioſe diſſeruerunt: Poſt hæc maris æſtum conſiderabimus.

Fracaſtorius.

Mul-

Multiplices maris motus conſiderantur, horumque cauſſæ exequuntur. Cap. X.

MAre multis motibus cieri adeo certum eſt, vt nulla ſit opus cõfirmatione: Et primum mare cum inſitam habeat grauitatẽ,

Maris motus varij.

ſua natura deorſum, & ad mundi medium mouetur; quare niſi impediatur ex locis altioribus ſemper in profundiora decurrit. In mari præterea alius motus deprehenditur, quo id in modum nutantis, trepidantiſque cuiuſdam rei mouetur: Huius motus meminit Ari-

Ariſtot.

Maris trepidatio.

ſtoteles *in lib. 2. meteor.* iſque à nonnullis vocatur maris trepidatio, & ab alijs libramentum, quod mare videatur in hoc motu vltro, citroque ſæpius librari. Hic motus in alto mari eſt obſcurſus, ſed vbi mare ob terræ anguſtias arcto loco continetur, ibi inſignis conſpicitur, nam vbi mare ex magno aquarum pelago in anguſtiorem locum ſeſe refert, illic coarctatum, ac veluti inuitè cohibitum aſſiduè reluctatur, nec exitum reperiens ſeſe intra clauſtra veluti fremens, ac fugã

Maris trepidationis, ſiue libramenti cauſſa.

ſemper affectans continet. Huius verò libramenti in maribus amplioribus cauſſa non in alijs, quam in ventis poſita eſt; etenim cum immenſa ſit maris moles, & æqualiter vtrinque pendens non in vnam partem magis, quam in aliã, vt in libra euenit, inclinat, quocirca mare, vbi ventis agitatum in vnam incipit moueri, ponderis æqualitate retractum in alteram partem ſtatim recurrit atque ita perpetuò alternatim. Accedit, quod flantibus ventis mare huc, & illuc variè impellitur, lateraque ipſius feriunt litora, à quibus repulſa eò, vnde ſunt pulſa, reciprocant. Recentes nonnulli putant terram par-

Opinio quorundã.

ua quadam motione cieri à cælo impertita, atque ex hac maris librationem deriuari; dum enim terra mouetur, aqua ſuum æquilibrium amittit, quo deperdito in alteram partem fluit, verum quia ob acceptum motus principium vltra æquilibrium progreditur, inde mox eandem ob cauſſam decurrit in partem oppoſitam, hoc autem continenter fit, quod aqua ſemper quærat æquilibrium, in quo ſua natura quieſcat. Atqui horum opinio falſitatis conuincitur iampridẽ

Confutat.

Seleucus.

Ariſtarch.

è ſcholis philoſophorum eiecta Seleuci Mathematici, Ariſtarchi Samij, & aliorum quorundam opinione, quæ motum terræ impertiuit, quo hæc perpetuò cieretur. Præter hos motus alij duo in mari conſpiciuntur, quorum vnus non nemini cognitus vocatur æſtus, ſiue fluxus, & refluxus; alter paulò obſcurior eſt ab ortu in occa-

Maris motus ab ortu in occaſũ.

ſum, cuius fidem faciunt nautæ; nam qui ab Hiſpania ſoluentes nauigant Britaniam verſus ad orientem Solem, plus temporis ponunt in progreſſu, quam in regreſſu. Illi quinetiam, qui ex Hiſpania ad inſulas occidentales à Columbo repertas contendunt, dies circiter

quatuor

Digitized by Google

quatuor & viginti conſumunt, quod ſi illinc in Hiſpaniam regrediã tur, tres, quatuorue menſes vix ſatis eſſe poſſunt aquis accurſantibus in contrariamque partem fluentibus: idem accidit Luſitanis, qui niſi venti fuerint ſecundi, nequeunt Bonæ ſpei promontorium ſuperare, rectumque curſum ad Indiam tenere ob maris motum in occidentem, qui quoque eſt cauſſa, vt mercatores in nauigatione ex Moabar Indiæ ad inſulam Maidegaſcar viginti dies abſumant, atq; in reditu æquali ventorum vi tres menſes diſſipent. Hæc declarant Oceanum aſſiduo, ac perpetuo curſu ex oriente in occidentem fluere. Porrò in ſinu Adriatico, & in mari Mediterraneo curſus partim eſt ab oriente in occidentem, partim contra in orientem ab occidente, nam in ſinu Adriatico ſi quis legerit oram Dalmatiæ, Hiſtriæ, & totius Illirici ſentiet mare verſus occidentem perpetuo fluere, ac deinde in intimo receſſu, vbi conditæ ſunt Venetiæ, flecti ad meridiem verſus Flaminiam, indeque verſus Apuliã ad orientem decurrere. Mare quoque Mediterraneum ab Helleſponto fluit verſus occidentem, atque hoc curſu perpetuo per vniuerſam Europæ oram ad columnas Herculeas peruenit; hinc vero per Aphricæ, Aegyptique oras verſus Syriam flectitur ad orientem: quapropter poteſt videri ſinum Adriaticum, & mare Mediteraneum ferè in orbem moueri.

Adriaticus ſinus, & mare mediterraneum in orbem ferè mouentur.

Horum motuum difficile eſt certas, exploratáſque cauſſas reddere; quod autem probabiliter dici poteſt, in medium afferemus. Cardinalis Contarenus *in lib. 2. de elementis* exiſtimat motum Oceani ab ortu in occaſum pro cauſſa habere diurnam cęlorum conuerſionem, cuius vi non ſolum ignis, & aer circunducuntur, verum etiam Oceanus. Hanc ſuam opinionem confirmat, quia cum nequeat fieri, vt aqua vi ſua hoc motu agatur, quod vni corpori ſimplici vnus, ſimplexque motus eſt à natura datus, neceſſario fit, vt is extrinſecus accedat; atqui cælo excepto nihil eſt, à quo hic motus poſſit extrinſecus Oceano impertiri. Cælum vero de huius viri ſententia hoc munus ſuſtinet qualitate à motu, & à lumine diuerſa, quæ ab eo manat continenter, quaque elementa fouentur, & mixta corpora generantur.

Contareni opinio.

Huic non antè aſſentiendum eſt, quam fuerit ab eo expoſitum, quid, & qualis ſit hæc virtus cæleſtis nunquid corpus habeat, an ſine corpore conſiſtat; & verum ſit cælitus demiſſa, an ex materiæ poteſtate educta. In his autem explicandis ſi verſari voluerit, intelliget, in quas inextricabiles difficultates ſibi ſit incurrendum.

Confutat.

Proditum eſt à Cardano *in lib. 2. de ſubtilitate* Solem ſuo motu diurno circunducere Oceanum:

Cardani opinio.

At videat hic vir oculatiſſimus, qui cæli motus poſſit ad Oceanum peruenire, qui mediam, & infimam aeris regionem nõ attingit? Enim vero ſi media pars aeris cæli motu afficeretur, ea nõ eſſet idoneus locus, in quo in nubem vapores concreſcerent, quando qui-

Confutat.

quidem ne nubes in aere ſuperiori cogantur, cauſſa ſit latio circularis, qua is circunfertur *lib. 1. meteor. cap. 4.*

Opinio propria.

Arbitror hunc Oceani motum inde exiſtere, quod partes orientales ſint occidentalibus altiores; quo etiam fit, vt Meotide, quæ plures fluuios in ſe admittit, in Pontum excurrente hic fluat in mare Aegeum, Aegeum in Siculũ, & hic in Tyrrhenum atque Sarduum, eſt enim Pontus Meotide profundior, Ponto Aegeum, Aegeo Siculum, omnium vero profundiſſima Tyrrhenum, atque Sardoum *lib. 2. meteor. cap.* 1.

Adriaticus ſinus, & mediterraneũ mare cur quaſi circulo moueantur.

Porro quod Adriaticum, & Mediterraneum quaſi circulo moueantur, in id fortaſſe eſt conijciendum, quia cum hæc maria nequeãt vltra progred. verſus occidentem terris, à quibus concluduntur, prohibentibus inde, orientem verſus coguntur regredi; & quamuis Mediterraneum per fretum Gaditanum influat in Oceanum extra Herculis columnas, ea tamen eſt freti anguſtia, vt aquam non excipiat vniuerſam in occidentem progredi contendentem; qua de re fit, vt hæc retrocedat, & per Aphricæ, Aegyptique oras ad orientem recurrat. Sequitur alter motus, qui vocatur æſtus.

Poſſidon. Maris æſtus triplex.

Poſſidonius Strabone referente *ſub exitum lib. 3. Geographiæ* tradidit maris æſtum triplicè eſſe diurnum, menſtruum, & annuum; mareque non ſolum ſingulis diebus fluere, ac refluere, verum etiam ſingulis mẽſibus, ſingulíſque annis bina incrementa, binaque decrementa ſuſcipere, nam à coitu Lunæ cum Sole vſque ad dimidiam creſcentem reſidere, inde ad rotundam Lunæ figuram intumeſcere, mox ad dimidiam decreſcentem detumeſcere, poſtmodum vſque ad coitum tumere:

Aeſtus mẽſtruus.

& a Solſtitio æſtiuo ad æquinoctium autumnali imminui, tum ad ſolſtitium hybernum attolli, deinde ad vernum ęquinoctium reſidere, & rurſus inde ad æſtiuum ſolſtitium augeri.

Aeſtus annuus.

Verum hi duo æſtus poſteriores, quod dubij, incertique ſint, pro nihilo ſunt habiti à maris contemplatoribus, qui omnem ſuam operam poſuerunt in primo, qui ſingulis diebus cernitur. Hic non eſt vnus, & ſimplex motus, ſed duplex, ex duobuſque contrarijs motibus coaleſcens, quorum alter vocatur fluxus, & acceſſus, alter refluxus, & receſſus. Idem non vbique apparet, neque eſt vnius modi, nam in Oceani Sur litore boreali, in liguſtico mari, atque in Mediteranneo iuxta Galliam Narbonenſem nullus æſtus eſt deprehenſus, in Poritanico eſt vehemens, in Adriatico inſignis, in plaga Indica ſecundum Gangis, Indique fauces magnus, & in Erithreo tantus, vt diuinarũ literarum calumniatores ſcripſerint Moyſem in ſuo populum Hebræum tranſmiſiſſe nactum refluxionis occaſionem; ſed mentiuntur, quoniam ad Sues vſque quod iacet in intimo receſſu, litus à mare obtegitur, nec vnquam ſic detegitur, vt Hebræis aditus eſſe potuerit illac tranſeuntibus. Hic motus quid habeat pro cauſſa tam arduum eſt aperire, quam quod maximè; &

cum

Digitized by Google

cum multa à multis ſint dicta, in his multæ ſunt ineptiæ, multæque nugæ. Ego, vt dicam liberè, quod ſentio, nihil habeo, cui penitus aſſentiar, attamen cum influxuum amatores hunc motum exiſtimēt ſuam opinionem magnopere confirmare, aliquid dicam, eamq; conabor afferre explicationem, quæ paucioribus coniuncta ſit difficultatibus, & à ratione, ac probabilitate minus diſſentanea. Maris æſtum non eſſe prorſus referendum ad motorem internum nemo ut arbitror, ſibi perſuadebit, qui ex Platone & Ariſtotele intellexerit id, cui motus principium intus eſt, & ex ſe ipſo, id habere animam, quam nefas eſt mari tribuere. Nec vero præter animam alia forma eſt inducenda, quæ ſit integra huius Marini Motus cauſſa, nā hic, qui ex contrarijs motibus coaleſcit, atque in ſe varius eſt, ac multiplex, nequit fieri, ut à ſimplici, & interiore principio fluat, quod ſemper vno motu, eodemq; modo mouet. Reſtat igitur, ut hic motus mari ſit aut omnino aduentitius, & extrinſecus accedens, aut partim ex interiori, & partim ex exteriore principio pendeat.

Maris æſtus cauſa non eſt motor internus.

Adelandus, quem Ioannes Franciſcus Picus *in lib. 5. de rerum prænotione cap.* 4. putat fuiſſe Ammonij auditorem, ſtatuit huius Marini Motus principium partim intus, partim extra poſitum; atque fluxum principio interiori, & refluxum principio exteriori eſſe attribuendum; etenim ex Saracenorum opinione cauſſam hanc narrauit, & probauit. Cùm partes Oceani ob terras interiacentes ſint loco diſcluſæ, concurrere geſtiunt, quòd vniuſcuiuſq; elementi partes ad ſuam integritatem naturali propenſione ferantur, accedentes igitur ſcopulos, & litora feriunt, atque obiectu repulſæ pariter retrocedunt.

Adelandi opinio.

Saracenorũ opinio.

Hāc opinionem, quæ Ioanne Pico *in lib. 3. aduerſus Aſtrologos capit.* 11. videtur non magnopere abhorrens à veri ſimilitudine, cur probem nihil habeo, nam ſi vera cauſſa eſſet reddita, Oceanus hoc motu careret; nec ſine hoc motu aquæ à ſua vniuerſitate diſiunctæ, mariaq. nonnulla conſpicerentur: Nec prætera in aquæ partibus inſita eſt propenſio, qua à ſua vniuerſitate diſcluſę ad hanc moueantur, quoniam vniuerſus earum impetus naturalis eſt ad locum ſuæ naturæ congruentem, à quo ſi earum vniuerſitas dimoueretur illę non ad hanc, ſed ad illum ſua vi contenderent atque id fuit ſignificandum in lib. 2. de cælo 100. vbi cum accidat idem eſſe terræ medium, & vniuerſi, per accidens ad terræ medium mouentur terræ partes, quæ per ſe, ſuaque natura feruntur ad medium vniuerſi tanquam ad locum ſuæ naturæ accōmodatum.

Ioānes Picus.

Reprehenſio.

Mihi illa opinio videtur cæteris ſimilitudine veri præſtare, quæ ſtatuit Marini æſtus principium penitus extra poſitum eſſe, atque hoc non cælitus demitti, ſed in ventis, & ſpiritibus conſiſtere: Verùm cùm hi & ſubter, & ſuper mare poſſint fungi hoc munere, non eſt vna, & eadem in omnibus ſenten-

Opinio probabilior.

ſam Euripi Chalcidici, in qua exquirenda nonnulli tradiderũt Ariſtotelem tædio confectum obijſſe, locumq. prouerbio dediſſe, Ariſtoteles non habet Euripum, Euripus habet Ariſtotelem, nam in anguſtis, flexuoſiſq. illis locis magna eſt vis ventorum, & halituum, quippe qui ſint multis cauernis anfractuoſi, & idonei, de quibus multi ſpiritus efferantur, quibus flantibus aquæ in terram, & in litora aduerſa compelluntur, quæ inde pulſæ retrocedere cogũtur, atque hoc modo ſæpius eadem die fit maris reciprocatio. Accedit fluctus Aegei in anguſtias compulſos litora percutere, & ab his reſilientes, atque in Cycladas inſulas impingentes illuc iterum regredi, ac veluti in orbem moueri. Sed & ex his, quæ dicta ſunt, ratio poteſt intelligi, cur maria nonnulla æſtum non patiantur, nam in his non tot halitus, ventiq. generantur, quot poſſunt æſtum concitare: quæque fieri quoque poteſt; vt aquarum raritas aditum præbeat facilem ſpiritibus ſuperna petẽtibus & in maribus quibuſdam vaſtitas, & litorum ſubmotio tollat ſpeciem progreſſionis, & regreſſionis. Sed hactenus de maris æſtu, in cuius diſquiſitione ſi animum veſtrum non pænitus expleui, (nam & mihi non prorſus ſatisfacio) ſaltem effeci, vt intelligeretis præter influxus, & arcanas ſtellarum vires non deeſſe cauſſas non pænitus improbabiles, in quas fluxus, & refluxus maris poteſt referri. Sed de influxibus hæc fortaſſe copioſius, quàm poſtulabatur, quòd hi à uiris doctiſſimis iampridem fuerint exploſi, hisque temporibus in Ariſtotelis ſchola nullos habeant claros ſectatores, ac defenſores.

Illorum opinio conſideratur, qui putarunt Cælum motu, ac lumine agere in rerum mortalium vniuerſitatem. Cap. XI.

PEripateticorum plerique conſentiunt cælum & ſui corporis motu, & ſtellarum lumine rebus caducis vitam, & incolumitatem afferre. Nunquid verò ex motu, an ex lumine fructus vberiores percipiantur, inter ſe diſſentiunt, & alij ſtant à lumine, ſine cuius caliditate nihil in mundo aut gigni, aut conſeruari poteſt, & alij motionis partes tuẽtur, & cur tueantur, hanc rationem reddunt: Anima cęli plus virtutis habet, ac efficacitatis, quàm eius corpori fuerit conceſſum: ergo cum motus fluat ab anima, quæ eſt natura cęli, & lumen ſit corporis affectio, ille gignendis rebus ampliores præbebit vtilitates, quam hoc poſſit afferre. Huic rationi altera poteſt adiungi, quæ eſt: Res naturales eatenus in natura conſtant, quatenus motu cientur, poſſuntq. moueri, quòd eis motus ſit veluti vita quędam *initio lib. 8. phyſ.* atqui quoniam cælorum motus eſt fons, ac principium omnium mutationum, quibus mortalia corpora aguntur. *lib. 1. Meteor. cap. 2.* eoque ſublato hæ omnes ſunt ruituræ, profecto

Cælum numquid motu, an lumine agat magis

Motus ueluti vita ijs, quæ natura conſtãt

ad hæc caduca conſeruanda atque ad finem ipſis a natura propoſitum diducenda plus momenti datum eſt cælorum motui, quàm aſtrorum lumini.

Lumen ſit ne maioris authoritatis, quod à Sole effunditur, an quod à ſtellis fixis.

Controuerſantur præterea Ariſtotelici, nunquid ex Sole, an ex ſtellis fixis lumen fructuoſius effundatur. Plerique primas partes tribuunt Soli, quo primi orbis motu circumlato perpetua dierum, ac noctium viciſſitudo efficitur, circulum obliquum peragente æſtates, & hyemes exoriuntur, ac reliquæ duæ anni varietates quodammodo ex hyemis frigore, & æſtatis calore temperatæ; & ad punctum ſupra verticem capitis noſtri in cælo poſitum accedente terra herbis, & floribus tegitur, arbores iuueneſcunt, & animalia amoris ſtimulis concitantur; atque ab eodē recedente terra horreſcit, arbores ſeneſcunt, & animantes ad amplexus venereos tardè mouentur.

Cauſſa quòre motor eſt ab eo, quod ſit eo amplioris eſt authoritatis.

Alij inerrantium ſtellarum cauſſam defendunt hoc argumento freti: Ex cauſſis, quæ ſpecie differentes ad idem effectum producendum vna conueniunt, quæcunque à re, quæ oritur, procul diſiunctæ ad principem cauſſam proximius accedunt, hæ ampliorem, & magis neceſſariam vtilitatem afferunt; contra quæcunque rem, quæ cadit in generationem, attingentes, vel ad hanc proximè accedentes à cauſſa ſuprema longius abſunt, hæ rerum ortui minores præbent vtilitates, & in hoc conſpirat omnium philoſophorum conſenſus: cùm igitur orbis, in quo ſtellæ inerrantes ſunt infixæ, multò coniunctior ſit primæ cauſſæ, primoque motori, qui ab Ariſtotele *ſub exitum lib. 8. phyſicor.* poſitus eſt in extremo huius vniuerſi orbe, longiusque abſit à rebus caducis, quàm Solis globus, neceſſariò colligitur iis, quæ natura conſtant, gignendis fixarum ſtellarum lumen plus afferre vtilitatis, quam lumen à Sole effuſum.

Obiectio. *Reſponſio.* *Ariſtoteles.*

Quòd ſi quiſpiam obijciat inerrantes ſtellas lumen Soli acceptum ferre, reſpondent id inficiantes, nam cum fixarum ſtellarum orbis ſit Solis orbe præſtabilior, atque vt inquit Ariſtoteles *in libro ſecundo phyſicorum.* 45. omnium eorum, quæ ſenſibus patent, diuiniſsimus; & naturam præſtantiorem affectiones præſtabiliores ſequantur, exiſtimandum eſt hoc cælum, vt reliquis cælis motus celeritate, & virtutis efficacitate anteit, ita eiuſdem luminis amplitudine antecellere, & quemadmodum eis tribuit motum, ſic quoque lumen impertire. Cauſſam verò, cur ſtellarum

fixa-

fixarum lumen non ita clarè viſu accipiatur vti Solis lumen, eam inquiunt eſſe, quòd à noſtris longiſsimè diſtet, & quòd in ſtellas ferè infinitas tanquam in partes ſit diſtributum, cùm lumen Solis ſit nobis multò propinquius, & in vnum collectum non ſit diuulſum, neque diſiectum.

Hæc opinio in eo, quòd tribuit lumini vim efficiendæ caliditatis, ſtatuitque cælum ſuo lumine hæc caduca calefacere, & calefaciendo ad rerum omnium generationes conducere, etſi omnium Peripateticorum animos oppleuerit, ſitque vetus, ac peruagata, maximis tamen abundat difficultatibus, quas, quantum in me fuit, perſequutus ſum in diſputatione de lumine; in qua docui lumen non per ſe, ac vi propria calefacere, ſed per accidens, & qua ex parte aeri illuminato ignis eſt admixtus, qui per hanc inferam mundi partem longè, lateque diffuſus cæli motione diſiectus, & deiectus in eo tanquam naturæ ſuæ cognato mirificè conſeruatur.

Lumen nõ calefacit vi propria. Lumen ut calefaciat.

Cùm verò Sol ſuo lumine omnia luſtret, ac compleat, hinc fit, ut hic exiſtimetur primus huius inferioris uniuerſitatis moderator, & præcipuus pater generationis.

Nec illorum argumentatio multum vrget, qui ſentiunt ſtellas inerrantes eſſe maioris efficacitatis in rebus gignendis, quoniam cum doctrina Peripatetica non cohæret Deum eſſe primam cauſſam effectricem, à qua reliquæ omnes cauſſæ effectrices ſic vim agendi mutuentur, ut illæ maioris ſint virtutis, & efficacitatis, quæ ipſi propinquiores longius abſunt ab eo, quod efficitur; ſed fert Ariſtotelis opinio vniuerſum cælum eſſe primam, communemque cauſſam generationis effectricem, ſingulaſque ſtellas cælo inhærentes tanquam huius partes ad res gignendas ſuam quidem operam conferre, cæterum Solem, qui ſumma luce præditus eſt, ob cauſſam nuper à nobis expoſitam reliquas omnes anteire.

Deus non eſt prima cauſſa effectrix.

Cælũ prima, cõmuniſq. cauſſa generationis effectrix.

Nec quicquam facit, quòd cælum, in quo ſtellæ inerrantes poſitæ ſunt, ſit reliquis diuinius, (quamquam id minimè intelligatur ex lib. ſecundo phyſic. 45. vbi hoc diuiniſſimi attributum non præcipuè huic cælo, uerum omnibus communiter tribuitur, ſed ex libro ſecundo. de cælo 66. vbi quod vnica actione id, quod optimum eſt, conſequitur, eſt preſtabilius eo, cui multæ

Cælũ ſtellarũ fixarum reliquis diuinius.

multæ actiones ſeruiunt, & ſphæra ſtellarum fixarum vnam adhibet motionem ad bonum conſequendum, & Solis ſphæræ multas, ac diuerſas) quoniam cùm cæleſtia corpora non ſint propter rerum caducarum adminiſtrationem per ſe primùm comparata, non eſt, vt ex his illud exiſtimetur nobilius, cui maior credita eſt rerum mortalium curatio.

Cælum motu tantùm agit in mortalem vniuerſitatem; huiuſque actionis modi explicantur. Cap. XII.

Ariſtoteles. *Ariſtarchus, Heraclides, Nycetas, Philolaus.* *Nicolaus Copernicus.* *Cæli motu quo modo regatur caduca vniuerſitas.* *Prima opinio.* *Confutatio.* *Altera opinio.* *Confutatio.* *Valeſij opinio.* *Confutatio.*

LVminis caliditate euulſa, & influxibus profligatis reſtat, vt ſolo motu in has caducas mundi partes cæli vis propriè ac per ſe immittatur. Id arbitror Ariſtotelem ſignificaſſe, cum ſcripſit *in lib. 1. Meteor. c. 2.* Mundũ hunc inferiorẽ eſſe ſuperiorum corporũ lationibus continuatum, vt inde vis eius vniuerſa regatur. Quo in loco cautè vſurpauit vocabulum lationibus, vt innueret cælos ſuis motionibus ſolis regere mortalium vniuerſitatem. At cælos quidem moueri, niſi ſenſus teſtimonium faceret, multis argumentis poſſet confirmari aduerſus Ariſtarchum Samium, Heraclidem Pontium, Nycetam, & Philolaum, quos ſequutus eſt Nicolaus Copernicus, qui contra ſentientes cælum ſtare, & terram moueri tradiderũt; ſed hac abſurda opinione reiecta ſtatuamus cælum in orbem moueri idque ſenſui manifeſtis Chaldeorum, Aegyptiorum, Græcorum Arabũ, & Latinorum obſeruationibus ſatis abundè fuiſſe confirmatum, exiſtimemus. Qua verò ratione à cæleſtibus motionibus regantur hæc noſtratia, poſitum eſt in controuerſia. Plerique autumant cæleſtes motus agere in hæc caduca, quoniam his lumen defertur, horumque opera caliditas à lumine fluens per cũctas orbis caduci partes diffunditur, & cum his communicatur: verum extincta luminis caliditate, concidat hæc opinio, eſt neceſſe. Probatum eſt alijs cæleſtium corporum lationes rerum caducarum generationibus, mutationibusque conducere, quia plurimum faciunt ad ſitus aſtrorum mutationem, ex qua fit, vt ſtellis vario ſitu inter ſe diſpoſitis earum vires, & lumina varijs, miriſque modis temperentur, & effectiones permutentur. Cæterum ſic contra vires ſtellarum arcanas & à viris clariſſimis, & à nobis fuit diſputatum, vt hæ pluribus non ſint refutandæ. Valleſius *in cap. 31. ſacræ Philoſophiæ.* ſentit cælum ſuo motu in hæc inferiora virtutes quaſdã admirabiles immittere, quibus hæc omnia mouet, rationemque ſuſtinet cauſſæ effectricis omniũ mutationum, quæ penes nos hic efficiuntur. Sed huic illud negotium facit, quòd cum hæc noſtratia cæleſti motu non agantur, arduum eſt intellectu, quo modo cælum ſuo motu poſſit in hæc vllam virtutem

immit-

immittere. Rurſus hæ virtutes aut de nihilo producuntur, aut ex materia educuntur: Non eſt, vt de nihilo exiſtant, quòd conſentiant omnes phyloſophi nihil fieri, niſi aliqua materia ſubijciatur: ſin verò ex materię fluant poteſtate, cum hæc materia nihil aliud eſſe poſſit, quàm aut cæleſte corpus, aut ignis, aut ſumma pars aeris, quando quidem hæc ſola motu cæleſti aguntur, quo pacto hæ virtutes poterunt his noſtratibus eſſe cauſſæ, quibus permutentur? Quòd ſi dixerit has virtutes motu gigni, motuque ad nos demitti, eum rogabo, nunquid per ſe ſolæ, an cum aliquo corpore delabantur; ſi reſponderit per ſe ſolas deferri, non erit ferendus, quòd accidens omne à ſuo ſubiecto ſit inſeparabile, neque ex hoc in alterum poſſit demigrare: At ſi virtutibus his corpus aliquod dederit, ſi huius corporis vim, & naturam voluerit aperire, intelliget ſe in multas labi difficultates, quas, nõ eſt, vt perſequamur, quòd huius corporis natura ignoretur.

Opinio propria.

Ego arbitror de ſententia Ariſtotelis tres ob cauſſas cæleſtem motũ eſſe aptiſſimum inſtrumentum, quo ijs, quæ cæli ambitu cohibentur, proſpicitur; Vna eſt, quoniam omnis motus, qui in caducis corporibus cernitur ex motu cæleſti pendet; quapropter quoniam motus eſt veluti vita quædam ijs, quæ natura conſtant *initio lib. 8. phyſ.* cælorum conuerſiones, ex quibus omnes corporum caducorum motus pendent, magnam, neceſſariamque vtilitatem præſtabunt rerum mortalium ſaluti, & incolumitati. Altera eſt, quoniam cęlum motu miniſtrante cauſſa eſt efficiens generationis, facitque vt elementa viciſſim inter ſe mutentur, atque ex his mixta omnia generentur. Cæleſtes conuerſiones eſſe cauſſas mortalium generationis effectrices nos docuit Ariſtoteles *ferè ſub exitum lib. 2. de gen. & int.* vbi quoque hinc euenire concluſit, vt in his mortalibus generatio, & interitus nunquam deficiant, quando quidem Latio cęli orbicularis, quæ cauſſa eſt ortus, & interitus, nullo vnquam tempore ceſſat. Adiũxit hinc præterea effici, vt ea, quæ in ſeſe ſecundum primas qualitates tranſmutantur ceu corpora ſimplicia circularem lationem imitẽtur, nam cum ex aqua gignitur aer, & ex aere ignis, & rurſus ex igne aer, & ex aere aqua, in orbem fit generatio, quia rurſus eodem redit, & reciprocat: quare elementorum recta mutatio fit continens & nunquã ceſſat circularem imitata lationem, quæ ſola eſt verè continens, atque perpetua. Ex his quinetiam voluit, vt id nos intelligeremus, de quo nonnulli dubitarunt, ecquid ſcilicet ſit, cur elementis proprium locum occupare feſtinantibus non facta ſit iampridẽ eorum à ſe inuicem diſiunctio, eaque ſeorſum ſeparata, & diſiuncta non adhuc fuerint ſuis locis omnino reſtituta, nam huius rei cauſa eſt reciproca elementorum mutatio; enimuerò ſi vnumquodque maneret in ſua regione ſimiliter ſe habens, & immutabile, omnino tempore infinito

Generatio & interitus cur nũquam deficiant.

Elementa cur nõ ſint penitus à ſe inuicem diſiuncta.

tandem eſſent perfectò diſiuncta; verum id nequit fieri propter aſſiduam, & perennem ipſorum in ſe inuicem mutationem, cuius cauſſa eſt ſempiterna cæli conuerſio. At aliquis dubitaret, ſi cæli quieſcerent, & elementa conſeruarẽtur, nunquid in his locus ſit futurus mutuæ generationi, & corruptioni; nam ſi ſtatuatur hæc in nullam mutationem incidere, ſua natura erunt ſempiterna, neque quod ſint, cœleſtibus motibus erit tribuendum; ſin verò ponatur viciſſim inter ſe mutari, nihil erit opus varias, & multiplices inuehere cælorum motiones, quæ in his generationem, & interitum efficiant. In hac dubitatione explicanda varia eſt clariſſimorum virorum ſententia D. Thomas *in quæſt. 5. de potentia Dei art. 8.* ita ſentit: Actionum, quas corpora caduca ex ſe fundunt, duplex eſt diuerſitas, nã aliæ ſequuntur corporis naturam; atque his corpora ab alijs motum accipientia mouent, mutantque materiã ſuæ affectioni ſubiectam; & aliæ fluunt à corpore, qua ex parte particeps eſt præſtabilioris, diuiniorisque naturæ; atque hæ non in materiæ mutatione conſiſtunt, ſed in ſpiritali formarum propagatione, qua hæ excitantur in medio, vt mox ſenſibus, ac mente imprimantur; atque huius generis actione Sol aerem illuminat, & colores ſuas ſpecies diffundunt per corpora actu perſpicua. Omnes hæ actiones ex cælo ſanè pendent, verum non eodem modo, nam quæ ſunt generis prioris, fulciuntur à motu, & quæ poſterioris, à lumine. Si igitur è cælo lumen, ac motus tollantur, vniuerſæ corporum caducorum actiones ruant, eſt neceſſe; ſin lux ſeruetur in cælo, & motus deſtruatur, mortalia corpora ſuas quidem ſpecies in medio excitabunt, ſed nulli mutationi erunt obnoxia. Huius hæc eſt ratio: Prima cauſſa ab eo, quod efficitur, ſuam actionem reuocante ab eodem cauſſa ſecunda ſuam actionem retrahat, oportet, quando quidem cauſſa ſecunda, quòd agat, primæ fert acceptum, quæ agendi vim cuique cauſſæ ſecundæ impartit; at cælorum motu ablato actio mentis ſeparatæ, cauſſæque primæ ab his caducis remouetur; non igitur in his cauſſæ ſecundæ vllum motum poterunt efficere. Alij eiuſdem opinionis ita argumentantur: Primum in quocumque genere cæteris, quæ illius ſunt generis, cauſſa eſt, cur ſint, & quod ſequitur, illo ſublato nullus hic erit locus in rerum vniuerſitate: cum igitur cælorum motus ſit prima motio *lib. 8. phyſ. t. 75.* planeis ſi non ſit, nec reliqui erunt motus, & reliquæ mutationes. Scotus *in lib. 2. ſent. diſt. 14. quæſt. 3. Durandus in lib. eodem diſt. 15. quæſt. 3.* Conimbricenſes *in com. in lib. 2. de Cœlo.* & alij contrariam opinionem tuentur, quam ita confirmant: In his corporibus caducis à cælorum influxibus multa efficiuntur, quæ nullo pacto pendent ex motione cæleſti; ergo hac ceſſante, & illis manentibus integris multa poterunt in caduca rerum vniuerſitate generari. Adiungunt quidam in-

Cæli ſi quieſcerẽt an locus ſit mutuæ elementorum generationi, & corruptioni.

D. Thomæ opinio.

Actionum duplex diuerſitas.

Cauſſa prima non agente cauſſæ, quæ ſũt deinceps, nõ agunt.

Primo alicuius generis ſublato reliqua illius generis deſtruũtur.

Scoti, Durandi, & Conimbricẽſium opinio.

fluxibus

influxibus auulſis, & cæli motu ſublato, atque lumine extincto ſe nullam cauſſam perſpicere, cur reliquæ omnes mutationes prorſus cadere ſit neceſſe; nam quid poteſt eſſe impedimento, ne ignis calefaciat, vratque lignum ſibi contiguum? Quòd ſi hos interrogemus, quas præbeat vtilitates cælorum motus, reſpondent hunc facere tum ad ortus, & interitus viciſſitudinem, quippe cuius miniſterio Sol propè accedens ſuo calore parit ortum, & longè digrediens eſt interitus cauſſa: tum etiam ad temperandos, apteque diſpertiendos influxus, à quibus omnium ferè mortalis vniuerſitatis mutationum cauſſæ, initiaque ducuntur. Alexander Simplicio *in lib. 2. de cælo com.* 12. recitante duobus modis propoſitam dubitationem explicauit: Vnus eſt: Cælorum conuerſiones non efficiunt, vt elementa a ſe viciſſim generentur, ac deſtruantur, ſed horum ortui, & interitui tribuunt ordinem, ſine quo nec elementa, nec horum mutationes poſſunt diu conſeruari, in rerumque natura conſtare: Alter eſt: Cum omne, quod gignitur, nō ſolū ex aliquo, ſed etiam ab aliquo fiat, quòd in omni generatione oporteat & aliquam materiam ſubijci, & aliquā cauſſam effectricem intereſſe, hinc fit, vt elementa per ſe ſola ſatis eſſe nequeant ad mutuam inter ſe mutationem, & reciprocam generationē, ſed aliquam efficientem cauſsā expoſtulent, vnde ſit primum principium motus, quę cauſſa cum ſit motus corporis cæleſtis, relinquitur compreſſa cæli motione elemēta nullam mutationem eſſe acceptura. Porrò cæli motus eſt cauſſa efficiens mutuæ elementorum mutationis, quoniam eius efficientia elementa, quæ proprijs in locis manentia à ſe procul ſunt abiuncta, fiunt propinqua, ſimulque miſcentur; ex quo fit, vt ſeſe tangentia viciſſim agant & patiantur. Ego in huius dubitationis explicatione puto Alexandrum habuiſſe Ariſtotelis ſententiam, iuxta quam exiſtimo cæli motum non ſolum eſſe cauſſam ordinis, qui cernitur inter ortum, & interitum, ſed etiam fontem, & principium eſſe, ex quo pendent omnes corporum caducorum mutationes, ac propterea cæleſti motu ex hac vniuerſitate ſublato ad exitium omnes rerum caducarum mutationes eſſe præcipitaturas: & vt ita exiſtimem, non ſolum facit influxuum eiectio ex Ariſtotelis doctrina, in quibus ſitum eſt fundamentum eorum, qui ſentiunt motu cæli compreſſo locum eſſe futurum reliquis mutationibus; verum etiam hæc compulerunt: Cum motor bipartitò diuidatur, & alius ſit primus, alius ſecundus; ſi primus non moueat, nec ſecundus poteſt mouere *lib. 8. phiſ.* 37. atqui cælum cum ſit primus motor, primuſque efficiens, planè quoniam cælum eatenus mouet, quatenus mouetur, conficitur, vt cælo manente immoto nihil in his caducis moueat, ac moueatur. Præterea

Alexādri opinio.

Authoris ſententia.

Prima ratio.

Secunda.

Tertia.

cauſſa generali otioſa exiſtente particularis cauſſa nõ poteſt aliquid muneris exercere, quod cauſſarum ordine eſſentiali inter ſe diſtributarum ea ſit lex, vt cauſſa, quæ eſt inferior, nequeat quicquam agere; niſi & ſuperior ſuam adhibeat efficientiam: cælum igitur, quod eſt cauſſa generalis, ſi non moueatur, & moueat, caduca efficientia, quæ ſunt cauſsæ particulares, nec mouere poterunt, nec moueri.

Quarta. Rurſus cælum non ſecus eſt primum efficiens, ac materia ſit primum patiens; ſed omnia quæcunque patiuntur, quòd patiantur, per materiam conſequuntur; ergo & quæcunque mouent, ac efficiunt, quod moueant, & efficiant, ex cælo conſequentur. Poſtremò cum Ariſtoteles ſcripſerit *in lib. 8. phyſ. 56.* nullum motum, nullamque mutationem eſſe poſſe, ſi continuus is motus, quo mouet primum mouens immobile, quique eſt cæli motus, auferatur; atque

Quinta. voluerit *in lib. 1. meteor. cap. 2.* motum cæleſtem eſſe principium omnium mutationum, quibus elementa, caducaque corpora cientur, profectò ſi cælum comprimeret curſum, nullus motus in elementis caduciſque corporibus cerneretur. Optima igitur ratione ſcriptum eſt in loco proximè recitato hunc mundum inferiorem cæleſtium corporum motibus eſse quodammodo continuatum, ut omnis eius

Plato. Homeri aurea catena. virtus ab illis regatur: & Plato in Theæteto auream Homeri catenam interpretatus eſt ſignificare Solis, & cæli circuitum, quo perſeuerante omnia tam Deorum, quam hominum aſseruantur, & quo quaſi ligato ſtante cuncta diſsolui, atque euenire, quod dicitur, ſurſum, deorſum omnia eſt neceſse. In eandem quoque ſententiam A-

Auerroes. uerroes *in lib. 4. phiſ. com. 98.* ſcripſit, ſi poſset fieri, vt cælum quieſceret, fieri quoque poſset, vt in nullam incideremus mutationem.

Motus ueluti vita ijs, quæ natura conſtant. Hic præterea cæleſtem motum ſic magni fecit, ut *in lib. 8. pyſ. comm. 47. in lib. de ſubſt. orbis cap. 4. & in diſput. 1. in fol. 11. dub.* aſseuerauerit eo deperdito cælum, & mundum diſruptum iri. Nec ab re ſi credimus Ariſtoteli ſtatuenti *initio lib. 8. phiſ.* motum eſse veluti vitam ijs omnibus, quæ natura conſtat; nam ſi ablata vita id, cuius eſt vita, deſinit eſse, quis non putet eodem modo ſi motus ijs, quæ conſtant natura, auferatur, hæc vlterius non eſse futura? Et cum motus ſit proprietas, quæ naturam ſic comitatur, vt neque ipſa ſine natura, neque natura ſine ipſa poſſit manere, quis non ſentiat cæleſti motu deperdito fore, vt cælum, & quæ à cælo continentur, intereant, in nihilumque redigantur.

Moyſes Aegyptius Cæli motus ſimilis motioni cordis. Id ſanè perſuaſum fuit Moyſi Aegyptio, à quo *in lib. 1. eius operis, in quo eſt dux dubitantium, cap. 71.* traditum fuit cæli motum in vniuerſo gerere ſimilitudinem motionis cordis in animali, nam vt hac cohibita omnes reliqui motus cohibentur, & animal interit, eodẽ modo cæleſti motu ſublato omnes reliquos motus deperdi, & mundum diſsolui oportet. Tertia cauſsa, pro-

pter

Digitized by Google

pter quam motus ſeruit cælo in rebus caducis adminiſtrandis, eſt, quia cælum ſuo motu ignem ſibi proximè ſubiectum pellit deorſū, cuius caliditas magnum habet momentum ad res caducas gignendas, & conſeruandas. Hunc ignem diſijci, & ad hæc loca depelli non ſolum Ariſtoteles ſtatuit *in lib. 1. meteor. cap. 4.* & ſignificauit in ſect. 25. probl. 20. vbi ſcripſit aerem non pueraſcere, quod igne ſit refertus; ſed id quoq. poteſt eſſe argumento, quoniam ſi ignis cælo proximè ſubiectus conſtanter ſuo in loco maneret, neq. ad infera loca vnquam deſcenderet, ſequitur, vt elementum præſtantiſſimum minus vtilitatis ex ſe fundat, quam cætera elementa, ſitque ferè ſuperuacaneum. Etenim elementa huic vniuerſitati duo afferunt commoda præcipua, ob quæ in naturæ theatro locum inuenerunt, vnum eſt, quia conſtituunt vniuerſum; alterum, quia mixtis gignendis materiam ſuppeditant. Vniuerſum conſtituunt à ſe diuulſa, & proprijs in locis manentia; qua de re grauitate, ac leuitate fuerunt donata, nam harum qualitatum momentis locos familiares petunt ſurſum, aut deorſum pergendo: Rerum mixtarum fiunt materia viciſſim agentia, & patientia, in vnamque naturam coeuntia; & huius gratia primis qualitatibus fuerunt affecta, quæ ſunt affectionis, & perpeſſionis miniſtræ: Atqui ſi in Lunæ concauo ignis perpetuò moraretur, nec vnquam illinc abſcederet, nullam ſuggerens materiæ copiam ad mixta generanda, minoris eſſet momenti, quam cætera elementa, & vniuerſitati non valde magnam præberet vtilitatem. Ignis porrò ex proprijs finibus eiectus, & ad inferam mundi partem deſcendens omnes huius globi terram & aquas ambientis partes permeat, ſuamque vim beneficam longè, lateque diffundit.

Ignis cælo ſubiectus cur deorſ deiiciatur

Elementorum vtilitates duæ.

Aſtrologorum opinio caduca omnia cælorum, Stellarumque efficientiæ ſubijci aſſeuerantium recitatur. Cap. XIII.

CAelum agendi vi præditum eſſet, atque naturæ theatro influxibus interdicto, lumineque poſthabito vnius motus miniſterio omnem cælorum poteſtatem ad caduca transferri hactenus demonſtrauimus, nunc illud nobis propoſitum eſt, vt quæ cæleſti affectioni ſubiecta ſunt, deinceps aperiamus; his autem explicatis id omne, quod nobis initio propoſuimus, finem, ac terminum habebit; exordiemur autem ab Aſtrologorum opinione, quę ab Aethiopibus deriuata, qui omnium primi, vt ſcribit Lucianus in defenſione Aſtrologiæ, cælum, & aſtra ſunt contemplati, quod incolerent regionem, cui perpetua eſt cæli ſerenitas, quæque nullas patitur anni varietates, & ab Aegyptijs, ac Chaldeis amplexata multorum animos oc-

Aethiopes Lucianus

Aegyptii. Chaldæi.

cit; Habet tamen propter illuſtrationem Solis etiã calefaciendi communicationẽ. Saturni ſtella maximè frigidifica eſt, ſed & non nihil arefacit, quod vt veriſimile eſt, & à Solis calore, & terræ humiditate longiſſimè diſtat. Cæterum & huius ſtellæ, & reliquarum vires exquiruntur etiam de obſeruatione cõfigurationum ipſarum cum Sole, & Luna; nam ſecundum illas alias aliter pro intenſione, & remiſſione circũfuſi nobis cæli modũ conſtituere manifeſtũ eſt. Stella Iouis temperatæ naturæ eſt; media.n. fertur inter frigidicam Saturni, & æſtuoſam Martis, calefacit autem, & humectat, ſed quia calefaciendi vis præcellit, ideo fæcundi ab illa venti excitantur. Martis ſtella & arefacit, & vrit, ſicut congruit igneo ipſius colori, & vicinitati Solari, cum ſubiectus illi ſit orbis Solis. Stella Veneris eoſdem habet effectus, quod quidem ad temperationem attinet, quos Iuppiter, ſed ratio eſt diuerſa, nam quod vicina eſt Soli, nonnihil calidifica eſt, ſed multò vehementius humectat, quemadmodum & Luna, propterea quod ingenti luce prædita attrahit exhalationem humidam à proximis terræ locis. Mercurij ſtella ferè quidem non minus aliquando arefacere, quam humores abſorbere, propterea quod non valde longè à Sole recedat; aliquando tamen & humectare deprehenditur, cum ſuperpoſita ſit terræ lunæ orbi proxima; ſubitarum autem mutationum in vtramque partem effectrix eſt inflata quaſi celeritudine comitatus Solaris. Quæ cum ita ſe habeant, cumque quatuor ſint humores, ſeu primæ naturæ, duæ fæcundæ, & viuificæ nempe calidi, & humidi; ex his enim omnia & coaleſcunt, & roborantur; itemquæ duæ exitiales, ac detrimentoſæ, aridi & frigidi, vnde rurſum diſſipantur, & debilitantur omnia, tradidere ſimiliter veteres & ſtellas beneficas eſſe Iouem, Venerem, & Lunam, eò quod temperatæ naturæ ſint, & in qua plurimum inſit calidi & humidi, ſtellas verò Saturni, & Martis maleficas, quod contrariæ ſint naturæ, & effectus, alteram enim frigidiſſimam, alteram feruentiſſimam eſſe voluerunt: In medio autem reliquerunt Solem, & ſtellam Mercurij, vt participes vtriuſque naturæ, ſuoſque effectus accommodantes illarum ſtellarum, ad quas acceſſerint proprietatibus. Hæc de ſtellarum vagarum qualitatibus, & proprietatibus tradita ſunt à Ptolemæo, qui prætereà, & reliqui Aſtrologi harum ſtellarum quatuor aſpectus induxerunt, oppoſitum, quadrangularem, triangularem, & ſexangularem, quorum oppoſitum, & quadrangularem in noxijs, & maleuolis repoſuerunt, vel quoniam radij ſibi mutuò aduerſantes diſcordiam excitant, & inimicitiam, vel quia ex ſignis non eiuſdem generis conſtituuntur; reliquos verò triangularem, & ſexangularem beneuolos, & ſalutares eſſe dixe-

Saturnus frigefacit & arefacit.

Iuppiter natura tẽperata.

Martis ſtella arefacit & vrit.

Venus tẽperantia.

Mercurius varius in natura.

Stellæ beneficæ.

Stellæ maleficæ.

Stellæ ancipitis naturæ.

Stellarũ aſpectus quatuor.

Aſpectus maleuoli.

Aſpectus beneuoli.

dixerunt, vel quia radij ſibi contrario impetu minimè occurrentes ſe haud interturbant; vel quia componuntur ex ſignis eiuſdem generis, hoc eſt fœmininis omnibus, aut maſculinis. In hæc duo genera fuerunt cæleſtia ſigna diſpertita, quia cum ad animalia gignenda duæ naturæ ſimul conueniant, maſculina, quæ vim habet agendi, & fœminina, quæ patiendi, atque ſigna circuli obliqui ad rerum generationem conferant, ratio videtur perſuadere horum alia eſſe maſculina, quæ plus virium obtinent ad agendum, & alia fæminina, quæ ad patiendum ſunt accommodatiora. Quæcunque ſigna videntur ignis, & aeris qualitates tribuere, genere maſculino continentur; quæ terræ, & aquæ, fæminino. Huius duæ ſunt rationes, vna, quia terræ, & aquæ vis eſt patiendi, igni, & aeri vis agendi; altera, quoniam in ſignis dinumerandis, quæ ignis, & aeris ſunt, numeris imparibus comprehenduntur; &, quæ terræ & aquæ, paribus ſubijciuntur: & numerus impar iuxta Pythagoræ doctrinam eſt maſculinus, quia eſt perfectus, impartibilis, & maximè efficax; par contra fæmininus, quia imperfectus, partibilis, & inefficax. His aſpectibus, & configurationibus excogitatis dixerunt ſtellas vagantes pro locorum mutatione, & aſpectuum varietate naturam mutare, & nobis nunc opitulari, nunc officere; alias bona tribuere, & alias malis onerare. Hæc, & alia Aſtrologi tradiderunt, quorum nonnulli non abſque impietatis crimine multa execranda, & deteſtabilia ſunt commenti, quæ miſſa facio, ne ſi ea commemorem, commemorationis contaminatione polluamur.

Signorum cæleſtium duo genera.

Signa maſculina. Signa fæminina.

Terra, & aqua vis patiendi, ignis, & aeris vis agendi.

Numerus impar maſculinus. Numerus par fæmininus.

Afferuntur argumenta, quibus omnia caduca ſubiici ſtellarum efficientiæ, neceſſarioque fieri ab Aſtrologis *perſuadetur.* *Cap. XIV.*

Argumenta, quibus Aſtrologi ſeſe, ſuumque dogma tuentur, duorum ſunt generum, nam alijs concluditur cuncta ſubijci ſtellarum efficientiæ, & alijs, quę fiunt à ſtellis, neceſſariò fieri. Vtriuſque generis argumenta afferemus, & conſiderabimus, ac primum quidem ea, quæ prioris ſunt generis. Principiò Aſtrologi, ne à ſe diſſentientes habeant Peripateticos, Ariſtotelem ſibi adiungũt, qui *in lib. 1. meteor. cap. 2.* hanc rerum caducarum vniuerſitatem cõiunxit cum corporibus æthereis, ac ſempiternis, vt omnis eius virtus ab his regeretur. Deinde aſſeuerant euidentiſſimum eſſe vires quaſdam ſenſum fugientes diffundi ab ætherea, & ſempiterna natura in prima ignis, & aeris elementa terræ circumpoſita, quibus ipſa

Primum argum.

Secundũ.

ipſa agitantur, & agitata coagitant inferiora omnia terram, & aquain, & quicquid in his oritur animantium, & ſtirpium: nam Sol vna cum cælo omnia circundante terreſtria ordinat, diſponit, & afficit non modò per mutationes ſtatorum anni temporum, quibus vita animantibus, fructus arboribus tribuuntur, & aquarum fluxus, ac corporum affectiones procurantur, verum etiam quotidiano circuitu tum calefaciendo, & humectando, tum arefaciendo &, refrigerando conſtanti ordine, & modo pro figurationibus puncto noſtro ad verticem ſito conuenientibus: luna verò vt proxima terris manifeſtè in terrena influit, cum illa enim conſentiunt & commutantur pleraq; omnia tam animata, quam animâ carentia. Quin etiam ſtellarum errantium, & fixarum curſus plurimum ſignificāt in aere vel æſtus, vel frigoris, ipſarumque congredientium, & ſuas effectiones commiſcentium figurationes, modique multiplices plurimarum, & variarum mutationum cauſſæ exiſtunt: Quapropter qui inter agricolas præ cæteris ſunt diligentes ſtellarum inſpectores, hi ſoliti ſunt ex ſtellarum ortu, & occaſu, varioque aſpectu in iis temporibus, quibus ſementem fecerunt, de euentu coniecturam facere, atq. quicquid accidit in vniuerſo, id cernere eſt à pleriſq. præuideri, non contemplatione naturæ, ſed ſola obſeruatione de euidētibus Solis, & Lunæ configurationibus, & reliquarum ſtellarum ſignificationibus. Amplius nihil eſſe in hac elementari vniuerſitate, quod cæli, & ſtellarum vim non ſentiat, hoc modo confirmatur: Si frigus, calor, humor, & ariditas ex ſtellarum configurationibus, & effectionibus pendent, ſequitur, vt ex eiſdem pendeant ſimplicia corpora, & mixta omnia tam animæ expertia, quam animā habentia, & agrorum ſterilitas, atque feracitas, regionum ſalubritas, terræ motus, peſtilentiæ, ac cætera omnia mixtorum propria, quādo quidem cuncta hæc ab illis qualitatibus aut ſunt conſtituta, aut deriuantur; & præterea quoniam nos ex eiſdem qualitatibus conſtamus, & noſtri corporis temperatio, animiq. mores, atque affectiones, quæ corporis temperationem ſequuntur, pro diuerſa harum proportione, & commiſtione variant, par eſt quoq. propenſiones ad iram, timorem, cupiditatem, & alias animi affectiones ſiue bonas, ſiue malas à ſideribus nobis impertiri; exiſtimandumq. eſt cælitus bella, & regnorum auerſiones manare: ac diuitias, dignitates, & honores fluere, quæ omnia ex variis animi motibus exiſtunt. Rurſus ſi animi aciem voluerimus intendere in ſimplicia corpora, & in ea, quæ ex his compoſita ſunt, perſpicuum erit omnia ſubiici cælorum efficientiæ: Et primum corpora ſimplicia cælorum, & ſtellarum efficientiam experiri id teſtatur, quod Solis acceſſu, & receſſu aer mutatur; & lunæ vi æſtus maris commouetur. Eandem à mixtis, quæ imper-

Quartum.

Simplicia corpora experiuntur cæli, & ſtellarum efficientiam.

Mixta imperfecta ſentiunt, vim caleſtem.

imperfecta vocantur ſentiri ſuadent halitus, qui ex terra, & aqua efferuntur ſtellarum vi attracti, non enim hi, quod in ſublime tollantur, terra, & aqua poſſunt ſortiri, quoniam hæc elementa ſuo pondere deorſum trahunt, nec præterea ex aere, quia in huius loco cōtinentur, in quo is nullum ad motum habet momentum, nec deniſque ex igne, quoniam hic procul eſt poſitus. Eidem ſubijci lapi-

Mixta perfecta inanima ſubiiciūt ſtellarum virtuti.

des, & metalla intelligitur, quod nulla cauſſa, quæ horum efficiat generationem, poteſt in his caducis reperiri: Etenim cum vis gignendi, & ſeſe propagandi his minimè fuerit à natura conceſſa, ab ijs, quæ alius ſunt ſpeciei, procreentur, oportet, itaque vel à cælis generabuntur, vel ab elementis, nam his exceptis nihil occurrit, cui aptè hoc officium tribuatur: atqui elementa in his gignendis non poſſe munus cauſſæ efficientis obire duo declarant, vnum, quod elementa lapidibus, & metallis ſunt minus præſtantia, & quod eſt minus nobile, id non habet poteſtatem generandi illud, cui plus eſt nobilitatis, alterum, quoniam elementa ſunt lapidum, & metallorū materia, quam abſurdum eſt putare eſſe cauſſam effectricem eorum quorum eſt materia: concludendum eſt igitur lapides, & metalla, quod oriantur, ſtellis acceptum ferre veluti cauſſis ipſorum generationis effectricibus. Accedit in lapidibus, & metallis ſingulares quaſdam proprietates reperiri, quæ non poſſunt niſi ex cælo deriuari, quæ enim cauſa ex his caducis hauſta poteſt afferri, cur ſmaragdus coitu diſrumpatur, & magnes attrahat ferrum, atque ad Helicem, ac Septentriones ſeſe inflectat? Iam verò ſi hæ proprietates cælitus manant, cum eiuſdem ſit tribuere formam, & proprietates, quæ

Eiuſdē eſt tribuere formā, & proprietates quæ formam comitantur.

formam comitantur, credendum eſt lapides, & metalla à cælis, & ſideribus gigni. Nec verò ſola inanima agnoſcunt cælorum, & ſtellarum efficientiam, ſed & animata, nam plantas ſtellarum vim excipere argumento ſunt vires, & effecta herbarum longo vſu à Medicis deprehenſa, quorum origo multorum animos ſemper fatigauit, ſemperque fatigabit, niſi ad ſidera, & ad cælum referatur. Eiuſdem

Mixta omnia animata obnoxia ſunt ſtellarū efficientia.

inditio eſt, quod experientia compertum eſt non ſolum lumen lunæ magnam in ſtirpibus mutationem parere, haſque illo deficiente ſatas non eo ſe modo habere, quo cum eodem creſcente ſeruntur, verum etiam complures arbores tot annos fructus edere, quot dies earum plantatio à Lunæ, & Solis coniunctione abfuit. De animalibus idem eſt ſentiendum, nam cum hæc oriantur vel ex patri materia, & excrementis, vel ex ſemine per maris, & fæminæ coitum, ad priora gignenda cæli vis neceſſariò eſt adhibenda, quod in his, quæ ſunt apud nos, nihil poſſit ſumi, ex quo ad hæc procreanda exiſtat principium motus: Poſteriora autem, quorum corpora varijs inſtrumentis ſunt diſtincta, mirabilique arte facta, cum natura ſeminis

ſim-

ſimplex ſit, ac cognitionis expers, nullo modo naſcerentur, niſi cælum, & ſidera ſuam efficientiam adiungerẽt; quod enim habet naturã ſimplicẽ, id nequit eſſe principium illius, quod eſt variũ, & multiplex; & quod caret cognitione, id ad finem proprium nunquã peruenit, niſi à quopiã regatur, cui finis ſit probè cognitus: quod autẽ dirigit, & gubernat, quoniam nõ eſt prima, immobiliſq. cauſſa, alioquin horũ animalium ortus non eſſet naturalis, cælum eſt ſtatuendum, quod ſtellis varijs diſtinctum anima regitur mentis, & cognitionis participe. Porrò licet ex his concludatur homines quoque experiri, ac ſentire cælorum efficientiam, attamen præter hæc idem confirmat hominum literatorum habitus melancholicus, cuius nulla cauſſa, quæ ſit probabilis, poteſt afferri, niſi hæc in Mercurium, & Saturnum coijciatur, qui cum ſint diſciplinarum patroni ac veluti Dij quidam tutelares, ſuas qualitates, ex quibus oritur melãcholica temperatio impartiunt literatis. Et verò homines non ſolum adulti, ſed etiam in vtero poſiti, & dum concipiuntur, agnoſcunt ſiderum vim, atque huius argumento ſunt ſtigmata illa, quæ a ſtellis fœtibus impreſſa non ſine admiratione conſpiciuntur. Quin etiam iiſdem hanc lucem ingredientes, & ex hac vita migrantes ſubijciuntur cælorum efficientiæ; atque illud quidem declarat partus octimeſtris infelicitas, quam Aſtrologorum plerique tribuunt Saturno frigiditate, & ſiccitate proprijs ſuis qualitatibus contra nati vitam pugnanti; & alij, vt Chaldæi apud Cenſorinum, *in lib. de die natali* referunt ad Solis aſpectum parum efficacem, huius autem fidem facit peruerſa anni Climaterici proprietas, quem annum quicunque attingunt, magna ex parte in interitum labuntur. Hæc Aſtrologis perſuaſerunt, vt omnia cælorum, & ſtellarum efficientiæ ſubijcerent, quæ verò eoſdem induxerunt, vt dicerent, quę fiunt à ſtellis, ea fieri neceſſario, ſunt hæc: Quæcunque à Deo ſunt conſtituta, nullo pacto poſſunt impediri, quoniam nulla eſt vis, quæ ſit potentior Dei virtute præpotenti: atqui cælorum motiones, ac vires ſunt à Deo conſtitutæ, ex quo cælum, vniuerſaque natura pendet *lib. 12. poſt nat. 38.* quæ igitur cælorum viribus adminiſtrantur; ea ſic fiunt, vt ſecus euenire non poſſint, Amplius quæ alicuius vim nequeunt non pati, neceſſario excipiunt id omne, quod illud tribuere eſt aptè natum, verum caduca corpora non poſſunt non excipere cæleſtium corporum vires, alioquin his minimè eſſent ſubiecta; ergo quæ in his corporibus fiunt à cælis, ea fiunt neceſſario. Deinde cauſſa, cui ad agendum omnia ſuppetunt, quæque materiæ ſubiectæ prorſus dominatur, ſi in ſuis effectionibus neceſſario uerſetur, quæ ab ipſa efficiũtur, fiũt neceſſario; ſed cælũ vt moueat, & mutet caduca, nihil deſiderat, ĩ hæcq; pleniſſimũ habet imperiũ,

Homines ſentiunt vim cæli, et ſtellarũ

Partus octimeſtris infelicitas cui ab Aſtrologis, & a Chaldæis tributa

Anni Climaterici peruerſitas.

Aſtrologis quæ perſuaſerunt omnia, quæ fiunt, fieri neceſſario,

Primum argumẽtũ

Secundum

Tertium.

Cuius enim eſt aliqua muneris functio, id eſt propter muneris functionem tanquam propter finem *lib.2.de cælo* 17.& omne ipſius bonum ſitum eſt in muneris functione *lib.1.Ethic.ad Nicom.cap.7.*& eorundem generationes,ac muneris functiones vel in motibus numerari, vel non ſine motu obiri; atque intellexerit ex cæli motu reliquos motus omnes pendere, illoque reciſo hos neceſſariò ruere: Etenim motus in orbem, qui eſt ſolius cæli, ab Ariſtotele tanti tanti eſt factus,vt *in lib.8.phyſ.*conſtitutum fuerit ipſum cæteros motus temporis, & naturæ origine prægredi,atque dignitate antecedere; & eſſe eum motum,quo mouet primum mouens immobile, ſine quo nullus poteſt eſſe motus,atque *in lib.1.meteor.cap.2.*ſignificatum eſſe principium, ex quo reliqui omnes pendent motus, ac mutationes. Id arbitror Ariſtotelem ſibi voluiſſe, cum ſcripſit *in lib.1.de cælo* 100.Vnde & alijs,his quidem euidentius,his autem obſcurius datum eſt,quod ſint,& quod viuant: quæ verba non ad mētem primam à materia ſegregatam, vt eſt Simplicij, & aliorum plurimorum interpretatio,ſed ad cælum ſunt accommodanda, idque alias cum de Dæmonibus Ariſtotelicè diſſererem, declaraui. *Loci li. 1. de cælo 100 explicatio*

Præterea elementa,quod conſtent ſeculis ſempiternis,ex cælorum motibus nanciſcuntur,quoniam horum vi aer, & ignis deorſum labuntur, atque terræ, & aquæ miſcentur,quo fit, vt hæc ſeſe tangentia mutuò agant,& patiantur,atq. inter ſe viciſſim mutata, & ex ſe viciſſim generata eo,quo fieri poteſt,modo æternitatem adipiſcantur. Iam verò ignis per hanc inferam vniuerſitatem longè,lateque diffuſus ſuo calore humidos vapores è terris excitans, ſiccaſque exhalationes tollens craſſa extenuando, & fæculenta diſſoluendo cauſa eſt omnium, quibus eſt ortus ex halitibus. Idem calor congregādo,quæ ſunt generis eiuſdem,ortum tribuit corporibus mixtis,quorum varia eſt vis,atque natura pro materia,quæ cogitur, multiplici varietate,hiſque omnibus,ne pereant funditus, ſua efficientia proſpicit. Neque eſt, vt quiſpiam exiſtimet abſque cæli motu mixtum aliquod poſſe oriri,quoniam mixta omnia, niſi fuerint inchoata, conſtant ex omnibus elementis, at ignis qui poterit mixtorum generationi vllam afferre vtilitatem,niſi motione cæli ad locum mūdi medium,in quo fit mixtorum corporum generatio, deijciatur? Non eſt igitur,vt quiſpiam miretur,cur mundi machina, quæ ex tā diuerſis,atque inter ſe pugnantibus naturis eſt coagmentata, nondum ſit diſſoluta,nam æquabilis cælorum motus,tantaque elementorum diſcordia efficiunt,vt ipſa elementa ibi mutuò, cæteriſque corporibus ortus,atque obitus cauſſas afferant,& vniuerſitatem ſine,atque interitu vendicent. Quinetiam beneficio caloris,qui cæli motione longe, lateque diſſeminatur,viuentia omnia gignuntur, *Ignis per hanc inferam vniuerſitatem diffuſi vis ſingularis.*

quorum ortus dicitur ſpontinus, quæque in terra, & in aquis ex materia putri, atque excrementitia generantur. Nec præterca reliqua corpora animata, cur ſint, non acceptum ferunt cælorum motui, nam cum omne, quod naſcitur, & viuit, id ſiue animal, ſiue planta, naſcatur, & viuat propter incluſum in eo calorem, hocque refrigerato, & extincto tabeſcat, & occidat, nemo non fatebiturhæc propter cæli motum oriri, ali, creſcere, & cætera exequi animę officia, quando quidem ignis, in cuius natura ſitus eſt calor, cæli conuerſione ſic ſpargitur, vt & omnes mundi caduci partes eo fultæ ſuſtineãtur, & ipſæ ſparſus cunctis rebus cauſſam præbeat ortus, vitæ, & incolumitatis.

Ariſtotel.

Huius teſtis eſt Ariſtoteles in lib. 3. de gen. animal. cap. 11. vbi hæc habet: Generantur autem in terra, humoreſq; animalia & plantæ, quoniam humor in terra, ſpiritus in humore, calor animalis in vniuerſo ineſt, ita vt quo iam modo plena ſint omnia animæ. Ex his omni ratione concluditur motu cæli omnia, quæ ambitu cęleſti cohibentur, adminiſtrari, nihilque eſſe in hac mortali vniuerſitate, quod non ſentiat cælorum vim, & ex motu cæleſti non pẽdeat, propriæque motionis principium non accipiat: Quapropter non immeritò ſcriptum eſt *in lib. 1. meteor. cap. 2.* mundum hunc elementarem cæleſtium corporum motionibus eſſe contiguum, vt omnis ipſius virtus ab eis regatur.

Quo modo pendeant omnia ex calorũ motu.

Cæterum quamuis nihil ſit in caduca rerum vniuerſitate, quod ex cælo, cælique motu non pendeat, nõ tamen rei pendet, vt cælum, cæli que motus ſint cauſsæ propriæ eorum, quæ natura generantur, nam cauſſæ ſunt communes, quarum ea eſt vis, vt quicquam nequeant efficere, ſine cauſſis proprijs, & particularibus; atque huius ea eſt ratio, quoniam cauſſa communis, cum æquè ſe habeat ad omnia, quorum eſt cauſſa, nec vnum potius, quam alterum ſit apta, & nata efficere, definienda eſt, atque arctanda; & definitur, atque arctatur a cauſſa propria, & particulari; quapropter nequit fieri, vt quippiam oriatur ex cauſſa communi, niſi ei cauſſa particularis adiungatur; Sed & hæc abſque illa ſit otioſa, oportet, quod ei ſua natura ſubdita ſit, & cauſſarum, quæ certo, definitoque ordine ſua natura continentur, ea quæ eſt ſubdita, nõ ſit potis quicquam agere, niſi & illa, cui ſubdita eſt, ſuam adhibeat efficientiam. Porrò cælorum motum eſse cauſsam rerum generationis communem intelligitur ex ijs, quæ de cauſsa generationis effectrice ſcripta ſunt *ad calcem lib. 2. de gen. & int.* & poteſt ſuaderi, ꝙ quæ propria ſunt cauſsæ communis, ea omnia cælo aptiſſimè conueniant. Hæc tria ſunt; Vnum, vt in eius virtute multa, variaque effecta contineantur; alterum, vt eius efficientia ſit inanis, niſi adiungatur ei effectio cauſsæ propriæ, & inferioris; tertium, & poſtremũ vt ex ipſa in ijs, quæ fiunt, nullam exiſtat diſſimilitudo. In virtute cęli mul-

Cauſſa cõmunis non poteſt quicquam agere ſine cauſſis proprijs.

Cauſſa propria abſq. communi eſt otioſa.

Cælorum motus eſt cauſſa communis rerum generationis.

Cauſſa cõmunis propria.

li multa, diuerſaque effecta poſita eſſe tam certum eſt, quam quod maxime. Hæc verò ſic poſita ſunt, vt nulla ſit cæli pars, in cuius virtute non omnia ſint poſita. Neque accedendum eſt Aſtrologis ſentientibus omnia à toto fieri cælo, & ſingula a ſingulis cæli partibus, ac ſtellis, quoniam cum cælum ſit corpus ſimplex, ex partibuſque conſtet, quarum vna, & eadem eſt vis, ac natura, nihil poteſt tribui alicui ſtellæ, cælique parti, quod reliquis non conueniat. Et ſi quæ ratio eſt materiæ ad patiendum, eadem eſt cæli ad agendum, planè quoniam vis formarum excipiendarum ſic data eſt materiæ, vt quæuis eius pars virtutis totius ſit particeps, vis quoque omnium efficiendorum ſic cælo erit impertita, vt ſingulæ ſtellæ ipſius partes ea fuerint donatæ. Atque id Pythagorici videntur ſignificaſse, cum dixerunt vniuerſam elementorum regionem eſse vnā ſtellam, & ſingulas ſtellas illam in ſe incluſam habere. Nihil verò à cælis, & à ſtellis poſse fieri, niſi vis cauſsæ inferioris accedat, & Ariſtoteles fuit teſtatus, cum ſcripſit *in lib. 2. phiſ. 26.* Solem, & hominem generare hominem; & obſcurum non erit in ſingulas generationes mente, oculiſque defixis: In his cum oporteat cauſsam efficientem proximè tangere id, quod patitur, neceſsariò præter cælum, quod ab eis longiſſimè abeſt, alia cauſsa eſt inducenda, quæ materiam proximè tangat, & mutet. Ex cælo denique, & ſtellis nulla in his caducis exiſtit ſpeciei, & naturæ diſſimilitudo, quoniam ſtella, quæ fuerit poſita cum leone generare leonem, ſi cum cane, aut cum equo iungatur, non leonem, ſed canem, aut equum generabit; Sed & huius quoque argumento eſt, quod ſub eadem ſtella, ſiue ſub eadem ſtellarum configuratione genita cernantur fortuna, ingenio, moribus, corpore, ac forma inter ſe differentia. Hinc Plotinus *in lib. de fato cap. 6.* ſcripſit magnas quidem ex cælo peruenire ad rerum generationem commoditates, verum quod ea, quæ generantur in tam varijs ſpeciebus reponātur, tribuendum eſſe nō cælis, ſed cauſſis proximis, a quibus, vt idem inquit *in lib. Vtrū ſtellæ aliquid agant*, cælorū efficiētia latè patēs certis terminis cō-ſtituitur, certiſq. legibus cohibetur ſic, vt ex ea hoc, & non illud exiſtat. Cū igitur cælū ſit cauſsa omniū cōmunis, prōptum eſt explicare id, de quo nōnulli ſolent addubitare, quod eſt. Si cælū omni ex parte eſt ſui ſimile, & nulla partiū varietate diſtinctum, atq. motu æquabili nunquā nō agitur, qua ratione poteſt fieri, vt caduca, quorū incredibilis, eſt naturæ diuerſitas, generationeſque diſſimiles, ex ipſo pendeant, & ab ipſo efficiantur? Dicendū eſt cælū eſse cauſsā cōmunē, & longinquā, quæ nihil pōt facere abſq. cauſsarū propriarū, & propinquarū efficiētia: quapropter quoniā hæ ſunt multæ, ac variæ, nō eſt ut alicui mirū videatur, ſi quæ pēdēt ex cęlo, & ab hoc effi-

Stellæ alicui nihil tribuitur, quod reliquis nō tribuatur.

Nihil fieri à cælis, & à ſtellis, niſi vis cauſſæ inferioris accedat.

Ex cælo, & ſtellis nulla in his caducis exiſtit diſſimilitudo.

Plotinus.

Dubitatio.

Solutio.

Quæ fluũt ex libera hominũ uoluntate ad cælũ, & ad ſidera iniquè reuocã tur.

efficiuntur, varias habent naturas, & diſſimiles generationes, nam quod fit, id ſemper ſequitur, & imitatur naturam cauſſæ non procul disiunctæ, ac communis, ſed propriæ, ac finitimæ. Cæterum quæ docuimus pendere ex cęleſtium corporum motu, hæc corporis propria ſunt, nam quæ fluunt ex libera hominum voluntate, quæq. pertinent ad inopias, diuitias, fortunam proſperam, vel aduerſam, dignitates, honores, literarum ſtudia, filiorum procreationem, & eos euentus, qui in hoc vitæ curriculo temere, ac fortuitò hominibus contingunt, ex ijs, quæ nunc ſumus contra Aſtrologos dicturi, liquidò (ni fallimur) conſtabit hæc ad cælum, & ſidera iniquè reuocari.

Ex cæli, & ſtellarum inſpectione non poteſt intelligi, quid in rerum mortalum vniuerſitate ſit euenturum. Cap. XVI.

Tria proponuntur explicãda

IN hac diſputatione aduerſus Aſtrologos ſuſcepta tria ſunt explicanda; primum eſt fieri non poſſe, vt ex cæli, & ſtellarum inſpectione certò intelligatur, quid in hac corporum mortalium vniuerſitate ſit euenturum: Alterum non eſſe ſentiendum quæcunque fiunt in rerum caducarum vniuerſitate, ea ortum neceſſarium habere propter cæleſtium corporum motionem: Tertium, & poſtremum à ſtellis nequaquam effici, quæ ab his fieri Aſtrologi arbitrãtur.

Ex cæli, et ſtellarum inſpectione non intelligitur, quid ſit euenturũ in mortali rerum uniuerſitate.

Primum argum.

Primum autem primum aggrediamur. Cum ſtellæ ſic inducantur ab Aſtrologis, vt ſingulæ proprias habeant vires, quibus ſibi mutuò ſunt vel adiumento, vel impedimento ad agendum, profectò ſi præſenſio, ac ſcientia rerum futurarum exiſteret ex cæli, & aſtrorũ inſpectione, hæc ne ſit fallax, & inanis, oporteret ſiderum omniũ vires, ac naturas, harumque varias, & multiplices mixtiones probè tenere; ac quicquid beneuolo, aut maligno ſtellarum aſpectu eueni re dicitur, id multis obſeruationibus fuiſſe confirmatum; ſed Aſtrologis non eſt exquiſitè cognita cæli natura, neque ſunt perſpectæ omnium ſiderum vires, harumque variæ commixtiones: & quæ ex aſtris præſentiuntur, non multis obſeruationibus ſunt notata; nulla igitur fides habenda eſt Aſtrologis ignotam eſſe naturam cæli illud demonſtrat, quod de hac docere philoſophiæ naturalis intereſt, cui Aſtrologi nihil operæ impendunt; ſed ſi etiam aliquid ſtudijs tribuerent, non propterea poſſent ad rerum futurarum præſenſionẽ aſpirare, quoniam cæli notitia, quam nobis tradit ſcientia naturalis non eſt huiuſmodi, vt rerum futurarum cognitionem polliceatur; & admodum dubia eſt, ac lubrica; quod multis in locis Ariſtoteles teſtatur, nam ſub exitum lib. 1. de part. animal. ſcribit, cum ſubſtantiæ,

Aſtrologis non exquiſitè cognita eſt cæli, & ſtellarũ natura.

Cæli notitia dubia, & lubrica

tiæ,quæ natura conſtant, partim ingenitæ, immortaleſque ſint,partim ortus, interituſque participes,nos illas æternas, atque diuinas minus contemplari poſſe,quod pauca earum ſenſui patent, quorũ beneficio nobis datur facultas indagandi,& cogitandi de ijs, quæ noſſe cupimus. Idem præterea in lib.2. de cælo 17. cauſſam exquirens,cur multi ſint motus cælorum:in text.34. exponens quid cauſſæ ſit,cur cælum in hanc potius partem,quam in illam conuertatur atque in tex.60.quærens cur cæleſtium corporum alia paucis, & alia multis motibus agantur,& cur in primo orbe ſint ſtellæ innumerabiles,in reliquis ſingulæ,excuſationem adhibet,ſi de rebus obſcuris, & incertis dicere audeat, & ſi probabilibus, & non neceſſarijs argumentis vtatur. Si igitur Ariſtoteles vir cæleſtis propè ingenij affirmat ſe parum firmam, & explicatam habere cognitionẽ illorum,quæ ſunt in cælis,nemo fuerit tam impudens,qui ſibi arroget certam, & euidentem cæleſtis naturæ, cæleſtiumque virium comprehenſionem. Sed & non omnium ſiderum vires ab Aſtrologis eſſe comprehenſas ipſimet teſtes ſunt, qui ex innumerabili ſtellarum multitudine duas ſupra mille & viginti in octaua ſphæra infixas duntaxat intuentur, atque his poſthabitis ex ſolis vagantibus ſtellis capiunt ſuas de futuris præſenſiones,atqui non eſt conſentaneum maiorem authoritatem his ſeptem ſtellis tributam eſſe, quam reliquis ſideribus,quorum magnitudinem,numerum,& pulchritudinem nos contemplantes admirari ſatis non poſſumus. Atque id ſibi volebat Seneca in lib.2.quæſt.natu. cap.32. vbi hæc habet. Quinque ſtellarum poteſtates Chaldeorum obſeruatio excepit. Quid tu? tot millia illa ſiderum iudicas otioſa lucere? Quid eſt porro aliud,quod errorem incutiat peritis natalium,quam quod paucis nos ſideribus aſſignant, cum omnia,quæ ſupra nos ſunt,partem ſibi noſtri vendicent? Submiſſiora forſitan in nos propius vim ſuam dirigunt; & ea,quæ frequentius mota aliter nos,aliter cætera animalia proſpiciunt,cæterum & illa,quæ aut immota ſunt, aut propter velocitatem vniuerſo mundo parem immotis ſimilia,nõ extra ius, dominiumque noſtri ſunt. Iam vero ab Aſtrologis non percipi varios innumerabileſque modos,quibus ſtellæ ſuos influxus, ſuaſque affectiones inter ſe commiſcent,tum ex ſe perſpicuum eſt,tum etiã aſſeuerauit Origenes in com.in Geneſ.apud Euſebium ſub exitum lib.6.de præparat. Euangel.in quibus hæc habentur. Quæ autem commixtione,compoſitione,ac tẽperie diuerſorum aſpectuum fieri aſſerunt,profecto concedent nullo modo ſciri poſſe: Quo modo enim quantum diminuatur de læſione maligni aſpectus propter aſpectum benigni ſideris percipies? & verum auferat malignus, quod a benigno conceditur,quoniam eius locum aſpexerit,aut mutet,

Stellarum omniũ vires nõ ſunt Aſtrologis notæ.

Aſtrologi quot ſtellas intueãtur.

Aſtrologi ex quibus ſtellis capiant de futuris præſenſiones.

Seneca.

Modi quibus ſtellarum vires inter ſe commiſcentur Aſtrologis ignoti.

Origenes.

tet, aut imminuat, aut mixtura quædam fiat, quis percipite? quę omnia ſi quis altius inſpiciat, facilè credat non poſſe iſta humano ingenio penitus percipi. Vnde ſi quis harum rerum periculum fecerit, videbit in pluribus errare, quam veritatem conſequi Genethliacos. Hæc Origenes, cui ſi fidem ſuam aduerſarij noluerint adiungere, audiant Cardanum ipſorum diſciplinæ magiſtrum, à quo in ſect. 1. aphor. 21. hæc tradita ſunt: Quædam ſciuntur perfectè, vt circulorum aſcenſiones; quædam propinquo modo, vt Solis reuolutio, quædam ſciri poſſunt, etſi non ſciantur, vt reuolutio ſuperiorum; quædam ſub ſcientiam ſunt, ſed nunquam ſciri poterunt, vt ingreſſus Solis in æquinoctij punctum; quædam nec ſciuntur, nec ſciri poſſunt, vt mixtiones ſiderum, ac vires. Ac ſanè ſi multi, ac diuerſi modi, quibus elementa, & elementorum vires apud nos inter ſe cōmiſcentur, ignorantur, qui poterunt ſciri modi varij, ac infiniti, quibus ſtellæ innumerabiles à nobis longiſſimè poſitæ ſuas vires inter ſe permiſcent? Sed nec etiam quicquid ex aſtris præſentitur, potuit ab Aſtrologis diuturna obſeruatione notari, quicquid Chaldæi hac de re dixerint, qui apud Ciceronem in lib. 2. de diuinat. ſcriptum reliquerunt ſe horum obſeruationes habere factas per quadringentum, & ſeptuaginta annorum millia, quoniam eadem, quæ ſemel fuit, cælorum, ac ſtellarum facies, & poſitura vel nunquam, vel niſi poſt immenſum temporis ſpacium poteſt conſpici, quod ſpacium Ariſtoteles teſte Cenſorino in lib. de die natali annum maximum appellauit, quodque putauit Ariſtarchus eſſe annorum duum millium quadringentorum treginta quatuor; Aretes Dyrrachinus quinque millium quingentorum quinquaginta duorum; & Caſſandrus tricies ſexcies centum millium. Cæterum in dimetiendo hoc temporis ſpacio peſpicuè lapſi ſunt, & vt laberentur, cauſſa fuit ignoratio illius motus, in quo ſphæra octaua dicitur ſex, & triginta annorum millia ponere, nam ſi huius non fuiſſent ignari, profectò illud temporis ſpacium multò maius & forſitan infinitum eſſe, nec in ſe vnquam reuerti exiſtimaſſent, quod nonnulli ſunt opinati. Huic argumento ſimilis eſt Phauorini argumentatio apud Gellium in lib. 14. Noct. Atticarum cap. 1. Hic differens aduerſus Chaldæos, & Genethlaicos cum dixiſſet fieri poſſe, vt præter ſtellas erraticas vulgo cognitas ſint aliæ pari poteſtate præditæ, ſine quibus recta, ac perpetua obſeruatio nequit perfici, neque eas tamen cerni propter exuperantiam vel ſplendoris, vel altitudinis, nam & quædam ſidera ex quibuſdam locis conſpici, eorumque locorum incolis nota eſſe, cum eadem ipſa ex alijs locis non videantur, & ſint alijs omnino ignotiſſima, hæc ſubiungit: Atque vt demus & has tantummodo ſtellas & ex vna parte terræ obſeruari debuiſſe, qui tandem finis obſeruationis

Cardanus

Quæ ex aſtris præſentiuntur ea non ſūt diuturna obſeruatione notata.

Ariſtotel.
Ariſtarch.
Aretes Dyrrachinus.
Caſſādrus

Phauorinus.

nis

nis iſtius fuit? & quæ tempora ſatis eſſe viſa ſunt ad percipiendum quid præmonſtraret aut cætus ſtellarum, aut circuitus, aut tranſitus? Nam ſi iſto modo cæpta fieri obſeruatio eſt, vt animaduerteretur quo habitu, qua forma, quaque poſitura ſtellarum aliquis naſceretur; tum deinceps ab ineunte vita fortuna eius, & mores, & ingenium, & circumſtantia rerum, negotiorumque, & ad poſtremum finis etiam vitæ ſpectaretur; eaque omnia, vt vſu venerant, literis manderentur, ac poſtea longis temporibus cum ipſæ illæ eodem in loco, eodemque habitu forent, eadem cæteris quoque euentura exiſtimarentur, qui eodem illo tempore nati fuiſſent. Si iſto, inquam, modo obſeruari cæptum eſt, ex eaque obſeruatione cõpoſita quædam diſciplina eſt, nullo id pacto poteſt procedere. Dicant.n. quot eandem annis, vel potius quot ſeculis orbis obſeruatio perfici quiuerit. Conſtat quippe inter Aſtrologos ſtellas iſtas, quas erraticas dicunt, quęque eſſe omnium rerum fatales dicuntur infinito propè, ac innumerabili numero annorum ad eundem locum cum eodem habitu ſimul omnes, vnde profectæ ſunt, regredi, vt neq. vllus obſeruationis tenor, neque memoria vlla, neque effigies literarum tanto æuo potuerint edurare. Hactenus Phauorinus, qui præterea oſtendit, ſi etiam a nobis fuerit conceſſum huius diſciplinæ præcepta à Chaldæis diuturna obſeruatione fuiſſe notata, hinc tamen nihil commodi peruenire ad Aſtrologorum prædictiones, quoniam ſi principes Chaldæi, qui campos patẽtes incolebant, ſtellarum motus, & vias, & diſceſſiones, & cætus intuentes, quid ex his efficeretur, obſeruauerunt, harum tamen obſeruationum diſciplina duntaxat procedet ſub ea inclinatione cæli, ſub qua tunc Chaldæi fuerunt. Non enim poteſt ratio Chaldæorum obſeruationis manere, ſi quis ea vti velit ſub diuerſis cæli regionibus, nam quanta partiũ, circulorumque cæli ex deuergentia, & conuexionibus mundi varietas ſit, quis non videt? Eædem igitur ſtellæ, per quas omnia diuina, humanaque fieri contendunt, ſicut nec vſquequaque pruinas, aut calores cient, ſed mutant, & variant, tempeſtateſque eodem in tempore alibi placidas, alibi violentas mouent, cur non euenta quoq; rerum, ac negotiorum alia efficiunt in Chaldæis, alia in Getulis, alia apud Danubium, alia apud Nilum? Abſonum enim videtur ipſum quidem corpus, & habitum tam profundi aeris ſub alio, atque alio cæli curuamine non eundem manere, & in hominum negotijs opinari ſtellas iſtas idem ſemper oſtendere, ſi eas ex quacunque terra conſpexeris. Hoc modo Phauorinus declarat ſiderum obſeruationem, quam eſſe ſcientię ſuæ originem Aſtrologi prædicant, haudquaquam liquidò conſiſtere. Idem præterea in eadem diſſeptatione affirmans Genethliacos non poſſe comprehendere illud tempo-

Secũdum argumentum Phauorini.

Ii ris

ijs momentum, in quo homo naſcens accipit fatum; ob rapidum cæli curſum, perſpicuè ſignificat Aſtrologos eſse ridendos, dum ex cæli inſpectione pollicentur ſe ea, quæ ſunt futura, cognoſcere; ad quod etiam confirmandum eo vtitur argumento, quoniam diſcrimen inter Deos, & homines tolleretur in hoc ſitum, quod Dij res omnes futuras prænoſcunt, à quarum notitia homines abſunt longiſſimè: Et ſi Platonicis credendum eſt aſseuerantibus futurorum præſenſionem ſic arduam eſse, vt plerique dæmones illius ſint expertes, (ex quo Porphyrius in lib. de oraculis apud Euſebium in lib. 6. de præparat. euangel. cap. 4. in hoc cauſsam conijciebat, cur nonnumquam falſa eſsent oracula) qui homines poterunt explicatam futurorum cognitionem ſibi polliceri, quæ dæmonibus eſt incomprehenſibilis? Quin etiam Aſtrologos non poſse ex ſtellarum inſpectione aſpirare ad futurorum præſenſionem ex his poteſt intelligi. Stellarum inſpectio vtilis eſt ad futura prædicēda, vel quoniam ſtellæ cauſsæ ſunt eorum, quæ eueniunt, vel quoniam in ſtellis ſigna continentur eorum, quæ futura ſunt: atqui cum prius non ſit ſatis ad habendam futurorum cognitionem, & poſterius abhorreat a vero, non eſt vt Aſtrologi ſibi perſuadeant ex ſtellarum inſpectione ſe poſse comprehenſa habere, quæ in mortali rerum vniuerſitate ſunt euentura. Prior aſumpti pars his oſtenditur. Cauſsa ex cuius notitia intelligitur id, quod efficitur ab ipſa, neceſsariò futurum eſſe, ſic eſt comparata, vt ea poſita ſemper, neceſſarioque ſequatur id, quod ipſa fieri eſt aptè natum: & verò non omnia, quæ pollicentur ſtellæ, ſemper neceſsarioque fieri teſtis eſt Ptolemæus in lib. 1. de iudicijs cap. 2. & ante Ptolemæum Ariſtoteles in lib. de diuinatio. per ſomnum; qui præterea *ſub exitum lib. 4. de gen. animal.* ſcribit naturam ſibi velle, vt ſtellarum circuitibus generationes, & obitus numeret, ſed exquiſitè id facere non poſse propter materiæ indefinitionem, & quod multa principia incidant, quę generationes, & corruptiones ſecundum naturam deſtinatas impediunt, atque ita cauſſa ſunt earum, quæ veniunt præter naturam. Deinde id, cuius multæ ſunt cauſæ quādo, aut quo modo ſit futurum, nequit cognoſci, niſi omnes illius cauſsæ proximę, & longinquæ, propriæ, & communes fuerint perceptæ, verum quoniam quæcunque in terris, & in mortali rerum vniuerſitate fiunt, nequeunt fieri, niſi cælo, quod eſt cauſsa communis, & longinqua, adiungantur cauſsæ propriæ, & & propinquæ, quæ & Aſtrologos latent, & multis, varijſque modis poſsunt impediri, ſanè ſola cęli, & ſiderum inſpectio non ſatis eſse poteſt ad habendam futurorum pręſagitionem. Maior propoſitio non habet dubitationem, minorem confirmat tum id, quod experientia compertum ſit nunquam Solem per ſe ſolum aliquod animal

Tertium argumētū Phauorini Deorum, & hominum diſcrimen. Platonici. Porphyrius

Quartum argumentum.

Ptolemæus Ariſtotel.

mal

Digitized by Google

mal perfectum generaſſe, ſed ſemper cauſſis propinquis, & ſecundis coniunctum; tum omnium philophoſum conſenſus; qui & in hoc conſpirans vnumquodque natura genitum principij proximi, non remoti, proprij, non communis naturam imitari, Aſtrologos admonet ſuis in vaticinationibus eos minus erraturos eſſe, ſi ſtellarum relicta inſpectione multiplicem materiæ cæleſtes vires ſuſcipientis conditionem, atque proximas, ſecundaſque cauſſas contemplarentur. Et ſanè ſi quæ accidunt nobis, & quæ in mortali rerum vniuerſitate eueniunt, eorum omnium cauſſæ certæ, & exploratæ poſſunt reperiri vel in nobis, vel in ijs, quæ ſunt apud nos, nec vnquam ſine his aliquid nobis contingit, vel in mundo fit, quis non contemnat cæli, & aſtrorum inſpectionem, & non potius in nobis, & in ijs, quæ in præſentia, conſpectuque noſtro poſita ſunt, perquirat euentuum cauſſas, & principia? Reſpondebunt forſitan ſtellas vi arcana cauſſas ſecundas compellere ad ea agenda, quæ ipſæ pol icentur, & propterea ſtellis inſpectis non eſſe, vt aliquid operæ pona tur in cauſſis noſtratibus perquirendis. Si ita reſpondeant, eos rogabimus, quo pacto vis ſtellarum arcana cauſſas ſecundas attingat, nunquid cælitus demiſſa, an ex eis educta. Si cælitus deſcendat, quoniam aſcenſus, & deſcenſus corporis ſunt, hæc virtus non erit ſine corpore: quod ſi ita eſt, cum hæc virtus e ſtellis decidat, hæ influendo diſſipabuntur, & caducis dum proſpiciunt, ſibi ipſæ interitum afferent. Sin verò educatur, quoniam ſtellæ ſunt remotæ ab ijs, e quibus hæc virtus arcana educitur, alia virtute arcana erit opus, qua hęc virtus educatur, cuius eadem cum ſit ratio, in arcanis ſtellarum virtutibus nullus erit finis, quem natura in omnibus amat, & quærit. At verò pars aſſumpti poſterior, quoniam aduerſos habet viros nõ contemnendos, priuata diſputatione eſt diſcutienda; conſiderandumque eſt, nunquid illi ſint veri, qui vt cæli, ſyderumque inſpectionem tueantur, ſtatuunt in cælis ſigna eſſe poſita eorum, quæ ſũt euentura, & propterea cælum, & ſidera eſſe inſpicienda, vt ex his tã quam ex ſignis, quid ſit euenturum, intelligatur.

Vnũquodque natura genitũ princ pij proximi, non remoti, proprij, non communis naturam imitatur.

Reſponſio.

Refutatio.

Natura in omn b quærit finem.

Signa eorum, quæ ſunt futura, in cælis non ſunt impreſſa. Cap. XVII.

Plotini opinió.

Plotinus *in lib. vtrum ſtellæ aliquid agant cap.* 7. ſcribit ſtellas futura ſignificare, ac cælum eſſe veluti librum, in quo ſtellæ tãquam literæ ſunt deſcriptæ ſignificantes ea, quæ ſunt euentura: nam quemadmodum in animalis corpore multæ, variæque ſunt partes ea inter ſe connexione iunctę, vt ab vna, quid alteri euenerit,

Cælum veluti liber, in quo ſtellæ tanquam literæ ſunt deſcriptæ.

n erit, ſitque euenturum, commodè ſignificetur, & quemadmodum mores alicuius ex eius oculis, aut alia corporis parte conijciuntur, eodem modo in hac rerum vniuerſitate, cuius partes ſunt homines, ſtellæ, & reliqua corpora tam animam habentia, quam ſine anima exiſtentia, exiſtimandum eſt à ſtellis ſignificari reliquarum mundi partium euenta, & qui ſtellas ritè fuerit contemplatus, eum ex his, quæ cunque ſunt futura, perſpicere: Non enim ſolum in quouis eorum, quæ optimè connexa ſunt, viget vna conſpiratio, verumetiam multo magis, & prius in vniuerſo. Idem *in lib. de fato cap. 6.* aſſeuerat cælos nō ſolum ad vniuerſi ſalutem ſuos curſus obire, ſed hanc præterea vtilitatem præbere, vt ſtellæ eis impreſſæ ſint quaſi literæ, in quibus, quicunque eas fuerint intuiti, legant futura, ex ipſarum figuris comparatione quadam analogica indagantes ſignificatum, veluti ſi quis dixerit auem per ſublimia volantem actiones quaſdā ſublimes ſignificare. Cauſſam, cur cæleſtia valeant, quæcunq; ſunt futura, ſignificare Ficinus *in co. lib. Plotini, Vtrum ſtellæ aliquid agant cap. 2.* in id retulit, quoniam cæleſtes animę in ſe deſcriptam habent rerum futurarum ſeriē, quam nobis quandoque ſtellarum veluti oculorum nutibus aperiunt. Plotinum in hoc decreto ſectatorem habuiſſe Porphyrium *in lib. de oraculis* teſtis eſt Euſebius *in lib. 6. de præparat. euangel. cap. 4.* & vt ita crederet, aliquid non iniuria exiſtimabit fuiſſe inductum a Platone, cuius hæc ſunt in Timæo: Quid ſignificetur ex cæleſtium habitudine tentare vanum eſt ſine diligenti ſimulachrorum illorum inſpectione. Ex quibus, vt inquit Chalcidius *in huius loci comm.* datur intelligi ſtellas non facere, quæ eueniunt, ſed futura prænunciare. Hanc opinionem Origenes fuit amplexatus. Hic apud Euſebium *in lib. proxime recitato cap. 9.* exponens illud in cap. 1. Gen. In ſigna facta ſunt luminaria; oſtendit nihil rerum humanarum a ſtellis confici, ſed tantum ſignificari, nam cælum eſſe veluti librum apertum omnia futura in ſe ſcripta continentem: Id autem confirmat teſtimonio illius libri, cui titulus eſt Narratio Ioſephi, in quo Iacob inducitur ita loquens: Legi in tabulis cæli quæcunque contingent vobis, & filijs veſtris. Adiungit idem intelligi ex his Iſaiæ in cap. 34. Complicabuntur ſicut liber cæli: quibus ſignificatur cælos poſt diem Iudicij conuoluendos eſſe, atque complicandos, qui his temporibus veluti libri ſunt nobis aperti, & explicati ad ea, quæ ſunt futura, legenda: atque (quod ab alijs traditum eſt) ad annuncianda opera manuum Dei, vt cecinit D. Vates *in pſalm. 18.* Eandem opinionem ſunt, qui arbitrentur placuiſſe D. Auguſtino, qui *in lib. 2. de Geneſi contra Manichæos cap. 21.* habet hæc: Neque enim in illis corporibus cæleſtibus ſic latere poſſe cogitationes credendum eſt, quemadmodum in his corporibus latēt,

Ficinus. Porphyrius. Plato. Calcidius. Origenes.

ſed

ſed ſicut nonnulli motus animorum apparent in vultu, & maximè in oculis, ſic in illa perſpicuitate, ac ſimplicitate cæleſtium corporum omnes omnino motus animi latere non arbitror. Hæc opinio improbabilis eſt, à vtroque abhorrens, idque fuit a D. Thoma mōſtratum *in ſec. ſecunda quæſt.* 95. *art.* 5. atque ex his perſpici poteſt. Stellę aut ſua natura ſignificant ea, quorum ſunt ſigna, aut quod ſignificent, pendet ex animæ cæleſtis voluntate, cui tanquam oculi, vt dicebat Ficinus, deſeruiunt: prius ſi ponatur, cauſſa erit afferenda diuerſitatis eodem partu natorum, eodemque tempore genitorum, quibus eadem ſunt ſigna, in moribus, euentis, cæteriſque omnibus ad vitam humanam pertinentibus: Et cum ſignum gratia illius ſit poſitum, quod ab ipſo ſignificatur, atque quod eſt gratia alicuius, id ſit minus nobile, ac ſit illud, cuius gratia eſt comparatum, planè ſi ſtellæ ſua natura eſſent ſigna, quæ ſignificarent futura, his cederent dignitate; id autem turpe eſſe omnes philoſophi exiſtimant, qui ſtellas multò pluris, quam corpora caduca ſemper fecerunt: Sin poſterius, ſtellæ & ſigna & non ſigna eſſe poterunt; quoniam autem dum cernuntur, latet, ſintne ſigna, non erit, vt fidei multum ea um ſignificationibus tribuatur. Et ſi dixerint ſtellas perpetuò ſigna eſſe, quamquam ad ſignificandum miniſtrent animis cæleſtibus, rogabo, nunquid animæ cæleſtes vtantur eis tanquam ſignis nunquam mentientibus; ſi negent, fidem ſibi abrogent, eſt neceſſe ex ſignis quandoque falſis, & mendacibus futura prædicentibus: ſin affirment, quæ ab eis ſignificantur, neceſſario ſemper euenient; quod non eſſe ferendum paulò poſt monſtrabitur. Quod nonnulli his reſiſtentes dixerint cum tubæ clāgor ſit verum, & minimè mendax exercitus aduentantis ſignum, hinc tamē haud ſequi, vt exercitus neceſſariò adueniat, id nihil eſt, quoniam ſi audito tubæ clangore exercitus interdum non accederet, tubæ clangor non verum, ſed fallax eſſet huius ſignum: quapropter vt is nunquā decipiat, exercitus ſemper accedat oportet, quamquam ei integrum ſit accedere, & non accedere, nam & cum mihi integrum ſit progredi; & non progredi, attamen neceſſe eſt me ſemper progredi, ſi vllū verum, & numquam decipiens mei progreſsus ſignum apparuerit. Deinde ſi ſtellæ, ac ſtellarum aſpectus, curſuſque ſint ſigna eorum, quæ caducis corporibus eueniūt, vel erunt per ſe ſigna, vel ex euentu: Si ex euentu, tamq. ſigna temeraria, ac fortuita erunt negligenda: Sin per ſe, cum ijs, quorū ſunt ſigna, erunt neceſsariò connexa. Verum cum hæc connexio tribus modis poſſit conſiſtere: vno modo, ſi ſigna efficiantur ab ijs, quæ ſunt ab ipſis indicata; altero, ſi eadem efficiant ea, quæ ſignificantur: tertio, ſi vtraque hoc eſt ſigna, & ea, quorum ſunt ſigna, ab eadem cauſſa emanent, nul-

Cōfutatio

Primum argum.

Reſiſtētia quorundā.

Repulſio.

Secūdum. Signa, & ea, quorū ſunt ſigna quot, quibuſq modis connexa.

nullus eſt modus,qui careat reprehenſione. Ac primum quidem cō nexio non eſt in hoc poſita,quod cæleſtia ſigna ſint effecta eorum, quæ ab eis ſignificantur, quia nemo non dat cælorum motus, & ſtellarum poſituras non eſſe rerum caducarum effecta,nam cum cæleſtia ſigna tempore prægrediantur ea,quæ ſignificantur, qui fieri poteſt, vt horum ſint effecta,ſi cauſſam effectum nunquam tempore antegreditur? Nec præterea in eo conſiſtit,quia ſigna in cælis poſita ſint cauſſæ eorum,quæ ſignificantur,nam hi,quibus cum diſputamus,perſpicuè ſentiunt ſtellas,ſignaque cæleſtia non eſſe cauſſas eorum,quorum ſunt ſignificationes. Nec denique cenſendum eſt cæleſtium ſignorum, & eorum,quæ ab his ſignificantur, eſſe aliquam communem cauſſam,cæleſtiaque ſignificare hæc noſtratia non ſecus,ac iris protendit ſerenitatem,quod hæc, & illa ab eadem cauſſa prouenian t,quoniam nulla eſt cauſſa materiæ, ac magnitudini affixa, à qua cælorum,& rerum caducarum motus,atque affectiones efficiantur. Quod ſi aduerſarij velint hanc cauſſam eſſe mentem à materia diſiunctam, exagitabuntur, tum quia Ariſtotelis doctrina non admittit mentem à materia ſeparatam,quæ ſemper vno eodemque ſe habet modo,efficere ea, quæ ſecus ſe habent, varietateque continentur: tum etiam quia hinc ſequitur mentem beatam efficere illa,quæ non carent vituperatione veluti hunc ad cædes, illum ad furta,& alium ad libidinem incitare. Quod quidam ex hoc argumēto ſeſe expediant aſſeuerantes fieri poſſe, vt quodpiam ſit ſignum alicuius,cum quo non eſt vllo dictorum modorum deuinctum, nam ortus caniculæ eſt maximi æſtus indicium,& hirundinum aduentus ſignificat ver, quibus non eſt datum, vt vel cauſſæ, aut effecta ſint eorum,quæ ſignificantur, vel ab ea fiant cauſſa, à qua efficiuntur ea, quorum ſunt ſigna,non rectè ſeſe expediunt, quoniam ver eſt cauſſa,cur hirundines ad hæc noſtra loca euolent, & caniculæ ortus per accidens ſummum æſtum ſignificat,quod tempore,quo illa oritur,contingat aerem vehementer calere. Poſtremò in ſtellis vel omnium euentorum ſigna poſita ſunt,vel quorundam; nō omnium, tum quia fieri non poteſt, vt innumerabilia, & in magna varietate poſita,quæ fiunt in hac vniuerſitate caduca, à non multis ſtellis ſignificentur; nam quamuis in cælo cernatur incredibilis ſtellarum copia,innumeris tamen omiſſis Aſtrologi paucas eſſe dignas putarunt,quas contemplarentur, tum etiam quod indignum ſit ſtellas præmonſtrare,quę muſcis,rebuſque alijs vilibus,& abiectis accidūt, nec quoque quorundam,quoniam ratio huius probabilis erit afferenda; hæc autem cum ſit cognitu difficilis,non eſt, vt temere fides habeatur quærentibus in cælo,& in ſtellis eorum,quæ ſunt futura, ſignificationes. Et quamuis Plato his ſignis videatur ſuffragari, aduerſa-

Effectus cauſſā nūquam tempore antegreditur

Solutio quorūdā.

Caſtigatio.

Tertium.

Plato aduerſarijs non ſuffragatur.

uerſarijs tamen non opitulatur, quippe qui continuò ſubiungat perſpicere hæc ſigna non noſtrum, ſed dæmonum eſſe, cum nobis nec ætas, nec oculus, nec ingenium ſuppetat. His addiderunt nonnulli è Platonis ſchola non quibuſuis dæmonibus conceſſam eſſe ex cæleſtibus ſignis rerum futurarum prædictionē: nam qui in aere habitāt cælum attingente, & qui infimum incolunt terram, & aquas ambientem, non eſſe rationi conſonum cęlum, & aſtra ſuſpicere, vt quæ nobis euentura ſunt, præſentiant; illos, quia in diuinis rebus contemplandis verſantes indignum eſt mortalium euenta perquirere; hos, quia cum ſuam operam locent in noſtris adminiſtrandis, par eſt, vt potius ex ijs, quæ rerum caducarum ſunt propria, quam ex ijs, quæ ſunt in cælis, euentorum præſenſiones ſcrutentur. Quocirca ſolos dæmones, quibus media aeris regio eſt domicilium, cæleſtium ſignorum eſſe inſpectores, & ad hoc diuinandi munus accommodatos. Quod quidam, è quorum numero eſt Iulius Sirenius *in lib. 9. de fato cap. 35.* putauerint hoc dogma fuiſſe à D. Auguſtino amplexatum, id falſum eſt, tum quia turpe eſt id placuiſſe viro doctiſſimo, quod ab eo fuit damnatum *in lib. 5. de Ciuit. Dei cap. 1.* tum etiam quia locus recitatus ſi attento animo conſideretur, perſpicuū erit corpora cæleſtia ſignificare D. Auguſtino non cæleſtes globos ſed hominum beatorum corpora poſt reſurrectionem cęleſti gloria & immortalitate donata, inter quæ, & hæc caduca illud ponitur diſcrimen, quod in his cordium arcana occultentur, ex quo fit, vt alij ſæpè fallantur, & in illis omnium corda ſint futura omnibus aperta, nulluſque locus ſit fraudi, & deceptioni manſurus. *Dæmones cæleſtium ſignorum inſpectores* *Iulius Sirenius caſtigatus.* *D. Auguſtini locus explicatus*

Refutantur ea, quæ multos induxerunt, vt crederent in cælis ſigna eſſe poſita eorum, quæ eueniunt. Cap. XVIII.

QVæ in animis aduerſariorum hanc opinionem excitarunt, facilē habent reprehenſionem: Plotinique argumentatio refutatur, quoniam impar eſt ratio vniuerſi, & animalis: etenim in animali partium connexio eſt multò arctior quam ſit in vniuerſo, quando quidem venæ, arteriæ, & nerui per ipſum pertinent, & nulla pars eſt, quæ non vinciatur ab his & cum reliquis non colligetur, in mundo quamuis partes ſeſe tangant, hæ tamen nullo vinculo ſunt conſtrictæ, & vna iunctæ, ſed ſolutæ ſuis in locis manent à cæteris ſeparatæ: Accedit in animali vnius partis affectionem nobis alterius partis conſtitutionem indicare, vel quia illa eſt huius cauſſa, aut effectum, vel quoniam cauſſa vtriuſque eſt vna, & eadem, quare cum ſtellæ, ſtellarumque motus, & aſpectus non ſint cauſæ, vel effecta rerum caducarum, nec prę terea ab ijs fluant ea, à quibus res caducæ *In animali partium connexio eſt arctior quam in vniuerſo.*

caducæ efficiuntur, non eſt, ut cõcludamus in vniuerſo hæc noſtratia à ſtellis ſignificari, quod cernamus in animali, paruoque mundo vnius partis affectum alterius partis ſtatum prænunciare. Quòd Ficinus ſcribat in cæleſtium corporum animis impreſſam eſſe rerum futurarum ſeriem, hancque ſtellis veluti nutibus quibuſdam aperiri nobis, id cum nulla ratione confirmetur, non habet momentũ ad id, de quo agitur, perſuadendum. Locus in cap. 1. Gen. in cuius enarratione Origenes lepſus eſt in hanc opinionem, ſi legitime fuerit explicatus, ex eo nullum patrocinium perueniet ad hanc opinionem. Cum ſigni duplex ſit vſus D. Bonauentura *in lib. 2. ſent. diſt. 14. in ſol. dubit.* 4. nos admonente, ad diſtinguendum ſcilicet, & ad ſignificandum, fieri poteſt, vt diuino ſcriptori vſus vterque fuerit propoſitus; vt ſi prior ſententia eſt luminaria fuiſſe facta, ut ab his diſtinguantur dies & noctes, annique & mẽſis tempora, nam diurna Solis motio diem ciuilem conſtituit, diemque naturalem à nocte diuidit: & eiuſdem ſub circulo obliquo peragratio conficit annum, & hunc in quatuor tempora ſcindit. Luna verò motu ſuo parit menſem, quem ſui luminis accretione, diminutione, & obſcuratione in quatuor partes diducit. Sin poſterior, ſenſus eſt Solem, & Lunam fuiſſe condita ad ſignificanda pleraque eorum, quæ natura fiunt in aere terram, & aquas ambiente. Prior explicatio huius loci verbis ſatis accomodata videtur, ac poſterior grauiſſimos viros habet amatores, nam Baſilius *in Hexam. hom.* 6. hunc locum exponens hæc habet: Neceſſariæ ſunt ad humanam vitam luminarium notę, ac ſignificationes: ſi enim quis non vltra modum ſigna ex ipſis curioſius inquirat, utiles obſeruationes ex longa experientia comperiet. Multa enim de pluuijs diſcere licet, multaque de ſiccitatibus, & ventorum agitationibus aut in parte, aut in vniuerſo vehementioribus, ac leuioribus. Vnum enim quoddam ex his, quæ à Sole oſtenduntur, etiam Dominus nobis tradidit, cum inquit tempeſtatem futuram eſſe, quoniam triſtatur rutilans cælum. Cum enim per nebulam Solis aſcenſus contingit, obſcurantur tum radij, prunarũque ſpecie, & colore ſubcruentus ipſe conſpicitur, craſſitudine aeris talem imaginationem oculis noſtris inducente; non diffuſus autem à radio denſatus tunc, & compactus aer manifeſtus fit, quod propter influxionem vaporum ex terra ſuperari non poſſit, ſed ob humoris redundantiam tempeſtatem inducturus ſit regionibus, circa quas congregatur. Similiter & Luna cum caliginoſo humore circundatur, idem portendit: Et cum orbes ij Solem cingunt, quos areas appellare ſolent, aut aquæ aeriæ copiam ſignificant, aut flatuum vehementium concitationem: Quinetiam ij, quos aduerſos ſoles appellant, cum ſolis curſum conſequuntur, accidentium quorundam

Loci in ca. 1. Gen. explanatio.

Signi duplex uſus.

D. Bonau.

Baſilius.

rundam

Digitized by Google

rundam aeris fiunt præſagia, quemadmodum & virgulæ colore iridis præditæ rectæ in nubibus apparentes imbres ſæuos, aut tempeſtates atrociſſimas, aut aeris omnino non mediocrem mutationē portendunt. Complures quoq. ſignificationes & circa Lunā obſeruarunt accreſcētē, decreſcentēq. qui huic ſtudio operam impederūt quaſi aer terræ imminēs una cū ipſius Lunæ formis neceſſariò permutetur: Tertio namq. die ſi tenuis ſit, puroq. nitore fulgeat, ſerenitatē conſtantē pręnunciat: ſin craſſa cornibus ſubrubicundaq. cernatur, aut impetuoſam, et immodicam è nubibus aquam, aut horridam auſtri concitationē minatur. Quanto aūt emolumento ſint vitæ humanæ, quātāq. vtilitatē eidē præſtent tales ex hiſce luminaribus obſeruationes, quis ignorat? Expedit.n. nautæ ſuā intus in portu continere nauem ex ventorū agitatione futura pericula præuidenti. Expedit iter facienti incōmoda aeris vitare ex ipſa aeris triſtitia mutationem expectanti. Expedit & agricolis, qui in ſerendis ſeminibus, cultuq. ſtirpiū elaborāt, omniū hinc officiorū, operumq. ſuorū exercendorū opportunitatē, tēpuſq. idoneum inuenire. Iā vero diſſolutionis ēt vniuerſi ſigna Dominus daturum Solē, & Lunā, & ſtellas prædixit: Sol vertetur in ſanguinē, & Luna nō dabit lumē ſuū. *Hæc* vniuerſæ cōſummationis ſunt ſigna. Sed homines ij, qui ſcripta transiliunt, ad defenſionē Genethliacæ artis multo vaniſſimæ hanc trahere ſcripturæ ſententiā conantur. Hactenus Baſilius, cum quo aliquatenus facit Theodoretus, qui *in quæſt. 15. in Gen.* reſpondens ad hoc: Quid hoc eſt: In ſigna & in tempora? habet hæc: Quod autem dicitur, in ſigna, non intelligimus ſecundū opinionē quorundā ſtultorum, ſiquidē varā illā de cuiuſq. natiuitate diſceptationē nec Pythagoras, nec Socrates, nel Plato, nec Stoici receperunt. Quod ſi qui in fabulis educati ſunt, huius fabulæ impietatē execrantur, quis diuinis ſermonibus credens hæc non modo impia, ſed etiam valde fatua recipiat? Signa igitur vocat ſcriptura diuina, quibus cognoſcamus tēpus opportunum ſeminādi, putandi, & ligna cædendi ad nauium, & domū cōſtructionē idonea. Inde etiā nautæ didicerunt, quando opportunè nauē ſubducere, vel impellere conueniat & quādo vela pādere, aut cōtrahere oporteat: Experientia.n. ipſos docuit aſtrorū ortus, & occaſus. Sæpè etiam nos quoq. hac ratione cognouimus cometam, aut barbatam ſtellam, atq. etiā ſi placet impetum hoſtiū nouimus, aut lucuſtræ incurſum, aut iumentorū, vel hominū cladem futuram. Hæc igitur ſigna vocauit ſcriptura, nō illa planè dementiæ, atque impietatis plena. Nec ſecus hunc locum interpretantur D. Auguſtinus, Chryſoſtomus, & Appolinarius, qui aſseuerant ſtellas in cælo fuiſse infixas, vt eſsent ſigna non quidem eorum, quæ hominibus contingunt, ſed imbrium, ſiccitatum, ventorum,

Theodoretus.

D. Auguſt. Chriſoſto. Appolinarius.

tempeſtatum, & aliarum huius generis mutationum, quæ a nautis in nauigatione, ab agricolis in agrorũ cultura, & a Medicis in morborum curatione obſeruantur. *Philo.* Et quamuis Philo *in lib. de mundi opificio* hunc locum exponens ſcribat ſtellas eſſe factas non ſolum ad lucem in terras emittendam, ſed etiam ad futura præſignificanda, non admittit tamen Chaldaicam vanitatem, nam futura, quæ ex ſtellarum ortu, & occaſu, emerſione, & occultatione, & alijs varietatibus præſignificantur, non ſunt varij hominum caſus, & quæ ſita ſunt in noſtra voluntate, ſed, vt idem inquit, fructuum copia, & inopia, animantium peſtis, aeris tranquillitas, ventorum procellæ, fluminum inundationes, & exilitates, maris mollicies, & tempeſtas, terræ concuſſio, & alia huius generis: hæc autem putat ſic homines præſagire, vt ſolum de eis faciant coniecturam, & non vt affirment ea neceſſariò eſſe euentura. Teſtimonium ab Origene productum *ex lib. quem vocant Ioſephi narrationem* nullius eſſe momenti is facilè *Athanaſius.* ſibi perſuadebit, qui ex Athanaſio *in Synopſi* intellexerit hunc librũ in apocryphis numerari. *Iſaia locus explicatus.* Alterum ex Iſaia non eſt quoque multi faciendum, quoniam ſi ſequamur præſtantiſſimorum virorum explanationes, nihil ex eo poteſt confici, quod faueat Origenis opinioni, *Iuſtinus.* Iuſtinus *in lib. quæſt. Orthodoxarum* reſpondens ad quæſt. 94. inquit morem eſſe diuinarum literarum vti ſimilitudinibus; atque hoc in loco cæli diſſolutionem per comparationem conferri cum volumine inuoluendo, & implicando, ſicut apud Dauidem in pſalmo 101. *D. Hieronymus.* cum veſtimento veteraſcente, & commutando. D. Hieronymus in huius loci enarratione Conſiderandum, inquit, quod non dicat interire cælos, ſed replicari, ſiue complicari quaſi librum, vt poſtquã omnia peccata fuerint aperta, & relecta, complicentur qui prius aperti fuerant, vt nequaquam vltra ſcribantur in eis delicta multorum. In ſcriptura enim dicuntur cæli annunciare iuſtitiam Dei, reuelare iram eius, & probare, ac teſtificari hominum ſcelera. Sentiũt alij his nos admoneri tam inſignem fore omnium rerum perturbationem, & oppreſſionem earum gentium, quibus eo in loco Deus *Libri antiquitus apud Hebræos vnico folio conſtabant.* minatur vindictam, vt eis poſſit videri cælorum lumina extingui, & cælos veluti librum complicari. Libri enim antiquitus apud Hebræos vnico folio conſtabant, erantque vnica membrana oblonga circa axem ligneum circumplicata. Sed & hæc ita poſſumus accipere, vt ſignificetur, quemadmodum liber complicatus nullum vſum ex ſe fundit, ita cælos nullam caducis vtilitatem vlterius eſſe *Propria explicatio.* allaturos ſuis à motibus ceſſantes. *Locus in pſalm. 18. explicatus.* Demum cum diuinus Vates cecinit firmamentum annunciare Dei opera, nihil aliud ſibi voluit, quam cælum adeo pulchrum, & ſpecioſum eſſe, vt cuiuis perſuadere poſſit ipſum non potuiſſe confici niſi a ſummo rerum opifice;

vel

Digitized by Google

vel ſignificaui t cæli pulchritudinem eſſe quodammodo indicium pulchritudinis operum diuinorum, quæ ſola mente percipiuntur.

Aſtrologiæ prædictiones ſunt aut inanes, aut impoſſibiles, & unde exiſtat, quod quandoque ſint vera. Cap. XIX.

Sextus Empiricus

EX his, quæ hactenus ſunt diſputata, quamuis conſtet inanes eſſe Aſtrologos ex cæli inſpectione ſibi pollicentes cognitionem eorum, quæ in hac mortali vniuerſitate ſunt euentura, attamen placet his obijcere, quæ à Sexto Empirico contra diuinantem Aſtrologiam diſputantur, nam hic & propter ingenij ſubtilitatem, & propter doctrinæ copiam non indignus eſt, qui à literarum ſtudioſis audiatur. Hic igitur aduerſus Aſtrologos coniectores diſputans habet hæc: Quoniam ex ijs, quæ fiunt, alia quidem fiunt neceſſariò, alia fortè fortuna, & alia ſunt in noſtra poteſtate, omnino Chaldæi ſi prædictionem ſibi conſtituunt, quæ poſſit eſſe, aut in ijs, quæ ſunt neceſſariò, facient prædictiones, aut in ijs, quæ fortè fortuna eueniunt, aut in ijs, quæ ſunt in noſtra poteſtate. Vt ſi in ijs quidem, quæ fiunt neceſſariò, vitæ ſunt inutiles; quod enim neceſſariò accidit, non licet declinare, ſed velimus nolimus, hoc eueniet: tunc autem vtilis eſt prædictio, ſi eò referatur, vt id vitetur. Si autem in rebus fortuitis, profitentur, quæ non poſſunt fieri, nam quæ fortuitò fiunt, ſunt inſtabilia; inſtabilium autem, & quæ aliter, & aliter accidunt, non poteſt eſſe ſtabilis, & firma prædictio. Reſtat ergo, vt eorum prædictiones ſint in ijs, quæ ſunt in noſtra poteſtate, quod quidem rurſus fieri non poteſt: nam quod in mea ſitum eſt poteſtate, id an ſit euenturum, aut non, non poteſt quiſquam prædicere. His docet hic vir Chaldæorum prædictiones eſſe aut inutiles, aut impoſſibiles, quas longius progrediens conuellit, quod non poſſit conſtitui Horoſcopus, in quo poſitum eſt fundamentum totius artis Chaldaicæ ex aſtris prædicendi; id autem ita declarat. Vt Horoſcopus conſtituatur, tria poſtulantur, primum, vt ortus illius, de quo eſt prædicendũ ſit firmiter comprehenſus; alterum, vt id, quod ſignificat Horoſcopum, non aberret, tertium, vt ſigni aſcenſus ſit exactè, & perfectè perſpectus. Hæc verò ſunt penitus incerta. Ac primum quidem ortum eſſe incertum ex eo conſtat, quod hic ſumendus ſit aut à conceptione, aut à partu, & neque ab hoc, neque ab illa poſſit ſumi; A conceptione nequit ſumi, quod huius tempus non poſſit exactè comprehenſii, idque intelligitur ex eo, quoniam conceptio poteſt fieri ſimul, ac ſemem iniectum fuerit in vterum, poteſt etiam poſt aliquod

Horoſcopus non poteſt conſtitui.

Horoſcopus vt conſtituatur, quot, & quæ poſtulentur.

Conceptionis tempus non poteſt comprehendi.

Phyſici.

tempus, nam ſemina quoque, quæ iaciuntur in terram, non ſtatim radices agunt. Et ſi, vt nonnulli dicunt Phyſici, prius coquitur, & mutatur ſemen, quam fiat conceptio, planè quoniam ignoratur, quantum temporis in mutatione conſumitur, ignoratur etiam tempus conceptionis. Præterea ſicuti in reliquis partibus corporis in partium operationibus differunt inter ſe mulieres, ita veriſimile eſt eas quoque in vteri operatione differre, & alias citius, alias tardius concipere. Accedit, quod mulieres ſibi ipſis comparatas nunc facilius, nunc difficilius, aut non omnino concipere: quod cum ita ſit, patet non poſſe accuratè, & exactè ſciri, quando facta ſit conceptio, ita vt ex hoc tempore horoſcopus conſtituatur. Quod ſi quiſpiam dixerit conceptionis tempus ex ſignis quibuſdam intelligi, veluti ex eo, quod poſt coitum exſiccati ſint ſinus muliebres; obſtructum ſit os vteri; ceſſarit menſtrua purgatio; & pica aduenerit, hic admonendus erit hæc ſigna interdum in ijs cerni, in quibus nulla eſt conceptio, nec præterea excitari, vt primum facta eſt conceptio ſed cum aliquod temporis ſpatium præterierit, in quo dies plures, & pauciores poſſunt abſumi. Sed nec etiam ex partu, nam dubiũ eſt, quando dicendum ſit eſſe partum, num quando fætus, qui naſcitur, incipit oriri, an quando parum extat; an quando ex vtero penitus eſt egreſſus. Deinde nec in horum vnoquoque exactè, & abſolutè poteſt tempus partus definiri, quando quidem & propter animi conſtantiam, & propter corporis aptitudinem, & locorum affectionem, & propter obſtetricis experientiã, & innumerabiles alias occaſiones non eſt idem tempus, quo ruptis membranis fætus incipit naſci, aut foris parum exiſtit, aut in lucem prorſus eſt editus, ſed aliud poſt aliud. At verò horoſcopum non poſſe Aſtrologis certum eſſe,

Horoſ. coſmi non eſt certus Aſtrologis.

& non aberrans licet hinc conſiderare. Inquiunt hi eum, qui aſſidet parturienti, partum diſco ſignificare Chaldæo ſtellas inſpicienti, & hunc cælum intuendo ſignum, quod oritur, obſeruare; id ſi ita eſt, profectò quoniam partus non eſt definitus, vt proximè dictum eſt, non erit facile hunc diſco ſignificare. Deinde eſto, partus comprehendatur, non tamen eius tempus poteſt perfectè adnotari, quoniam diſci ſonitus non illico peruenit ad Chaldæum, atque huius inditio eſt id, quod cernitur in ijs, qui ligna ſecant in montibus, nam ſatis longo tempore poſtquam inflicta eſt ſecuris, ictus exauditur, vt qui ad audientis aures longiori tempore veniat. Præterea non ſolum poſt partum ponitur multum temporis, in quo emittitur ſonus ab eo, qui aſſidet parturienti, ad eum, qui ſtellas aſpicit, ſed etiam interim dum hic ſurſum oculos tollit, & examinat, in quo ſigno ſit luna, & vnaquæque ſtella, cũ cælũ perpetua circũagatur celeritate, cæli & ſtellarum cõſtitutio ſit diuerſa, priuſq. horæ eius, qui natus eſt, obſeruando affixerit, & accommodauerit ea, quæ cernuntur

tur

tur in cælo. Deinde hæc obſeruatio nocte ſerena fortaſſe poterit fieri, quando cernuntur, quæ ſunt in circulo Zodiaco, & manifeſtæ sũt ſtellarum figurarũ cõformationes; atqui non pauci interdiu, & nocte nubiloſa naſcuntur, quãdo ſtellæ nõ poſsũt obſeruari; de his igitur qui prædictiones fieri poterũt? Sed nec etiã ſigni aſcenſus poteſt exactè, ac perfectè perſpici, q̃ non facilè poſſint inter ſe definiri, imo ne poſſint quidẽ perfectè definiri partes ſignorũ, & ſit veriſimile iam exortũ ſignũ nõn videri eſſe ortũ, & contra nondũ exortum videri eſſe ortum. Et cum vniuſcuiuſque ſigni corpus non ſit continuũ, neq. veluti cũ præcedẽti cõpactũ, ſed cõſtet ex ſtellis diſperſis, & quibuſdã intermedijs partim in medio, & partim in fine diſtinctis, pár eſt, vt errent, qui obſeruãt à terra, cũ eos lateat occurrens interſtitium nunquid ſit finis antecedẽtis ſigni, an cõſequẽtis. Cumq. præterea aer ſæpenumero ſit craſſus, & caliginoſus prope horizontẽ, eſt verſimile propter viſus refractionem ſignum, quod eſt adhuc ſub terra, videri iam eſſe ſuper terram. Demum etiam ſi accuratè ac perfectè comprehendi poſſet tempus ſignorum aſcenſus, illud tamẽ eſt euidens nullũ ex priuatis, & imperitis ad Chaldæos accedere accuratè obſeruato tẽpore ſui ortus; hoc.n. eſt maius, quã poſſit ab imperito diſcerni. Quapropter quoniã Chaldæus nõ accuratè, perfecteque obſeruauit tempus ortus in hoc imperito, ſed ex eo ipsũ audiuit, hic autẽ imperitus partim propter imperitiã, partim quia nõ multũ ſtudij in ea re poſuit, accuratã, & perfectã nõ habet tẽporis notitiã, cõficitur nullã perfectã rectãq. prædictionẽ accedere hominib. ex arte Chaldaica. Et his quidẽ Sextus Empiricus deſtruit Chaldeorũ p̃dictiones, aduerſus quas haud diſſimili argum. inuehitur D. Baſilius in Hexam. hom. 6. in qua poſtquã docuit fieri nõ poſſe, vt Chaldæis illud tẽporis momẽtũ, quo ſit enixus, exactiſſimè ſit cognitũ, nã cũ ſimul atq. editus puſio eſt, obſtetrix primũ mas ne ſit, an femina, exploret, tũ infãtis vagitũ expectet indicium vitæ eius, qui natus eſt, deinde dicat Chaldæo partum, qui editus eſt, innumerabilia momẽta neceſſe eſt prætercurriſſe, priuſquam Chaldæus tẽpus & horã exploret; & præſertim ſi fortè fortuna hic fuerit nõ in mulierũ cõclaui pręſens parturiẽti, ſed in ædiũ atrio, aut veſtibulo cælũ, & ſtellas obſeruans, cõcludit deridẽdos nõ mediocriter eſſe tã eos, qui ſtudio huius artis operam dederunt, quã eos, qui hiantes ab illorum ore pendent intenti, perinde quaſi omnia illi ſcire poſſint, quæ ipſis ſunt euentura. Quod ſi Chaldæi dixerint ſumi ab ipſis tempus non accuratè, & perfectè, ſed craſsè, & aliquam habens latitudinem, eos rogabimus, cur qui eodẽ craſsè, & latè ſumpto tẽpore nati ſunt, nõ eãdẽ traduxerunt vitã, ſed alij diuitẽ, & alij inopem? Non eſt igitur dubitandum, quin vana, & fallax ſit ars prædicendi Chaldaica, atq. id ſanè Chaldæorum pleriq. intellexerunt, à quibus teſtãte Strabone

Signi aſcẽſus non poteſt perfectè perſpici.

D. Baſil.

Chaldæi.

Digitized by Google

Eudoxus.

Archelaus Caſsãdrus

Scillax Haliarnaſſeus

Ptolemæus

in lib. 16. Geograph. Genethialogiam profitentes non fuerunt recepti;& non ignorauit Eudoxus Platonis auditor,& Ariſtotelis familiaris in Aſtrologia iudicio doctiſſimorum hominum facilè princeps, qui ſcripſit Chaldæis nullam fidem eſſe habendam ex natali die, quid cuique euenturum ſit, prædicentibus: Idem Archelaum,& Caſſandrum ſummos Aſtrologos minimè latuit, qui hoc prædictionis genere nunquam ſunt vſi; nec Scillac. Halicarnaſſeo in Aſtrologia excellenti fuit obſcurum, qui totum hoc Chaldaicum prædicendi genus habuit pro nihilo. Quinetiam Ptolemæus in Aſtrologia verſatiſſimus non multum fidei videtur Aſtrologicis prædictionibus tribuiſſe, qui initio lib. 1. de Iudicijs ſcribit in futuris prædicendis multum falli etiam diligentiſſimos, & ſummo ſtudio in Mathematicis verſatos, tum quia materiam tractat, quæ non certa ſcientia, ſed coniectura tenetur; tum etiam quoniam configurationes, quas veteres tradiderunt, ne ſemel quidem cum noſtris ſimiles, & congruentes reperire contingit, nam magis quidem, aut minus concordare poſſunt, atque id quidem immenſis temporum ambagibus, prorſus autem conuenire nullo modo, cum omnium rerum cæleſtiũ ſimul, ac terreſtrium inſtauratio aut non ſit prorſus expectanda, aut non intra ſaltem tempus, quod hominis mente comprehendatur. Ita ſenſit Ptolemæus Aſtrologorum magiſter de futurorum prædictionibus, qui ſi mente habuiſſet integram, & à Chaldæorum præſtigijs ſolutam, non dubito, quin eas fuiſſet omnino vituperaturus.

Senatus Romanus.

Has ſanè damnauit Senatus Romanus, qui, vt C. Tacitus *in lib. 1. hiſto.* ſcriptum reliquit, earum profeſſores hominum genus petentibus infidum, & ſperantibus fallax ex vrbe, & Italia ſæpè eiecit, exilioque mulctauit. Sed & eaſdem fallacijs conſtare, & ad quæſtum inuentas viri complures eruditiſſimi intellexerunt, quorum nonnulli adeo vanam iudicarunt diuinantem Aſtrologiam, vt putauerint illos, qui de ea ſcripſerunt, nullam ijs, quæ literis conſecrabant, fidem habuiſſe.

Aſtrologi cur vera quandoque effutiat.

Nec aliquis commoueatur, quod interdum eueniãt, quæ Aſtrologi fuerunt vaticinati, quoniam cum ſint multò plura, quæ ab eis prædicta non eueniunt, exiſtimandum eſt illos temere, ac fortuitò in veritatem incidiſſe. Rarò accidere, quæ Aſtrologi ariolantur, promptum erit cognoſcere, ſi de futuro aeris ſtatu interrogentur, nam aeri omnia ferè contra ac ab iſtis fuerit dictum, contingere inueniemus, vt non immeritò vis quidam grauis iudicij dixerit, ſi vis diuinare, totum cõtrarium ad vnguem dicito eius, quod Aſtrologi aut pollicentur, aut minitantur. Itaque ſi de aeris conſtitutione vaticinantes tam ſæpe mentiuntur, quis nõ ſentiat eos multò ſæpius mentiri in hominum euentis diſcernendis, quæ ex cælo minus pendent, ac longè laborioſius poſſunt præuideri? His adiun

gere

Digitized by Google

gere poſſumus Aſtrologos interdum vera vaticinari, quod hi ſuis prædictionibus vel ſpem, vel metum iniicientes iis, a quibus interrogantur, efficiunt, vt hi aut ſpe incitati, aut timore perculſi conſequãtur ea, aut incurrant in ea, quæ ipſis euentura fuit prædictum: quæ enim quiſque timet, in ea facilè incidit, & quem ſpes tenet alicuius boni, is magnis periculis ſe exponendo fit quandoque compos boni, cuius ſpe ducitur. Hæc optimè cognita fuerũt Phauorino, qui apud A. Gellium in diſſeptatione ſupra citata nos admonet, ne iſtis ſycophantis fidem habeamus, quod interdum vera quædam effutiant, aut ſpargant, quoniam non comprehenſa, neque definita, neque percepta dicunt, ſed lubrica, atque ambagioſa coniectatione nitentes inter falſa, & vera pedetentim quaſi in tenebris ambulantes progrediuntur, & aut multa tentando incidunt repente imprudente in veritatem, aut eorum, qui ipſos conſulunt, multa credulitate ducente perueniunt callide ad illa, quæ vera ſunt: quæ tamen omnia cum iis, quæ mentiuntur, comparata vix partem milleſimam exæquant, & aſſequuntur. Quinetiam fieri poteſt, vt Aſtrologus eo ingenio præditus ſit, atque in rebus humanis ſic verſatus, vt hominis ipſum conſulentis cognita temperatione, & hanc comitante ad virtutes, & ad vitia propenſione, ac præterea perceptis ſtudiis, conſuetudinibus, atque familiaritatibus aliqua huic euentura poſſit verè prædicere: atque hoc modo quod ſuæ eſt ſolertiæ, id ad vanam cæli inſpectionem referre. Cum hæc igitur ita ſint, patet vanum eſſe Aſtrologos coniectores conſulere. Ac ſanè non expedire de iis, quæ futura ſunt, hos conſulere præclarè Phauorinus hoc argumento declarauit. Genethliaci aut aduerſa euentura dicunt, aut proſpera: ſi proſpera, & fallunt, miſer fies fruſtra expectando: ſi aduerſa, & mentiuntur, miſer fies, fruſtra timendo; Si vera reſpondent, eaque non ſunt proſpera, iam inde ex animo miſer fies, antequam e fato efficiaris: Si felicia promittunt, eaque ſunt euentura, boni expectatio te ſuſpenſum fatigabit, & eiuſdem cognitio anticipata futurum gaudii fructum tibi deflorabit; Nullo igitur modo utendum eſt huiuſmodi hominibus res futuras præſagientibus. Sed & idem ex his intelligi poteſt. Rerum futurarum prædictiones ſuntne certæ, & nunquam falſæ? an incertæ, & quandoque falſæ? Si certæ, & numquam decipientes inducantur, quæcunque ab Aſtrologis prædicentur, euenient neceſſario; idque ſi eſt, quorſum Aſtrologos conſulere, cum quæ nobis aduerſa ſunt futura, quamuis præuiſa, non poſſint præcaueri; & quæ proſpera, non poſſint eripi? & de illis ſiue capiatur conſilium, ſiue non capiatur, & hæc placeant, diſpliceantue hoſtibus noſtris, nihilominus ſint euentura, nõ ſecus ac fuerit ab Aſtrologis prædictum? Sin fallaces, non erit, vt fiant multi, & tanquam

Phauorini argumentum, quod Aſtrologi cõiectores non ſint conſulendi

men-

mendaces erunt contemnendæ. Atqui aduerſus Aſtrologorum prędictiones hactenus dixiſſe ſit ſatis.

Aſtrorum motus non affert vim iis, quæ natura fiunt, ſic vt aliter fieri non poſint. Cap. XX.

PRoximum eſt, vt oſtendamus fieri non poſſe, vt cælorum, & aſtrorum motus vim afferat ijs, quę cælo ſubdita ſunt, ſic vt ſecus euenire non poſſint, atque eueniant. De hoc autem etſi nonnulla à nobis dicta ſint refellentibus argumenta cæli effectionem infeſtantia, attamen vt huius Chaldaici decreti falſitas magis appareat, idem lat us docere ingrediemur. Omnia quæcumq. fiunt in hac rerum caducarum vniuerſitate, duobus generibus continentur, vnum eſt eorum, quæ ab agentibus fiunt naturalibus; alterum eorum, quæ ab hominum mente, ac voluntate fluunt: Quæ ſunt prioris generis, ea non habere ortum neceſſarium illud perſuadet, quod hæc ſic natura ſunt comparata, vt ipſorum generatio poſſit impediri, atque a fine præſtituto deflecti; nam nequeunt oriri, niſi aliqua materia ſubijciatur, cuius vis, & facultas eſt, vt poſſit excipere, & non excipere formam in generatione ſuperuenientem, ac multis, varijſq. modis flecti, & commutari: fiuntque ab ijs efficientibus cauſſis, quæ, quod alias effectrices cauſſas habeant aduerſas, ne vel agant, vel finē propoſitum aſſequantur, poſſunt impediri. Nec quicquam facit, quod hæc immutabili cælorum effectioni ſubijciantur, nam cum quicquid ſuſcipitur, id ſuſcipiatur iuxta modum, & naturam rei ſuſcipientis, atque hæc caduca perpetuò fluant, nec ſemper eodem ſe habeant modo propter materiæ indefinitionem, & cauſſarum efficientiam, ac formarum contrarietatem, nulla ratione poteſt fieri, vt vis cæleſtis, quæ in eis imprimitur, modo neceſſariò accipiatur, idque ſignificatum fuit ſub exitum lib. 4. de gen. animal. vbi natura ſibi vultu, vt rerum ortus, & interitus cæli & ſtellarum circuitibus numeret, ſed id nequit exquiſitè facere propter materiæ indefinitionem; & quod multa incidant principia, quæ impediunt. Adiungendum eſt, vt quippiam fiat neceſſariò, oportere omnes huius cauſſas tā remotas, quam propinquas eſſe neceſſarias; nam, vt declaratum eſt *ad calcem lib. 2. phyſ.* neceſſitas non ſecus eſt in rebus naturalibus, ac ſit in diſciplinis, & argumentationibus; Quapropter vt in his non colligitur concluſio neceſſaria, niſi ambæ propoſitiones, omniaque principia fuerint neceſſaria, eodem modo in illis quippiam non habebit ortum neceſſarium, niſi omnes cauſſæ fuerint neceſſariæ: Et

Eorū, quæ fiunt duo genera.

Primum argumen.

verò

Digitized by Google

verò eum cauſſæ rerum caducarum proximæ ſint mutabiles, contingenteſque uerſentur in ſuis officijs, concludendum eſt, quæ fiunt a cælorum motionibus, quæ cauſſæ ſunt remotæ, ea in ortum nō neceſſarium cadere. Hæc non ignota fuerunt Tholemæo, qui *in lib. de Iudicijs cap.* 2. ſcribit, quod licet maxima ſit cæli circunfuſi poteſtas, *Tholem.* hæc tamen poteſt à cauſſis immutari, veluti a uarietate ſeminum, a locis, ab aeris mutationibus, & alijs huius generis, ex quo concludit fore, ut Aſtrologi in errores labātur, ſi neglectis his omnia arbitrati fuerint ſeſe collecturos eſſe ex no. o ſupernorum motu: & paucis interiectis *in cap.* 3. habet hæc: Non autem exiſtimandum eſt omnia
a ſupernis cauſſis in res humanas recta deriuari, tanquam inuiolabi- ,,
li, & diuino qnodam edicto, ita ut nulla vis obſiſtere poſſit, quin illa ,,
ita graſſentur, ouàm ipſe quidē cæleſtium corporam motus ſempi- ,,
ternus eſt, & procedit diuino, ac inuariabili ordine, ac lege; inferiora verò mutationibus ſubijciuntur de ſuperioribus quidem, & primis cauſſis, ſed accidit hoc illis per conſequentiam legis, & ordinis naturalis, ac variabilis. His ſignificat, quamuis cæleſtium corporum motus ſit ſempiternus, ordineque immutabili procedat, attamen quæ ab aſtris decernuntur, non fiunt neceſſarie, quoniam non ita, vt à ſuperioribus procedunt, ab inferioribus ſuſcipiuntur, ſed mutabiliter, eoque pacto, vt aeuitari, peruerti, augeri, ac minui poſsint, non quidem ſuperiorum corporum cauſſa, quæ ſunt inuariabilia, neceſſariamque habent actionem in hæc inferiora, ſed propter ipſa inferiora, quæ conſtant ex materia parum ſtabili, ſemperque fluēte. Præterea cæli in hæc caduca dum agunt, ex eis non tollunt id, quod eſt in ipſorum natura impertitum à materia, ex qua conſtant, & ſunt conſtituta: & verò hæc tribuit naturam contingentem, præſtatque, vt poſsint fieri, & non fieri. Albumaſar Aſtrologus non obſcuri nominis, vt tueatur id, quod habet naturam poſsibilem, *in lib.* 1. *introductorij* ſcribit, licèt quæ fiunt a cælis, fiant neceſſario, attamen quod eſt poſsibile, non euerti, quoniam quicquid afficitur, id antequam fiat, poteſtate continetur, ac poſsibile vocatur; cum vero iam factum eſt, actuque exiſtit, exuit naturam poſsibilem, & inducit eam, quæ eſt neceſſaria. Hic vir nobis imponit, nam cum quod eſt poſsibile, bifariam dicatur, vno modo, quoniam continetur in facultate ſuarum cauſſarum, & eſt poteſtate, vt fiat; altero, quia fieri, & non fieri poteſt, illique, quod fit neceſſario, aduerſum eſt, in hac declaratione id aſſumitur, quod modo priore eſt poſſibile, hæcque docemur coniungi cum neceſſario, quod nemo non fatetur, at quod eſt poſsibile modo poſteriore, id erat aſſumendum, cum iſtud in diſputationem cadit, neque fieri poteſt, vt iugatur cum neceſſario, a quo deſtruitur. Demum ſi nemo eſt, qui

Alterum argumentum.

Albumaris reponſio.

Reprehenſio.

Poſſibile bifariā dicitur.

Tertium argumentum.

caſui non tribuerit locum, & quæ caſu conſtant, ea ſint incerta, temeraria, & cum nulla neceſſitate connexa, quis nō putet Aſtrologos nimis à vero aberrare, dum res omnes caducas inuitabili neceſſitate alligant?

Stoicorum reſiſtētia. Stoici, quibus rerum omnium neceſſitas fuit probata, his reſiſtunt dicentes nos decipi caſum, & fortunam in cauſſis per accidens, & incertis numerantes, nam cauſſæ ſunt per ſe certæ ac definitæ, quamquam quod nos lateant, cauſſæ per accidens, & indefinitæ exiſtimentur.

Repulſio. Sed nihil eſt, quoniam a vero abhorret cunctorum, quæ caſu fortuitoque eueniunt, cauſſas occultas eſſe: nec præterea caſus, & fortuna cauſſæ per accidens, & inceſtæ iudicantur, quia nos fugiunt, alioquin cauſſæ omnes non latentes in his ponerentur, quod falſum eſſe plurima declarant, quæ cum certum ſit nec caſu, nec temere fieri, à quibus cauſſis fiant, ignoramus, ueluti eſt maris æſtus eaque omnia, quæ ex ſympathia, & antipathia, hoc eſt ex conſenſu, & diſſenſu naturali cernuntur exiſtere.

Reſponſio quorundā caſum, & fortunam eijcientiū. Dixerunt alij, quæ caſu, & fortuitò eueniunt, ea eſſe ex vniuerſo eijcienda, idq. ita perſuaſerunt. Quæ caſu & fortuna geruntur, hęc fiunt, quoniam cauſſa efficiens non aſſequitur finem propoſitum: cum igitur natura, dum agit propter finem, ſic agat, vt ad hunc moueatur à Deo, cuius vis eſt præpotens, & propterea nunquam non aſſequatur finē quem habet cōſtitutum, profectò in ijs, quæ fiunt a natura, nihil eſt, quod in fortunæ, caſuſque ſit poteſtate; hæcque ſunt nomina inania ficta ab hominibus.

Caſtigatio. Hi iniuria è rerum natura eijciunt caſum, & fortunam, quibus eſſe aliquid authoritatis tribuendum tum id perſuadet, quod quocumq. nos vertamus, multa nobis occurrant caſus, & fortunæ effecta, quæ rarò, inopinatoque eueniunt, quæq. obtingūnt, cum rei alterius gratia labor eſſet ſuſceptus; tum confirmat

Doctorum & indoctorum conſenſus. doctorum, indoctorumque hominum conſenſus, nam Ariſtoteles,

Ariſtoteles. alijque viri præſtantiſſimi fortunam multum ad felicitatem conferre ſcripſerunt; bonorumque & malorum eſſe cauſſam, eiuſque opera incerta, repentina, & præter hominum electionem, atque propoſitum cadere. Indocti vero fortunam tanti faciunt, vt penes hanc omnes humanæ vitæ mutationes, omnēque facultatem, & honorū, & amicitiarum, & commodorum arbitrium eſſe credãt, putentq. hanc non ſolum res humanas ſurſum, deorſumque ſubuertere, cum libuerit, verum etiam ciuitates, regnaque euertere, atque euerſa, & iacentia erigere, florentiſſimaque efficere. Quam obrem quia opinio, quæ omnium ore eſt vulgata, & in quam omnium hominum conſenſus conſpirat, non eſt pro falſa omnino damnanda, caſui, & fortunæ aliquis erit locus in vniuerſitate. Quid vero ſint caſus, & fortuna, & quæ horum imperio ſubijciantur, cum ex ijs, quæ de caſu, & fortuna *in lib. 2. phyſ.* diſputantur ab Ariſtotele, planiſſimè intelli-

telligatur,non eſt, vt in his aperiendis aliquid operæ collocemus. Argumentum, quo caſus,& fortuna eijciuntur, pondus non habet iuxta Ariſtotelis decreta, quibus ſancitum eſt, ut in diſputatione de mentibus a materia ſeparatis explanauimus, res inanimas, & rationem non habentes inſtinctu, impulſuque naturæ proprios fines petere, neque tutelæ ſubijci alicuius mentis à materia ſeparatæ, cuius opera fines ſibi à natura præſtitutos aſſequantur. Cæterum ſi quoque fuerit a nobis conceſſum hæc omnia eſſe præſidiis diuinæ Mētis munita, atque huius vim eſſe præpotentem, hæc tamen argumentatio non erit huiusmodi, vt e rerum natura eiiciat effecta caſualia: qua in re ſciendum eſt, quod etſi Deus omnes caducas res moueat, at tamen cum liberè in hoc munere verſetur, has ſic mouet, vt vim ſuā vniuerſam non adhibeat, neq. prohibeat, quo minus hæ pugnent inter ſe,& altera alterius effectionem impediat, ex quo efficitur, vt quandoque fines deſtinatos non conſequantur; quod cum fit, id, quod efficitur, caſuale appellatur; quæ appellatio tribuitur ei habita ratione cauſæ propriæ,& propinquæ, cui non erat propoſitū, minimè vero habita ratione Dei, ad quem cum refertur, reſpuit hāc nomenclationem, ſiquidem Deus id futurum eſſe probè cognouit atque vt fieret, ab æternis ſeculis decreuit. Et ſane, vt dicebat Boethius *in lib. 5. de conſol. phil. proſa* 1. Deo cuncta in ordinem coercente, cunctaque ſuis locis, ac temporibus diſponente, qui locus eſſe vllus temeritati reliquus poteſt? Etenim eodem in metro ſecundo canente, *Obſeruatio.* *Caſuale.* *Boethius.*

„ *Huic ex alto cuncta tuenti*
„ *Nulla terra mole reſiſtunt,*
„ *Non nox aeris nubibus obſtat,*
„ *Vno mentis cernit in ictu,*
„ *Quæ ſint, quæ fuerint, veniantque.*
„ *Quem quia reſpicit omnia ſolus,*
„ *Verum poſſis dicere Solem.*

Sunt nonnulli, qui cum de ſententia Ariſtotelis ſtatuant Deum eſſe cauſam communem rerum omnium effectricem, putant ea, quæ proueniunt à caſu, reſpectu Dei poſſe caſualia dici ea ratione adducti, quoniam hæc eueniunt, cum fugiant intelligentiam Dei, qui ab Ariſtotele ſic poſitus eſt, vt ſe ipſum duntaxat intelligat, & præterea nihil. Hi falluntur, quoniam ſi Deus inducatur cauſa effectrix rerum omnium communis, idem iudicium de ipſo erit faciendum, quod ſupra factum eſt à nobis de cælo. Nec quicquam facit, quod hæc fugiant Dei intelligentiam, ſiquidem, vt hi exiſtimant, non ſolum hæc, verum etiam reliqua omnia extra Deum poſita abſunt à diuina intelligentia: Quapropter ſi hoc argumentum habe- *Opinio quorundā.* *Confutatio.*

ret momentum, eodem conficeretur, quæcumque fiunt, ſiue per ſe, ſiue per accidens eueniant, omnia reſpectu Dei eſſe fortuita, & caſualia.

BIBLIOTECA ... VITTORIO EMANUELE

Quę hominum mente, & conſilio geruntur, non ita fiunt, vt aſtrorum vi ſecus fieri prohibeantur. Cap. XXI.

Primum argument.

Satis abundè confectum eſt, quæ fiunt à natura, ea non habere ortum neceſſarium; ac verò ea, quorum principium eſt hominũ mens, atque voluntas, non ſic fieri, vt ſecus fieri non poſſint, id clarè demonſtrat, quod mens fruſtra fuiſſet hominibus conceſſa, hominumque magna eſſet infelicitas, ſi ſua mente ſibi non poſsẽt proſpicere, atque cogerentur agere ea, ad quæ ſtellarum vi impelluntur.

Alterum.

Quinetiam noſtræ voluntatis libertas concideret, ſi quæcunq. eius ſunt opera, ſint cum neceſſitate connexa.

Libera eſt hominis voluntas.

Liberam vero eſſe noſtram voluntatem & conſenſus omnium gentium declarat; & id argumento eſt, quoniam nec laudes, nec vituperationes, nec honores, nec ſupplicia iuſta eſſent, ſi nos non haberemus liberam & eligendi, & aggrediendi poteſtatem. Non enim probæ, improbæue actiones eſſent noſtræ; nec virtutes bona noſtra, & vitia mala noſtra dicerentur, ſed illius, quod neceſſitate nos cogit, atque impellit.

Barbaſanes.

Sed & id nos docuit Barbaſanes Syrus inquiens apud Euſebium *in lib. 6. de præparat. euang. cap. 8.* licet homo natura oriatur, alatur, creſcat, comedat, bibat, dormiat, ſeneſcat, & moriatur, quæ omnia ei, & cæteris animalibus communia ſunt, illud tamen inter hæc, & illum intereſſe, quod brutæ animantes omnino natura ferantur, & homo, qui mente, & ratione præditus eſt, id habeat muneris proprij, vt non penitus natura agatur;

Homo nō omnino a natura ducitur.

quod non obſcurè confirmant varii hominum mores, varii ritus, varia ſtudia, variæque leges. Enim verò quæcunq. à natura ducuntur, ad idem illa ſemper feruntur, neq. in eorum functionibus vlla eſt varietas;

Quæ a natura ducũtur, ad idē ſemper feruntur.

idque in elementis poſſumus intueri, quæ cum natura ad certa mundi loca ferantur leuia ad ſublimia, & grauia ad contraria, hæc loca ab eis ſemper petuntur, nec fieri poteſt, vt ipſa ad alia loca vi ſua, & natura moueantur. Huius ea eſt ratio, quia natura ſingulis in rebus eſt conſtans, & immutabilis, unumque finem duntaxat habet propoſitum:

Natura conſtans, & immutabilis.

Quoniam igitur hominum mores, ritus, ſtudia, & leges magna varietate diſtinguuntur, concludendum eſt homines non omnino natura duci, atq. in iis functionibus, quæ à mente, & à voluntate manant, ſui iuris eſſe, neque alicuius imperio ſubiectos.

Tertium.

Et ſanè ſi homines nihil ſua ſponte, nihil

nihil

Digitized by Google

nihil arbitratu ſuo faciant, non erunt animalia, quæ ratione vtentur, nam cui datum eſt à natura, vt ratione regatur, eidem quoq. vis eſt impertita, vt inquit Boethius *in lib. 5. de conſol. phil.* qua conſultãdo ſequitur, quod putat eſſe amplectendum, & declinat, quod iudicat eſſe fugiendum, in ipſoque plenè poſitum eſt agere, & non agere.

Ratione quod vtitur, id eſt ſui iuris

Boethius

Hinc Alexander *in lib. 3. quæſt. nat. cap. 13.* ſcripſit ſolum hominem eſſe ſui arbitrij, ſuæque poteſtatis, quia ſolus inter animalia eſt rationis particeps; & Origenes *in lib. 1. de principijs ad initium* aſſeuerauit omnes animas rationis compotes liberum arbitrium, ac volũtatem habere. Cum Alexandro, & cum Origene faciunt Gregorius Nyſſenus, & Ioannes Damaſcenus, quorum ille *in lib. 7. phiſ. cap. 3.* his confirmat liberam hominis voluntatem. Neceſſe eſt eum, qui conſultat, dominum eſſe actionum, alioquin niſi fuerit actionum dominus, fruſtra conſultabit: Si verò hoc, ex neceſſitate aſſiſtit virtuti rationali liberum arbitrium: aut enim non erit rationalis, aut rationalis exiſtens dominium ſuarum actionum obtinebit: Suis autem actionibus dominari eſt omnino liberi arbitrij.

Alexand.

Origenes.

Gregorius Nyſſenus.

Alter verò *in lib. 2. fidei Orthodoxæ cap. 7.* ſcribit, ſi nulla actio in noſtro arbitrio, in noſtraque poteſtate ſita ſit, nihil poſſe afferri, quin fruſtra conſultemus, ſiquidem vis ea, qua ratiocinamur, conſilij cauſſa fuit nobis impertita; ex quo efficitur, vt quicquid ratione vtitur, id habeat arbitrij libertatem. Et in dialogo aduerſus Manichæos affirmat hominem libero arbitrio fuiſſe donatum, quoniam quicquid eſt rationis particeps, id ſui eſſe iuris eſt neceſſe, ne fruſtra vtatur ratione, ſi arbitrij libertate careat.

Ioannes Damaſcenus.

Optima autem ratione anima rationis compos ſuis in motibus libera eſt, nam cum eorum, quæ complent hanc rerum vniuerſitatem, alia perpetuò benè ſe habeãt, & in eadem ſemper poſita ſint bonitate, mentes nimirum à materia ſegregatæ; & alia longè poſita ipſius boni indigna ad hoc extrinſecus moueantur, corpora ſcilicet, & quæcunque corporibus ſunt affixa: par eſt, quæ inter hæc media interijciuntur, ipſius boni quidem eſſe indigentia, cæterum non extrinſecus, ſed à ſeipſa ad hoc moueri: Eiuſmodi verò ſunt animæ rationis compotes, quæ & ſe ipſas, & corpora mouent.

Anima rationis compos ſuis in motibus libera.

Atque ab hac argumentandi ratione Simplicius *in Epitectum capit. 4.* non multum videtur abeſſe.

Simplicius

Cum igitur libera voluntas penitus lateat in hominum natura, atque omnes huius vniuerſitatis partes eo ordine ſint inter ſe digeſtæ, vt omnes vna conſpirent ad vniuerſi conſtitutionem, atque ita affectæ, vt ſibi mutuò ferant opem ad ſua officia exequenda, nullo pacto poteſt fieri, vt cæli, & aſtra ijs viribus fuerint impertita, quibus homines ſua natura priuantur: Et ſi cæli, & aſtra ſunt diuinæ prouidentiæ inſtrumenta, atque huius ſit non euertere, ſed

tueri

Quartum Prouidentia eſt tueri, & nō euertere naturas eorū quibus prouidetur.

tueri naturas eorum, quibus prouidetur, quo pacto vi cæli & aſtrorū ex hominibus tolletur agendi libertas, ſine qua non conſiſtit ipſorum natura? Sed non eſt opus, vt pluribus hoc dogma caſtigetur, cuius abſurditatem & ſuperioris, & noſtræ ætatis Aſtrologi non ignorarunt. Hi ne in hanc inciderent, in ſuaque diſciplina naufragium facerent, ſcripſerunt tres de cælo, & ſyderibus opiniones extitiſſe, duas extremas, & contrarias, & aliam mediam interiectam; Alteram

Aſtrologorū quorundam effugium.

extremarum Stoicis fuiſſe probatam, qui putauerunt nos, & ea, quæ ſunt in nobis, ſic pendere ex cælo, vt nihil nobis accideret, quod nō eſſet cum neceſſitate copulatum: Hinc Panætius fatum definiuit

Tres de cælo, & ſyderibus opiniones.

cauſſarum connexionem, quæ a ſtellarum motione vim accipi. Alteram extremam huic cōtrariam ab illis defluxiſſe, qui omnia incertis fortunæ motibus agitari, nihilque à cælis ad nos peruenire crediderunt. Tertiam, & mediam inter has ponere contra opinionem

Panætius vt fatum definiuerit.

poſteriore loco recitatam cæleſtia corpora, & ſtellas vim ſibi afferere nos mouendi, cæterum quæ geruntur à nobis, ea non fieri neceſſariò contra primam opinionem, quando quidem a cælo, & à ſtellis duntaxat tribuantur nobis propenſiones ad virtutes, ad animi commotiones, & ad vitia, quas ſtudio, laboreque aſſiduo frangere, & augere in noſtra ſitum eſt poteſtate. Harum opinionum primam, et alteram huic aduerſam eſſe reijciendas, hanc, quia ſenſus declarat cælum, & ſtellas agere in nos, & in totam hanc rerum mortalium vniuerſitatem: illam propter rationes contra ipſam explicatas, &

Babiloniorum, & Chaldæorū error.

quoniam ex ea fluxit error, quo Babilonij, Chaldæi, & alij ſic fuerunt obcæcati, vt Deum immortalem pro nihilo haberent, & cælum ac ſtellas colerent exiſtimantes ab his omnia proſpera, & aduerſa ad nos delabi. At vero mediam opinionem eſſe amplectendā, à qua non deſtruitur libera hominum voluntas, non tolluntur laudes, & vituperationes, neque ad cæli, & ſtellarum cultum homines excitantur; etenim hanc opinionem inducere cælum veluti Dei, ac diuinæ prouidentiæ inſtrumentum, atque ſtatuere cæli, & ſtellarū impreſſiones a ſolis corporibus ſuſcipi, neque in hominum mentē, ac voluntatem, quæ non pendent ex corpore, per ſe, ac propriè imperium habere, ſed ſolum ex accidenti, & qua ex parte hæ animi vi-

Caſtigatio.

Aſtrologorum opinio non eſt diuerſa a Genethliacorum, & Stoicorum opinione.

res non ſine corpore in ſuis functionibus verſantur. Horum aſſeueratio quamuis apud multos fidem inuenerit, falſa tamen eſt, & à philoſophis non eſt admittenda. Falſa eſt, quoniam Aſtrologorum opinio non eſt diuerſa ab Genethliacorum, & Stoicorum opinione, quæ ſtatuit omnia fato comprehendi, atque ſtellarum viribus ita fieri, vt aliter fieri non poſſint: idque intelligitur tum ex diſputationibus Phauorini, Sexti Empirici, Origenis, Baſilij, D. Auguſtini, & aliorum clariſſimorum virorum, in quibus Aſtrologi eo potiſſi-

Digitized by Google

tiſſimum nomine damnantur, quod nos, omniaque noſtra fati neceſſitate deuinciant; tum etiam ex Ptolemæo Aſtrologorum magiſtro, qui *in libris de Iudicus* ſæpe affirmat ſe artem Genethliacam ab Aegyptijs cultã, & auctam docere, & horum initio cauſſas exquirens errorum, quos Aſtrologi in futuris prædicendis committunt, neglecta libera hominum voluntate ſtellarum vires opprimente afferr Aſtrologorum ſocordiam, & imperitiam, atque malos quorũdam mores, qui cum lucri cauſſa alias artes diuinatrices inanes tractent, has tegunt, & velant Aſtrologiæ nomine. Non eſt à philoſophis admittenda, quia inter omnes conuenit propenſiones ad animi commotiones, ad virtutes, & ad vitia ſequi primarum qualitatum temperationem, quam ex ſtellis non exiſtere proxima diſputatio declarabit, in qua tertium, & poſtremum, quod fuit propoſitum ad explicandum, veniet in conſiderationem.

Ptolemaus

Propenſiones ad animi mores, & commotiones ſequũtur primarũ qualitatum tẽperationẽ.

Stellæ non ſunt cauſsæ propriæ effectrices eorum, quæ fiunt in caduca vniuerſitate, nullaſque nobis tribuunt propenſiones ad animi commotiones, ad virtutes, et ad vitia. Cap. XXII.

A Stellis tanquam à cauſſis propriis non fieri quidquam in caducarum rerum vniuerſitatem id in primis demonſtrat, quoniam cum quæ tribuuntur his, cernantur quoque fieri à cauſſis caducis, oporteret aut has cauſſas, aut ſtellas vi horum efficiendorum priuare, quod in rerum natura nihil fruſtra ponendum ſit: & fruſtra id à cauſſis multis conficiatur, quod à paucis poteſt effici. Accedit quicquid fit, id imitari naturam cauſſæ propriæ; quapropter quoniam inter ſtellas, & caduca eſt magna naturæ diſſimilitudo, non eſt exiſtimandum hæc fieri ab illis tamquam à cauſſis propriis. Quod ſi reſpondeant ſtellas eſſe cauſsas rerum æquiuocas, quarum natura eſt diuerſa à natura illius, quod efficitur, eos vrgebo, quod cauſsa proxima, quæ eſt æquiuoca, nunquam facit quippiam coniũcta cauſsæ vniuocæ, quapropter quoniam ſtellæ non efficiunt quicquam niſi cauſſis his caducis vniuocis coniunctæ, nam Sol, & homo generant hominem, illæ non erunt cauſſæ æquiuocæ aliquod noſtratium proximè efficientes. Deinde ſi ſtellæ per ſe ſolæ hæc noſtratia efficerent, in quæſtionem venit, an ne efficiant hæc, poſſint impediri. Si abnuatur, omnia euenient neceſsario, quod eſt falſum, quam quod maximè: ſin concedatur, cauſsa impediens erit afferenda, atque aut in cælis, aut ſupra, aut infra cælos inueſtiganda. Sanè hæc cauſſa ſupra cælos non erit, quoniam ſupra cælos eſt ſola mens à materia ſeparata, quæ cum fuerit poſita, vt cælis, & ſtellis præeſſet, non eſt conſentaneum vi præſidis id, cui præeſt, ne ſuo fungatur

Primum argument.

Secundum

Stellæ non ſunt cauſſæ æquiuocæ.

Tertium.

gatur

gatur munere, impediri. Nec vero ex Deo rerum omnium authore impedimentum poteſt exiſtere, quoniam turpe eſt authorem ijs obſiſtere, quibus eſt author, vt agant, quibuſque vires ad agendum conceſſit. Sed & in cælis hæc cauſſa non erit ſita, quoniam ſtellæ cælis infixæ ſunt vnius, & eiuſdem naturæ: & quorum eſt vna, ſimiliſque natura, horum alterum alterius acceſſione fit ad agendum valentius, & accommodatius. Sin verò hæc cauſſa infra cælos ponatur, hæc caduca, quoniam cælis, & ſtellis non ſunt aduerſa, non alia ratione ſtellarum effectiones impedient, niſi quoniam repugnant ijs, ſine quibus ſtellæ nequeunt quicquam agere; quod ſi ita eſt, ſtellæ per ſe ſolæ non erunt horum cauſſæ. Nec verò reſpondendum eſt hæc caduca tamquam inſtrumenta ſtellis inſeruire; quoniam id verum non eſt, nam quod efficitur, id numquam tenet naturam inſtrumenti; & quæ fiunt à ſtellis, & à corporibus caducis, imitantur naturam, non ſtellarum, ſed corporum caducorum. Verum & ſi quoque id fuerit datum, attamen erit inane, quoniam inſtrumenta, quæ agēdi vim ex cauſſa principe conſequuntur, non ſecus mouent, ac moueantur à cauſſa principe, & poſtulet uis, quam eis dedit cauſſa princeps, & verò non conuenit cauſſam principem his eam agendi vim tribuiſſe, quæ ſibi ſit impedimento, ne ſuū finem conſequatur. Quod nonnulli exiſtiment, ne quandoque fiant ea, quæ à ſtellis fieri ſunt aptè nata, eſſe in cauſſa, quod materia non ſit probè parata ad accipiendas ſtellarum impreſſiones, hi non rectè exiſtimant, quoniam cùm apparatus ſit materiæ aduentitius, quippe quæ ſua natura caret omni forma, ad omneſque formas æquè affecta eſt, neceſſum eſt, vt ille huic impartiatur aut à ſtellis, aut ab alijs cauſſis; & neque ab his, neque ab illis poteſt impartiri. A ſtellis nequit tribui, quod par non ſit ſtellas ſecus materiam parare, ac requirat forma, quam materiæ impartiunt. Neque ab alijs cauſſis, quoniam non idem erit agens, quod materiam parat, & agens, quod formam educit; id verò diſplicet Auerroi aduerſus Auicennam diſſerenti *in lib. 7. poſt nat. com. 31.* & improbabile eſt omnibus Peripateticis. Sed & ſtellas nō eſſe cauſſas proprias, & proximas eorum, quæ eueniunt in caduca vniuerſitate, perſpicuè conſtabit, ſi ſingula, quorum cauſſæ exiſtimantur, per ſe conſiderauerimus. Ac principiò quidem ſtellas non eſſe cauſſas, quæ rerum naturalium efficiat generationem, illud in primis declarat, quod cauſſa generationis efficiens eo vſque in id, quod patitur, agat, donec generatio ſit finem ſuum aſſequuta: & fieri non poſſit, vt ſtellæ tantum temporis ponant in mutanda generationis materia, quantum poſtulat tota, & integra generatio, quippe quæ incitatiſſimo motu agitatæ ab eo, quod patitur, celerrimè digrediuntur. Huic argumento Aſtrologi duobus poſſunt modis obſiſte-

Cauſſæ caducæ non ſunt inſtrumenta ſtellarum.

Reſponſio quorūdam

Refutatio.

Idē agens materiam parat, & formam educit.

Quartum. Stellæ non ſunt cauſſæ generationis rerū naturaliū.

Aſtrologorum duo reſiſtendi modi.

Digitized by Google

ſiſtere: vno, ſi aſſeuerent ſtellam primum agere aſpectu recto, deinde obliquo, & propterea fieri, ne ſtella ſuā actionē intermittat, rāetſi procul facta ſit ab eo, quod patitur: altero, ſi dicāt ſtellam in id, quod patitur, vim quādam immittere, atque hanc manere donec abſoluta fuerit generatio. Ambo hi modi ſunt vitioſi, & prior reprehēditur, quoniam ſtella ſub horizonte decurrens, nullo aſpectu intuetur id, ex quo fit generatio; poſterior, quia ſi vis vlla in materiam immeretur a ſtellis, hæc eſſet corpus, vel corpori coniuncta, quoniā quicquid agit materiam tranſmutando, id omne eſt corpus, uel habet corpus, vt contra Auicennā demōſtrauit Auerroes *in lib. 7. poſt nat. com. 31.* & in generatione nullū corpus fuit vnquam ſenſu perceptū a ſtellis demiſſum. Præterea ſi ex ijs, quæ habitant ſub cælo, poſſunt duci cauſſæ rerum omnium naturaliū effectrices, & re ipſa ducūtur à ſolertibus naturæ indagatoribus, quis nō exiſtimet has de cælo fruſtra deduci? in quo ſi etiā reperiri datum fuerit, adeo erunt obſcuræ, vt quam habeant vim, quo pacto fungantur ſuo munere, & quibus inſtrumentis vtantur, penitus ignoretur? Sed nec etiam in cælis cauſſæ ſunt poſitæ eorum, quibus fortuna, & caſus dominantur, veluti quod hic pereat ruina, ille percutiatur a fulmine, in prætereuntem lapis decidat, & à vineam fodiente theſaurus inueniatur, nā quæ caſui, & fortunæ ſubijciūtur, cum non habeant cauſſas certas, ac proprias, non eſt abſque repugnantia ea fieri à ſtellis, quę ſi cauſſæ eorum inducantur, cauſſæ erunt per ſe, ac definitæ. Nec rurſus à ſtellis fieri poſſunt, quæ vel commoda, vel incommoda nobis contingunt, quod conſtabit, ſi Aſtrologos interrogemus, nunquid velint natura duce ſuas ſunt actiones fundere; an potius putent ſtellas libera voluntate præditas hac vti in his efficiendis. Primū ſi dent, colligitur omnia genita quęcunque illa ſint, ſua commoda, & incommoda ſtellis accepta referre, quod à Phauorino in diſputatione aduerſus Chaldæos poſitum eſt in ridiculis; nam quid ineptius poteſt cogitari, quā ſtirpes, muſcas, culices, cæteraque animalia minutiſſima in terra marique genita de cæleſtium ſiderum motibus fata accipere, ijſdemque quibus homines, legibus naſci, & extingui? Amplius vno, eodemque partu natos ſimiles naturas, propenſiones, & caſus haberent; quod eſſe in falſis vſu compertum eſt. Reſpondebunt forſitan geminos fratres non vno, & eodem temporis puncto naſci, ſed inter vnius, & alterius partum tempus aliquod medium interijci, ex quo fit, vt hi ob celerrimam cæli conuerſionem non ſub vno, & eodē cæli ſtatu oriantur, cæterū fruſtra erunt, quoniā quāuis in ortu geminorū ſit tēporis varietas, in horū tamē cōceptu nullū fuit tēporis diſcrimē, q̄ tēpus ad fata decernēda plus momēti habere illud cōfirmat, quod natus tēpore cōceptionis, & anteq̄ formatus, & abſolutus

Prior reprehenditur.

Poſterior accuſatur.

Quod materiā mutant id eſt corpus vel habet corpus.

In cælis non ſunt cauſſæ eorū, quæ caſui, & fortunæ tribuuntur.

Commoda & incommoda noſtra non fiunt a ſtellis.

Stellæ non agunt per modum naturæ.

Phauor.

Reſponſio

Confutat.

Conceptionis tempus ſolus habet momenti ad fata decernenda, quā genituræ tempus.

ex vtero matris egrediatur, acquirit corporis temperationem, quam mores animi plerumque ſequuntur: Quocirca ſi ex ſtellis mores, & animi propenſiones fluunt, quoniam effectum cauſam nunquã antegreditur, conſentaneum eſt, vt potius tribuantur à ſtellis hora conceptionis dominantibus, quam ab iis, quibus in genitura traditus eſt principatus: Atque huius quoque teſtes ſunt Ptolemæus *in lib. de Iudiciis*, & Haly *in lib. de electionibus*, nec non & alij eiuſdem diſciplinæ alumni, qui tradunt ſe partus horam deligere, quod ex hac cõceptionis hora intelligatur; ſed planè decipiuntur, quoniam quicũque eadem hora naſcerentur, eadem quoque eſſent concepti; quod à vero abeſſe illud parſuadet, quod certum ſit eadem hora ſimul naſci poſſe ſeptimeſtres, octimeſtres, nouimeſtres, & decimeſtres: nõ enim quædam horæ tributæ ſunt ſeptimeſtribus, quædam nouimeſtribus, & quædam alijs, ſed quacunque hora poteſt horum quilibet lucem hanc ingredi, vt eandem poteſt quacunque hora deſerere. Ad hæc ſi diuerſa fata fratribus geminis decernuntur ob temporis diuerſitatem, in quo lucem hanc nanciſcuntur, eueniet, vt diuerſa fata diuerſis noſtri corporis partibus tribuantur, quod nõ omnes vno, & eodem temporis momento naſcantur, & quandoque vſu veniat in vnius hominis ortu plus temporis abſumi, quam in fratrum geminorum partu; Rurſus ſi geminis poſthabitis afferantur in medium eodem temporis momento, & in eadem ciuitate ex diuerſis parentibus nati, non erit, vt horum diuerſitates, ac differentię referantur ad ſtellarum configurationem, quæ non varia, ſed vna, eademque his omnibus eſt communis. Inſuper eum Phauorino ſic argumentamur. Quid eſt, quod homines vtriuſque ſexus, omnium ætatum diuerſis ſtellarum aſpectibus in lucem editi regionibus, in quibus geniti ſunt, longè diſtantibus, aut hiantibus terris, aut labentibus tectis, aut oppidorum expugnationibus, aut eadem in naui fluctu obruti eodem genere mortis, eodemque tempore intereant? Id ſanè nunquam eueniret, ſi mometã naſcendi ſingulis attributa ſuas vnumquodque leges haberent. Nec vero dicendum eſt quandoque contingere, propter vnum, cui erat in fatis, in mari perire, omnes, qui erant in naui, ſimul periiſſe: quoniam non eſt rationi conſonum vnius fatum plus poſſe, quam multorum fata; verique multo eſt ſimilius vnum à multorum fatis poſse cõſeruari, quam multos vnius fato perire. Nec rurſus reſpondendum eſt quædam in hominum morte, atque vita etiam diuerſis temporibus editorum per ſtellarũ pares quoſdam poſtea conuentus paria nonnulla, & conſimilia poſſe obtingere: quoniam ſi ita eſt, cur non aliquando poſſunt omnia quoque paria vſu uenire, ut exiſtãt per huiuſmodi ſtellarum cõcurſiones, & ſimilitudines multi Socrates ſimul, Platones multi, & Ariſtote-

Ptolemæus Haly.

Conceptionis hora non poteſt intelligi ex hora partus.

Phauorini argumen.

Reſponſio.

Caſtigat.

Reſponſio altera.

Refutatio.

Digitized by Google

ſtoteles multi ingenio, moribus, vita, & morte pares? Huius cum nulla cauſſa poſſit afferri, nec etiam reſponſio erit proba aduerſus hominum impares ortus, interitus pares. Iam vero ſi aſſeuerent ſtellas ab omni neceſſitate naturali ſolutas liberè, conſilioque agere, quod credidit Albumaſar, & cum Albumaſare Zaeles, & Haly in Aſtrologorum ſchola non obſcuri, dicant amabo, quid commodi, aut incõmodi ſtellæ à nobis acceperint, vt nobis interdum ſint amicæ, interdum inimicæ? cur cum ex ijs, quæ proſpera, vel aduerſa hominibus contingunt, nihil boni, aut mali eis accedat, nos modo augeant commoditatibus, modo aduerſitatibus onerent? Qui conuenit, vt inquit Chalcidius *in Timæi commentarijs* ſtellas maleficas eſſe in illo ſancto, & pleno bonitatis loco? Et cum amentia ſit malitiæ fons, quo pacto ſtellæ, quæ ab anima ſapientiſſima reguntur, erunt maleficæ? Nec vero exiſtimandum eſt ſtellas inuitè incommoda afferre, ac maleficia, quoniam, vt idem ſubiungit, nulla eſt neceſſitas, quæ ſtellas cogat inuitas delinquere. Quinetiam author ſecretioris ſecundum Aegyptios philoſophiæ *in lib. 6. cap. 1.* oſtendit ſtellas non eſſe malorum cauſſas, quoniam non agunt ex voluntate, cuius eſt boni, & mali principium eſſe, ſed ſupra voluntatem, & quod voluntate ſuperius eſt, id ſolum, quod eſt bonum, habet propoſitum. Nec verò ſolum noſtra commoda, & incommoda ſtellis non ſunt adſcribenda, ſed nec etiam fieri poteſt, vt abſque ſcelere ad has noſtræ electiones referantur, quoniam ſi hæ cęlitus nobis ineſſent, naturaliter quoque nobis inſitæ eſſent à primordijs noſtrę generationis tributæ, neque in noſtra eſſent poteſtate ex conſultatione proficiſcentes, vt ex Ariſtotele intelligitur *in lib. 3. Ethic. ad Nicom. cap. 3.* electionem definiẽte appetitionem earum rerum, quæ ſunt in noſtra poteſtate ex conſultatione peruenientem. Sanè principium eligendi nobis ineſt à natura, naturamque noſtram comitatur, ſed quod hoc, vel illud cadat in noſtram electionem, non naturæ, ſed conſultationi acceptum eſt referendũ. Quapropter ſi electiones nobis à ſtellis tribuerentur, fruſtra nobis fuiſſet vis conſultandi impertita, id quod aſſeuerare non eſt abſque naturæ opificis crimine. Et mehercule cum homines ſic fuerint natura comparati, vt de ijs, quæ cadunt in dubitationem, poſſint conſultare, & poſt conſultationem, quod eſt melius, eligere, non eſt par cælos, & aſtra fuiſſe ea vi donatos, qua ex hominibus eiicitur electio, viſque conſultandi tollitur, quod abſurdum ſit mundum, quo nihil eſt ſpecioſius, ex ijs conſtare, quorum alterũ ſit alteri ſua natura impedimento, ne fungatur officiis, quorum vim habet inſitam, & innatam. Accedit electionem eſſe mentis noſtræ functionem, quæ, cum ſit ab omni corpore, & materia ſegregata, non eſt idoneum ſubiectum ad ea excipienda, quæ à corporeis, materia-

Stellæ non liberè, conſilioque agunt.

Albumaſar, Zaeles Haly.

Chalcidius.

Auctor ſecretioris philoſophiæ ſecundum Aegyptios.

Electiones noſtræ ad ſtellas non ſunt referendæ.

Ariſtoteles Electio quid.

que tribuit, quod non poſſit commodius tribui ab elementari, tamquam inanis, & figmento ſimilis eſt contemnenda. Demum, ut hæc diſputatio aliquando cōcludatur, Aſtrologos magno errore duci om nium ortus, & mutationes ad cælū, & ad ſtellas referentes id non leue eſt argumentum, quod fundamenta, quibus eorū opinio fulcitur & ſuſtentatur, ſunt infirma, & nullā ſtabilitatem habentia. Hæc tria ſunt: Vnum ſtellas ſibi vim aſſerere efficiendi primas elementorum qualitates: Alterum ſignorū, in quę circulus obliquus diuiditur, alia eſſe maſculina, & alia fæminina: Tertium aſpectuum alios eſſe beneuolos, & alios maleuolos. Primum non habere firmitatem hinc intelligitur; Si ſtellæ primas efficerent elementorum qualitates, has gignerent, vel quoniam vere, ac propriè his ſunt affectæ, quo pacto hæ qualitates gignuntur ab elementis, vel quoniam harum vim in ſe continent, quo modo humor dureſcit frigiditate aeris, qui nō eſt durus, ſed vim habet, qua poteſt humorem indurare, atqui primum eſt vitandum, & alterum non eſt ponendum, non igitur ſtellæ efficiunt elementorum qualitates. Dandum non eſſe ſtellas in ſe vires continere, quibus pariant elementorum qualitates, illud perſuadet, quod ſtellæ ſuis viribus nequeunt in his noſtratibus efficere primas qualitates, niſi ignis, & aer his aditum præbeant; Verum cum id omne, quod eſt inter agens, & patiens medium interiectum, ſi ad patiendum apetè fuerit idoneum, ea ratione aperiat aditum, quia ipſum ante patitur, & afficitur, oporteret ignem in Lunæ concauo ſitum refrigerari, & mediam aeris regionem incaleſcere, dum ille tribuit aditum virtuti refrigeranti, & hæc viā non intercludit virtuti califaciēti; & verò nemo non ſentit ignem Lunæ ſubditum nunquam refrigerari, & mediæ regionis aerem nunquam incaleſcere. Sed & iſtud cauendum eſſe confirmat expugnatio influxuum, & abditarum cæli virtutum, in quibus hoc dogma cum ſit innixum, fieri nequit illis expugnatis, vt conſiſtat, & non corruat: fugiendum verò eſſe ſtellas ponere, quæ calore, frigore, & cæteris qualitatibus affectæ ſimiles qualitates generent, quod eſt placitum Ptolemęi in lib. 1. de Iudicijs, illud monſtrat, quod flagitium ſit qualitatibus patibilibus ortus, & interitus miniſtris affici ſtellarum naturam, quæ ſeculis omnibus eſt immortalis. Non poſſum hoc in loco præterire, quod cum Ptolemeus ſentiat ſtellam Saturni frigefacere, & areſacere, quoniam à Sole caloris fonte, & à terra humiditatem ſuggerente abeſt longiſſimè, non intelligit ſibi neceſſarium eſſe fateri ſtellas omnes ſuperiores in octauo orbe poſitas eiſdem qualitatibus præditas eſſe, eaſdemque parere qualitates, quippe longius, quam Saturni ſtella abſunt à terra, & à Sole: Cur igitur harum ſtellarum alias igneas, alias aereas, & alias aqueas inducit, & non

Aſtrologorum fundamenta infirma.

Stellæ nullam in ſe continent vim efficiendi primas qualitates.

Stellas affici primis qualitatibus flagitium.

Contra Ptolemæ.

& non afficit omnes terræ qualitatibus? Et ſi ſtellæ Solis luminè incaleſcunt, par eſt, quæ lumen amplius accipiunt, has magis caleface re, verum cum Saturno plus luminis impertiatur, quam Lunæ, quippe qui Luna multò maior ampliori lumine perfunditur, cuis non calefacit, non ſecus ac Luna? Quod ſi Tolemæi defenſores dixe rint a Sole nullam caloris vim tribui Saturno quod hic ab eo longiſ ſimè abſit, eos rogabimus, ſi Saturnus à terra longius abeſt, quam à Sole, cur is tàm eminus poteſt nos refrigerare, & lumine Solis, à quo minus diſtat, nequit incaleſcere? Non eſt igitur, vt qualitatibus ortum, & interitum parientibus donentur ſtellæ, quarum natura Ptolemæo non repugnante eſt ſempiterna. Id cum Auenrodam, Cardanus, & alij plerique Ptolemæi interpretes non ignorarent, hi vt præceptorem ab hoc flagitio liberarent, eius verba, quibus Lunæ qualitates explicantur, & ex quibus colligitur eum hoc dogma adamaſſe, ita interpretantur, vt ſententia ſit Lunam dici humidam, non quia humidis vaporibus inficiatur è terra exhalantibus, ſed quoniam hos trahit, & euocat: cæterum olei, & operæ iacturam faciũt, nã eadem ratione Sol eſſet humidus contra Ptolemæi præſcriptum, a quo multò plures, quam à Luna, vapores attrahuntur. Nec præterea Luna poteſt humefacere trahendo humidos vapores; quia his euocatis corpus, ex quo eliciuntur, neceſſariò areſcit. Sed & Ptolemæi verba nequeunt hanc explanationem accipere: quæ ſunt. At Luna propterea quòd proximè terram fertur, vnde humidæ exhalationes exeunt, plurimum madefacit. Hæc perſpicuè declarant Lunam fieri humidam receptis à terra humidis vaporibus; nec ſecus ſentit Græcus Ptolomæi interpres, qui in his interpretandis habet hæc: At Luna cum terræ finitima ſit, & illius exhalationibus impleatur, humida eſt. Quapropter & Albumaſar non iniuria tribuit Ptolemæo, quod ſenſerit Lunam à terra accipere humidos vapores, & humidam ab his factam humectare; eumque caſtigat, quod vapores è terra elati non aſcendant ſupra decem & ſex ſtadia, & propterea non perueniant ad Lunam, quæ longius diſtat à terra, & Auenrodan nõ eſt ferendus, qui in huius loci interpretatione ridet Albumaſarem, quòd non tenuerit mentem Ptolemæi, cum ipſe ſit maxime ridendus, quòd afferat interpretationem verbis non congruentem, atque ab authoris ſentẽtia diſcrepantẽ. Sed de ſentẽtia Ptolemæi quicquid ſit, illud eſt certiſſimum nefas videri philoſophis omnibus cælum, & ſtellas ijs qualitatibus imbui, quibus natiua, caducaque corpora afficiuntur, in interitumque labuntur. Secundum fundamentum continet ſignorum circuli obliqui diſtributionem in maſculina, & fæminina, quæ diſtributio ſi propriè intelligatur, ita vt ſignorũ alia verè, ac propriè ſint maſculina, & alia fæminina, riſu potius, quam argu-

Auenrodã Cardanus

Græcus Ptolemæi interpores.

Albumaſ.

Signorum diſtributio in maſculina & fæmina reiicitur.

Digitized by Google

argumentis eſt inſectanda, cum hæc ſexuum diuerſitas non alia de cauſſa ſit a natura inſtituta, niſi vt per corporum coitus, quod caducum, & labile eſt, id ſui ſimilis innouatione perpetuò duret; iiſque propterea animantibus ſit cōceſſa, quibus & commiſcendorum corporum eſt libido, & ad ſpeciem conſeruandam opus eſt generatione: Sin verò ita accipiatur, vt ſigna maſculina vocentur ea, quibus ineſt vis agendi: & fæminina, quibus vis patiendi, exagitabitur, quod cum id, quod agit, & id, quod patitur, ſpecie, & natura diſtinguātur, nequit fieri, vt ſint partes vnius corporis ſimplicis, quod vndequaque ſibi ſimile eſt, caretque partibus ſpecie, & natura diuerſis. Fortaſſe reſpondebunt hæc ſigna his nominibus appellari, non quia ipſa agant, aut patiantur in rerum generatione, ſed quoniam cauſſis generationis tribuunt agendi, & patiendi vires; verum argumēti vim non euitabunt, quoniam cum hæ vires ſint natura diuerſæ, non poſſunt tribui ab vnius ſimplicis corporis partibus, quarum vna, & eadem eſt natura. Quod putent Aſtrologi, quia cælum rebus gignendis plurimum conducit, & hæ non generantur, niſi duæ naturæ conueniant, quarum vna efficiat, & altera patiatur, conſentaneum eſſe harum naturarum diuerſitatem in cælo contineri: rectam ſanè habent exiſtimationem in eo, quòd arbitrantur cælum rebus generandes vtile eſſe, ſed aduertant hanc cæleſtem vtilitatem ad cauſſam effectricem communem eſſe referendam, quæ cauſſa eſt inanis, & otioſa, niſi ei adiungatur cauſſa particularis; & niſi præſtò ſit quippiā, quod patiatur, actionique ſubjciatur: quamobrem & ſi quod ſit, nō fiat, niſi ſimul ſint id, quod habet vim agendi, & id, cui data eſt vis patiendi, attamen hæc duo non eſt vt quærantur in cęlo, quod per ſe ſolum nō generat quippiam. Nec præterea dicitur verè ſigna, quæ tribuunt ignis, & aeris qualitates, eſſe genere maſculina, & quæ terræ & aquæ, fæminina, quoniam, vt oſtendimus, in diſputatione aduerſus arcanas ſtellarum virtutes, nullæ ſunt ſtellæ, quibus data ſit vis efficiendi eas qualitates, quæ propriæ ſunt elementorum, & ab elimentis deriuantur. Inane denique eſt exiſtimare ſigna, quæ in numeratione impari numero comprehendūtur, eſſe maſculina, & quæ pari, feminina, quoniam numeros eſſe ab omni actione vacuos iā pridem receptum eſt in ſcholis philoſophorum; & ridiculum eſt numerorum alios eſſe mares, & alios fæminas. Et cum hominum conſilio factum ſit, vt circulus obliquus in duodecim ſigna diſtribueretur, atque in his numerandis ab Ariete ſumeretur initium, nam quæ circuli eſt natura, poterat & in plura, & in panciora ſigna fieri diſtributio, & à quocunque ſigno initium ducere, & in quocunque finiri numeratio, quis non videat, ſi vera ſit hæc ratio Aſtrologia, fore, vt ſigna maſculina, ſignaque fæminina, quod ſint hæc ipſa, quæ ſunt,

Sexuum diuerſitas inſtituta.

Suffugiū.

Inſectatio

Numeri ab omni actione vacui.

hominum

Digitized by Google

hominum opera ſint conſequuta? Reſtat tertium fundamentum, cuius euerſio non eſt difficilis, nam cum aſpectus ſit relatio, cuius nullam eſſe actionem, nullamque paſſionem communis eſt omniũ philoſophorum opinio, nequit fieri, vt aſpectuum alij ſint beneuoli, & alij maleuoli. Quod ſi Aſtrologi dixerint aſpectus non puros, ac ſimplices, ſed erraticas ſtellas includẽtes eſſe beneuolos, aut maleuolos, ex eis percunctabimur, nunquid ſtellæ erraticæ ſua natura ſint beneuolę, aut maleuolæ; an potius quod ſint huiuſmodi, ex aſpectibus nanciſcantur. Primum ſi deciderint, quoniam ſtellæ ob varium aſpectum non variant naturam, quæ in eis eſt immutabilis; hæ quocunque inſpexerint aſpectu, ſemper erunt aut beneuolę, aut maleuolæ: quapropter non eſt, vt aſpectus in beneuolos, & maleuolos diſtinguantur, cum nullus ſit, qui quandoque beneuolus, & quãdoque maleuolus eſſe non poſſit. Alterum verò ſi poſuerint, qui poteſt ferri ſtellas ob poſitus varios, locoſque diuerſos, quibus nulla agendi vis eſt impartita, in ſuis naturis, & effectionibus mutari? atque inſtar Chameleontis nihil habere ſtabilis, conſtantiſque naturæ? Cum Aſtrologi inquiunt aſpectum ſexangularem eſſe ſalutarem, quoniã in his radij non ſeſe impediunt, & contra quandrangularem, & oppoſitum eſſe noxios, quoniam radij in his ſibi mutuò aduerſantur, prorſus ignorant eam eſſe radiorum naturam, vt careat contrario; declarat ipſorum repentina diffuſio, & ſine materiæ mutatione productio. Sed de ijs, quæ propoſuimus cõſideranda, hactenus ſit à nobis ſatis ſuperque dictum; Et ſi quis veſtrum plura deſiderat, is adeat Ioannem Picum virum omnibus notiſſimum, qui multis libris varia, ac multiplici doctrina refertis errores Aſtrologorum aperuit, & huius nepotem Ioannem Franciſcum Picum, qui *in lib. 5. de rerũ prænotione* contra Aſtrologos acerrimè fuit inuectus, atque alios præclariſſimos viros, qui ad hanc non ſanam Aſtrologorum opinionem curandam omne ſuum ſtudium contulerunt.

Aſpectuũ non alij beneuoli, & alii maleuoli.

Relationis nulla eſt actio, nullaque paſſio.

Loco nulla uis agẽdi.

Diluuntur ea, quibus Aſtrologi omnia ſtellarum efficientiæ ſubijci confecerunt. Cap. XXIII.

NVnc Aſtrologorum argumenta ſunt diſcutienda, atque illa primum quibus cuncta cælorum, & ſtellarum effectioni ſubijciuntur. Quod pertinet ad Ariſtotelem, non eſt, ut Aſtrologi huius patrocinio vtantur, nam de illius ſententia omnia quidem caduca pendent ex cælo, verum tanquam ex cauſſa communi, cuius eſt nihil efficere abſque propriarum cauſſarum efficientia: vt interim mittã in loco citato dum ſcribitur mundum hunc inferiorem lationibus ſuperioribus contiguum eſſe, vt omnis eius vis ab his ſequatur, mũdi

Ariſtotelis locus li. 1. meteor. cap. 2. explicatur.

inferioris

inferioris nomine vel maximè, intelligendam eſſe quatuor elementorum compagem, cuius affectiones in libris meteorologicis peruestigantur. Ad primum argumentum reſpondendum eſt omnia, quæ oriuntur, & pereunt, eſſe ſanè ſubiecta cæleſti effectioni, cæterum nullas vires noſtris ſenſibus occultas ex cælis, & ſtellis diffundi in rerum caducarum vniuerſitatem, quibus omnia efficientur, tãtumque abeſſe, vt id euidentiſſimum ſit, ut contra ſit obſcuriſſimũ, pugnetque cum ratione. Quæ de Solis, & Lunæ efficientia afferuntur, non eſt, vt improbentur, ſi eo accipiantur modo, quo ſunt accipienda, quique ſuo loco fuit explicatus. Quæ verò de ſtellarum tam errantium, quam inerrantium ſignificationibus & configurationibus ſubiunguntur, non carent difficultate, nec firmæ, ſtabileſque ſunt ex his coniecturæ, & obſeruationes. Cum aſſumitur in proximo argumento frigus, calorem, humorem, & ariditatem ex ſtellarum configurationibus, & effectionibus pendere, id ſi ita aſsumatur, vt cęlum, & ſtellæ exiſtimentur cauſſæ horum communes, non eſt, vt reprehendatur; ſin ſecus, & ſtellæ inducantur veluti cauſſæ horum propriæ, quo modo ſumitur ab Aſtrologis, nõ eſt ſine crimine, quapropter non rectè colligitur, quę ex primis qualitatibus ſunt conſtituta, & ex his deriuãtur, hæc omnia proximè fieri à ſtellis, & his accepta eſſe referenda. In eo autem grauiter erratur, quod nimis multa exiſtimentur ex primis qualitatibus pendere, nam quid iniquius poteſt cogitari, quam diuitias, inopias, dignitates, honores, bella, regnorum euerſiones, fortunam proſperam, & aduerſam, atque alia huius generis ex primis oriri qualitatibus? Ego quamuis diu, ac multum cõſiderauerim, nullam vnquam potui animo cernere affinitatem, qua hæc fortuita ſequantur primas qualitates. Et ſi omnia à primis qualitatibus efficiuntur, cur in hominum genituris morum, ac fortunæ prædictiones aliunde capiuntur, quam ex ea conſtellatione, quæ corporis temperationem facit, atque demonſtrat? hac enim perſpecta quiuis poterit omnia prædicere, quæ ipſam conſequuntur. Deinde quamquam animi mores, & ad varias animi commotiones procliuitates ex corporis temperatione naſcantur, attamen non neceſſariè ſequitur ab hominibus effici ea, quæ ſunt cum propenſionibus connexa, quippe qui libera voluntate donati, menteque ac conſilio prę-diti poſſunt his reſiſtere, atque in quaque re quod æquum, honeſtũ que ſit perſpiciendo, id agere. Accedit, quod educatione, conſuetudine, ac philoſophiæ præſidijs homines poſſunt naturales impulſiones, incitatione ſua cohibere, & his contrarios habitus induere: quod Socrates declarauit, qui libidinem, cui erat naturali propenſione addictus, philoſophiæ ſtudio ita reſtinxit, ut nihil turpe, & à recto honeſtoque abhorrens vnquam admiſerit. Ergo in nobis, ut di-

Ad primum argumentũ.

Ad ſecundum.

Homines ſuis inſitis propenſionibus uim habent reſiſtendi.

Socrates

cebat

tur,quorum effectrices ſunt calor,& frigus,quæ cuiuſcunque fuerint corporis, ſi incidant in materiam, quæ ſit aptè nata ab eis mutari, agunt,& mutant,idque efficiunt, quod fieri eſt aptè accomodatum. Nec præterea quicquam faciunt ſingulares quorundam lapidū proprietates,quas cælitus non demitti declarant, quæ aduerſus arcanas ſtellarum virtutes fuerunt diſputata. Et quamuis non ſit diffitendū lumen,cui plurimum ignis eſt admixtum,magnum afferre momentum ad plantarum incrementa, & decrementa, attamen non eſt temere dandum arbores tot annos eſſe feraces, quot dies abfuit earum plantatio à Solis,& Lunæ coniunctione. Animalium, quæ fiunt ex materia putri, ſuaque ſponte ſine ſemine naſcuntur, cauſſa effectrix eſt non anima mundi,quod Platonicis placuit,non Colcodea, vt putauit Auicennas; non cælum, quod eſt in Aſtrologorum opinione, ſed vt intelligitur ex lib.4. meteor ſub exitum diſputationis de putredine,& ex lib.3. de gen. animal. cap. 11. caliditas,quæ continetur in corpore, quod ambit, tangitque materiam putrem, reliquorum verò animalium,quæ maris,& fęminæ coitu oriūtur, cauſſa efficiēs eſt mas ſemine miniſtrante. Hoc licèt ſit corpus ſimilare, virtute tamen varia,atque multiplici præditum eſt, quippe quod decidat à corpore cum varijs partibus, varijſque inſtrumentis diſtincto, tum etiam multis facultatibus ornato, huiuſque virtute agat, mutetque ſanguinem,ex quo animal generatur; Idem præterea cum natura impellente obeat ſuum munus, ex ſe abſque duce attingit ſuum finem, neque vllo indiget rectore, a quo regatur, & ad finem ſibi conſtitutum moueatur. Cauſſa, cur homines literati efficiuntur melancholici,non eſt in Mercurium,& Saturnum referenda,tum quia ſtellæ nullas continent qualitates,quas cum ijs communicent,quibus dominari fuit eis conceſſum; tum etiam quoniam cum agant per modum naturæ, nullamque habeant hominum literatorum comprehenſionem,arduū eſt intellectu, quo pacto hominibus literatis ſic noceāt, vt illiteratis nihil afferant detrimēti. Quinetiam indignum eſt illius cauſſam, quam panè oculis cernimus, & manibus quodam modo attrectamus,in occultis ſtellarum errantium proprietatibus peruestigare. Huius illud eſt in cauſſa,quod ob diuturnas mentis & facultatis imaginatricis functiones calor naturalis hebeſit humor innatus imminuitur,ſpiritusque diſſoluuntur,quibus labefactatis ſanguis areſcit,& refrigeſcit, & hoc areſcente, ac refrigerante corpus contrahit habitum melancholicum. Illud etiam incommodi accidit ijs, qui rerum contemplationi ſunt dediti,quod corporis partes,quæ alimentis concoquendis ſunt à natura deſtinatæ, calore deſtitutæ non ſatis probè conficiunt alimenta; quo fit, vt ſanguis frigidus, craſſuſque gignatur, qui per venas in omnes corporis partes digeſtus cauſſa

Animaliū ex putri materia cauſſa efficiens.

Semen varia virtute præditū.

Homines literati cur ſint melācholici non eſt ad Saturnū, & ad Mercurium referenda.

Cauſſa vera.

Digitized by Google

eſt habitus melancholici. Quin etiam rebus contemplandis intenti
tanta iucunditate interdum perfunditur, vt corporis exercitationes
emittant,nullamque habeant valetudinis curam: Quamobrem cũ
neque partes corporis motu incaleſcant, neque excrementa expellã
tur,neque craſſi,nigrique uapores diſcutiãtur,ſanguis vniuerſus ob-
ſcuratur,atro colore inficitur,atque totius corporis habitus efficitur
melancholicus. Hæc cenſendum eſt cauſſas eſse, cur homines diſci-

Ficinus.

plinis dedíti fiant melancholici,quas omnes Ficinus in lib. 1. de tri-
plici vita abundè fuit perſequutus: quanquam hic non omnino ca-
ret reprehenſione, quod in huius rei diſquiſitione non prorſus con-
temnat nugas Aſtrologorum.

*De cauſſis ſtygmatum, quibus in vtero fætus ſignatur, opiniones variæ re-
citantur, & confutantur. Cap. XXIV.*

Imaginatrix, ex communi omniũ conſenſu imprimit ſtygmata, quamquã in modo ſit diſſenſio.

STygmata,quibus in vtero fætus quandoque ſignatur,communis
eſt omnium ferè opinio imprimi à ui imaginandi,cuius magna
eſt poteſtas ad corpus permutandum: Verum quo pacto hæc virtus
in hoc munere verſetur,non facilem habet explicationem. Dixerũt
nonnulli imaginatricem non vi propria, ſed vi alicuius ſtellæ impel
li ad ſtygmata imprimenda: Atqui abditis ſtellarum virtutibus eie-
ctis cælitus non manebit, quod imaginatrix fætum aliqua turpitudi
ne deformat. Præterea ſi imaginatrix quippiam à ſtellis acciperet,
vel ipſa per ſe ſola ſtellarum effectioni ſubijceretur, vel ipſius inſtru
mentum,ſed per ſe ſola non poteſt quippiam accipere,quoniam for

Refutatur

ma per ſe ſola eſt impatibilis,hinc in lib. 1. de gen. & int. 55. ſi vlla
eſſet caliditas per ſe conſiſtens,hæc nobis pateretur,quoniam mate-
ria quatenus materia eſt patibilis, & quicquid patitur, quod patia-

Forma per ſe ſola impatibilis.

tur,ex materia nanciſcitur,neque etiam illius inſtrumentum, quo-
niam cum ſtellæ has ſuas effectiones ex ſe fundant more naturæ,vel
omnia imaginandi facultatum inſtrumenta cælitus vires has accipe
rent,quod falſum eſt,vel ratio erit afferenda,cur hoc, & non illud
inſtrumentum hac virtute cæleſti fuerit donatum,hæc autem, quæ
animum explear,cum non poſſit afferri, concludendum eſt vanum
eſſe ſtellarum auxilium ad ſtygmata imprimenda. Quod aliqui dixe
rint non omnibus inſtrumentis concedi vim cęleſtem,quia non om
nia ſunt parata ad hanc excipiendam,ſed ea ſola, quorum imagina-
trices vehementer ſunt defixæ in alicuius rei comprehenſione, id
non caret dubitatione, nam imaginatrice in aliqua re percipienda
acerrimè defixa eius inſtrumentum nnnquam non cæleſti vi donare
tur,& cum actus imaginandi ſit pręſtabilior actu,quo ſtygma impri
mitur, is nequit inſtrumentum parare ad accipiendam virtutem

ſtygmatis

Digitized by Google

ſtygmatis effectricem, atque huius ea eſt ratio, quoniam omnis apparatus cum ſit gratia illius, ad quod eſt apparatus, ſemper huic eſt inferior dignitate, re nunquam ſuperior. Inquiunt alij vim cognoſcentem in actu cognoſcendi poſitam quodam modo fieri illud ipſum, quod cognoſcitur, ex quo ſcripſit Ariſtoteles *in lib. 3. de anima* 37. animam eſſe quodam modo omnia, quapropter facultatem imaginatricem id, quod expetitur, apprehendendo in ipſum modo quodam mutari, huiuſque ſimilitudinem in ſe exprimere, cum verò vnunquodque agendo id gignat, quod ſui ſimile eſt, vim imaginatricem, cui virtus agendi minimè deeſt, factam rei expetitæ ſimilem, atque in hanc aliquo pacto conuerſam habere vim illius, quod ſibi ſimile eſt, quodque rei expetitæ non eſt diſſimile, generatricem. Hi quoque premuntur difficultatibus, nam quicquid agit, ſua actione propria agit: ſed actio imaginatricis eſt cognitio, quæ cum ſit actio immanens, ſibi ipſa finis eſt, nec per ipſam efficitur quippiam à cognitione diuerſum *lib. 9. poſtnat.* 11. non igitur imaginatrix ſua actione poteſt quippiam fætui imprimere. Et ſi agens omne id, quod patitur, tangat, oportet *lib. 7. phys.* 11. *& lib. 1. de gen. & int.* 43. qui poterit imaginatrix procul poſita fætum aliqua nota ſignare? Alii, vt forſitan ab his difficultatibus ſe expedirent, ſcripſerunt ſpeciem virtute imaginatrice conceptam ſpiritibus imprimi, atque hanc ſpeciem eſse his agendi rationem, qui mox cum ſanguine, cui ſunt admixti, ad fætum delati ſimilem formam tribuant, verum hi in alias incurrunt, nam ſpecies ſpiritibus impreſsa, quæ eſt accidens, & ſpiritalis, non poteſt eſse ratio efficiendi ſtygma, quod eſt natura realis, & ſæpe numero ſubſtantiæ genere continetur. Deinde ſpeciei munus eſt repreſentare id, cuius eſt ſpecies, ac imago, & propter hoc fuit parata, imaginationique impreſsa: non igitur poteſt eſse ratio, & principium efficiendi id, cuius eſt imago, quod & id declarat, quoniam ſi ita eſset, integrum eſset imaginatrici ea omnia afficere, quorum ſpecies habet in ſe impreſsas: iniuriaque Auicenas falſi crimine ab omnibus damnaretur, quod tantum huic virtuti tribuerit, vt putauerit ab ea poſse mutari non ſolum corpus proprium, ſed etiā alienum, atque in aere excitari nubes, pluuiam, grandinem, ventos, & alia id genus. Amplius qua ratione ſpiritus, qui ſua natura ſunt calidiſſimi, ac leuiſſimi, ex imaginatricis loco, qui ſurſum eſt, ad fætū, qui eſt deorſum, deferantur, non eſt facile declarare. Ponunt aliqui imaginatricem ſpiritibus imperare, & alij cenſent ſpiritus vi ab imaginatrice depulſos ad fætum perferri. Neutri ſunt abſque difficultate: priores, quoniam ſpiritus ſunt inanimi, nullaſque poſsunt accipere imaginatricis præceptiones, & certum eſt abſque vllo imaginatricis viſu ſtygmata oriri, poſteriores vero, quia imaginatrici, quæ eſt

Apparatus eſt ignobilior re, ad quā eſt apparatus.

Opinio ſecunda.

Refellit.

Opinio tertia.

Refell.

Imaginatrix non imperat ſpiritibus.

Imaginatrix non impellit ſpiritus.

eſt vis cognoſcens, & agit ex cognitione, par eſt, vt cognitus ſit fætus, ad quem ſpiritus ab ea tranſmittuntur, & ſtygmata fætibus imprimi haud quanquam cognitus certiſſimum eſt. Rurſus ſanguis, & ſpiritus, qui deferunt ad fætum, extrane, an intus, poſiti fætum inficiunt? non exiſtunt foris, quod ſanguis omnis, qui ad fætum ex matre deriuatur, per venam vmbelici deferatur, ad heparque pertingat: Sin intus, ſanguinem oportet in fætus ſubſtātiam conuerti, id quod nonnulli ſenſerunt dicentes, cum fætus nutritur ſanguine ad vterum delato in ipſo fætu colorem, ſeu qualitatē ſanguini impreſſam remanere, at id qui poſſit fieri, prorſus non perſpicio, nam ſi in nutritione ſanguis ita mutatur, vt proprias qualitates abiiciat, propriā que naturam amittat, quo pacto id, quod extrinſecus ei acceſſit, retinebit? Ad hæc (& illud in alias quoque opiniones) actio, qua ſtygma imprimitur, eſt actio facultatis formatricis, ſiue generatricis, ex quo factum eſt, vt plerique exiſtiment ſtygma non poſſe oriri, niſi eo tempore, quo fætus formatur, verum cum vis generandi ſit facultas animæ vegetalis, cur hac neglecta virtutis imaginatricis, quæ ſentientium facultatum genere continetur, habita eſt ratio. Id quidam cum intelligerent, imaginatrice poſt habita vnam vim formatricem ſunt amplexati, quam ponerent harum notarum cauſſam: contra quos illud facit, quod mulier alba in Aethiopis imagine oculis, imaginationeque defixa prolem nigram pepererit, & alia, cui imago hirſuta in conceptu ſeſe obtulit, ſimilem puellam ediderit. Itaque alii ambas haſce vires formatricem, & imaginatricem coniunxerunt, atque illam ab hac dirigi voluerunt ad fætum deformandum, & ſtygmate obſignandum, idque ita explicarunt. Hæc directio tribus modis poteſt miniſtrari, videlicet aut imperio facultatis imaginatricis in formatricem, aut naturali conſenſu formatricis cū imaginatrice; aut denique ſpecierum communicatione: Primus modus erit, ſi imaginatrici datum fuerit imperium ciuile in formatricem, atque hæc aptè fuerit nata ei obtēperare, atque ita agere, ut efficiat id, quod ab illa imperatur: alter, ſi vis formatrix ſic ſua natura fuerit comparata, vt in actione ſeſe conformet cum imaginatrice, & nunquam ab hac diſcordet: tertius, & poſtremus, ſi ſpecies imaginatione perceptæ fuerint impreſſæ primum in ſpiritibus, & in ſanguine matris, tum continuitate quadam in ſpiritibus, & in ſanguine fætus, atque per modum cuiuſdā exemplaris inſtruxerint, atque direxerint conformatricem ad id, quod eſt ſimile, & conforme efficiendum. Ex his modis tertius ſolus eſt idoneus, qui approbetur, reliqui ſunt improbabiles; primus, quoniam, vt docet D. Thomas *in p. p: quæſt.* 82. *art.* 4. cum voluntas, quæ multum anteſtat imaginatrici, nullum habeat imperium in virtutes vegetales, ſiue naturales, in quarum numero

Opinio quarta.

Refutat.

Opinio quinta.

formatrix quot et quibus modis poſſit dirigi ab imaginatrice.

D Thom. Voluntas non habet in uirtutes naturales imperium.

mero

mero poſita eſt vis formatrix, nec quoque imaginatrici ullum imperium erit in formatricem: Accedit, quod ſi imaginatrix ullo modo conformatrici dominaretur, fætus aliquo ſtygmate notatus ſæpiſſimè naſceretur, id quod minimè contingit. Alter, ſecunduſque modus eſt contemnendus, quoniam licèt inter imaginatricem, & virtutes aliquas naturales magnus ſit naturæ conſenſus, tantus tamẽ nequit eſſe inter imaginatricem, & conformatricem, vt hæc ab illa dirigatur, ac definiatur ad tot, taleſque effectus producendos, quot, & quales producere experientia declarat, id autem ex his poteſt intelligi: Primum quoniam fundamentum, propter quod vna vis alterã dirigit, & excitat ad ſuum actum obeundum in eo poſitum eſt, quia vtræque ſunt vnius animæ vires; atque hac ratione vis mea imaginandi mouet, ac excitat vim mea appetendi, quæ eſt eiuſdem animæ facultas, & non eam, quæ alterius hominis eſt: Cum igitur virtus formatrix, cui data eſt vis ſtygmatum imprimendorum, non ſit virtus animæ parentum, ſed hęreat in ſemine, aut verius in fætu, cuius animæ domicilium ſibi fabricantis quiſpiam non iniuria exiſtimabit eſſe poteſtatem, fieri non poteſt, vt inter hanc, & vim imaginandi parentum vllus ſit naturalis conſenſus, quo ipſa moueatur ab hac, & dirigatur. Deinde eſto, quod parentum imaginatrix aliquo pacto cum fætus formatrice conſentiat, hic tamen conſenſus non poteſt eſſe tantus, vt propter ipſum hęc ab illa definiatur ad hoc, & non ad illud agendum. Præterea quando vna vis definit alterius poteſtatis actum abſque vlla ſpecierum oblatione, vnico, ſingularique modo, & ad vnum ſolum agendum definit; ſed vis imaginandi determinat virtutem formatricem multis, varijſque modis, & ad multa, diuerſaque agenda, cuius rei argumento eſſe poteſt diuerſitas notarũ, & ſtygmatum, quæ in fætibus cernuntur, vis igitur imaginandi nõ imperio, aut conſenſu naturali, ſed ſpeciebus tanquam exemplaribus propoſitis excitabit, & impellet virtutem formatricem ad agendum. Poſtremò cum actus formatricis ſit ſimilis ijs, quæ imaginatione concipiuntur, omnino ſentiendum eſt ſpecies imaginatrici impreſſas veluti exemplaria eſſe formatrici propoſitas, atque per modum exemplaris hanc dirigere, & mouere ad ea agenda, quæ ipſis ſint ſimilia. Hæc eſt horum opinio, cui vt accedam, nullo modo fieri poteſt, nã (mitto interim abſurdum eſſe putare virtutem formatricem eſſe facultatem animæ fætus domicilium ſibi fabricantis, quoniam nulla anima ſibi poteſt corpus, quod animat, & informat, fabricare, tum quia huic iam formam accedit, aut ſanè ſimul cum hoc procreatur: tum etiam quoniam cum animę actiones verius ſint ipſius corporis animati *lib. 1. de anima 64.* animal ipſum, & fætus ipſe ſibi ſuum corpus fabricaretur) ſpecies non poſſunt mouere, aut excitare

Imaginatrix quo modo dirigat formatricem.

Reprobat.

Anima nequit corpus, quod animat ſibi fabricare.

excitare niſi vim, cui imprimuntur, & virtus formatrix non eſt idonea, cui imprimantur ſpecies, quæ quod propter cognitionem ſint comparatæ, in ſola virtute cognoſcente poſſunt imprimi. Reſpondent aduerſarij nõ eſſe neceſſarium ſpecies ſuſcipi in formatrice, ſed ſat eſſe, ſi inſint vel in ſanguine, qui eſt fætus alimentum, & ſubiectũ quod ſuſtinet actionem formatricis, vel in ſpiritu, qui eſt inſtrumentum conformatricis. Adiungunt poſſe quoque ſuſcipi in formatrice, cæterum non efficere cognitionem, quoniam in hac virtute ſuſcipiuntur non vt repreſentatiuæ per modum cognitionis, ſed modo quodam naturali. Hæc ſunt inania, quoniam cum exemplar ad cauſſam effectricem referatur, ſitque ratio, qua cauſſa effectrix ad agẽdum excitatur, illud nõ in ſubiecto, quod ſuſtinet agentis actionem, neque in inſtrumento, quo agens vtitur, ſed in agente eſt ponẽdum. Et ſanè cum cauſſa agens laboret, vt ſimili exemplaris imagine depingat ſubiectum, quis non videat eam fruſtra laboraturam eſſe, ſi exemplar ſubiecto eſſet impreſſum? Et ſi exemplar eſt ratio agendi, quo pacto erit in inſtrumento, quod pro exemplaris ratione ab agente mouetur, & non in agente? Verum de horum inanitate nemo dubitabit, qui artes ad exemplar agentes fuerit contemplatus. Et uerò ſi ſpecies ponantur in formatrice, quoniam ei imprimuntur vti exẽplaria, & exemplar in eo, quod exemplar, habet vim repreſentandi id, cuius eſt exemplar, oportet, ut in ea ſuſcipiantur repreſentatiuè, ac veluti in eo, cui eſt vis cognoſcendi impertita. Deinde quæ propoſito exemplari agunt, ea non agunt, niſi exemplar habuerint cognitione comprehenſum, qui igitur virtus formatrix cognitionis expers poterit à ſpeciebus veluti ab exemplaribus ſibi propoſitis ad agendum moueri, & dirigi? Et ſi ſpecies, vt in diſputatione de ſpeciebus ſpiritalibus oſtendi, non ſunt diuerſæ ab actibus cognitionis, & ſunt illimet actus, quibus ea, quorum ſunt ſpecies, comprehendũtur, qui erunt in formatrice omni cognitione carente? Occurrunt ij, quibus cum diſputamus duos cognoſcendi modos inducentes vnum verum, qui ſenſui, & menti fuit conceſſus, alterum naturalem, qui cernitur in plantis, quæ humi defixæ cognoſcunt noxium, & vtile, atque illo relicto ad ſe hoc alliciunt, quo nutriuntur. Hæc abhorrẽt à communi philoſophorum conſenſu, cui religio eſt vllum cognitionis modum plantis tribuere. Adiungendum eſt, quæ agunt ad exemplar, ea conſultare, ac deliberare de ea, quod eſt agendum, & de modo, quo agendum, & verò quia conſultatio, & deliberatio eſt, vera, propriaque cognitio, ſanè virtus formatrix ſi ageret ad exemplar, non ſola naturali cognitione eſſet contenta. Sed hæc fiant miſſa, quæ potius videntur poſita, ut haberetur modus euadendi è difficultatibus, quam quod ita ſe habeant. Sunt alij, qui exiſtimant ſtygmatum cauſſas

Species in loca ubi cognoſcente imprimũtur.

Reſponſio.

Refutatio

Reſiſten.

Repulſio.

Opinio 5.

cauſſas non eſſe ab ijs diuerſas, quibus fit, vt fœtus quandoque naſcatur biceps, aut tripes, aut alio modo præter naturam affectus, uanumque eſſe ſtygmata adſcribere imaginatrici. Et vt ita exiſtiment, multa inducunt. Primum quia exploratum eſt plantas inſuetis maculis infici, & ex aliqua parte emittere germina, ex qua emitti non eſt ſolitum, & verò fuerit nemo, qui hæc tribuat imaginatrici, quæ in plantis prorſus deſideratur. Deinde non deſunt fœminæ, quarum nõnullæ affirmant, cum vtero gerentes alicuius rei deſiderio magnopere flagrarent, nullam rei expetitæ notam in fœtu apparuiſſe, & aliæ aſſeueranter dicunt ſe abſque vlla antecedente expetitione fœtus edidiſſe notis, & maculis turpificatos. Preterea ſi vis imaginatrix munus exequatur imprimendi ſtygmata fœtibus, cum hoc munus ſit in cauſæ effectricis partibus, profectò quoniam in fœtus generatione ſolus mas ſuſtinet munus cauſæ effectricis, aut, ut Medici autumant, primas partes teneat, oporteret quoque vim huius imaginatricem hoc munere fungi, quod omnes diffitentur & nunquam fuit obſeruatũ. Amplius ſi imaginatricis efficacitate fœtus notaretur ſtygmate, ratio erit afferenda, quamobrem in hac, & in illa, aut alia corporis parte ſtygma imprimatur; hanc autem afferre tam difficile eſt, quam quod difficillimum. Quod aliqui dixerint eam partem ſtygmate ſignari, quæ venerit in conſultationem, nam vis imaginatrix & de obiecto, & de ſubiecto conſultat, id penitus eſt ridendum, & quia vis imaginatrix rationis expers nulla fuit conſultandi facultate donata, & quia certum eſt mulieres in re expetita defixas nõ deliberare de vlla corporis parte, quæ notetur ſtygmate, quoniam non ea de cauſa hoc, aut illud expetunt, ut huius aut illius imagine pars aliqua fœtus deformetur; quanquam interdum accidat, ut de modo, & de ratione deliberent, qua valeant rem expetitam cõſequi. Quod ſi aliquis obijciat Ariſtotelem *in ſect. 10. probl. 12.* cauſam, cur proles cæterarum animantium, magis quam hominis ſuis parentibus naturam ſimilem gerat, retuliſſe in id, quod homo in coitu ſit vago, varioque plurimum animo, & prout pater, materque in conceptu affecti fuerint, ita partus euarient, reſpondent Ariſtotelẽ in hoc problemate, quemadmodum & in alijs plurimis non ex animi ſententia eſſe loquutum, atque huius argumento eſſe, quoniam ſi ſuæ menti congruenter loquutus fuiſſet, non ſolum mas, verum etiam fœmina cauſæ efficientis munus in generatione obiret, quod fuit ab eo damnatum *in lib. 1. de gen. animal.* nam cum ſtatuat, pro vt mater in conceptu fuerit affecta, ita partum euariare, id non ſtatueret, niſi putaret matrem aliquo pacto ſuſtinere munus cauſę effectricis. Quin etiam huius id eſſe inditio, quod *in lib. 4. de gen. animal.* dum cauſas inquirit natorum ſimilitudinis, parentum animum habeat pro nihi-

lo, quem non neglexiſſet, ſi in hoc problemate ex animo eſſet loquũ tus. Sequitur igitur Ariſtoteles peruagatã hominum opinionem, quæ inde habuit originem, quod cum homines fætus intuerentur va rijs, inuſitatiſque notis affectos, atque huius cauſſam neſcientes afficerentur admiratione, ſuam operam poſuerunt in cauſſa perquirenda, quapropter cum interrogando mulieres, nunquid tempore conceptionis, aut grauiditatis aliquid eſſent perpeſſæ, intellexiſſent eas in eo, cuius ſimilitudo in fætu eſſet expreſſa, fuiſſe imaginandi, appetendique viribus defixas, rati ſunt ad has vires harum notarum cauſſas eſſe referendas, non animaduertentes mulieres, quæ tempore grauiditatis plurimarum, diuerſarumque rerum appetitionibus ſunt obnoxiæ, caſu & fortuitò in illius appetentiam incidiſſe, cuius ſimili imagine fætum contingit eſſe obſignatum, & propterea non eſſe, vt ad imaginatricem, & appetitum id referatur, cuius cauſsa eſt materiæ inſtabilitas, indefinitioque, ac diuerſarum cauſsarum concurſus. Hæc hi, quibus ne accedam, facit experientia, qua compertũ eſt imaginatricem ad notas imprimendas magnopere valere, coniuncta cum præſtantiſſimorum virorum authoritate, quos in re tam graui, & difficili cæcutiſse turpe eſt ſibi perſuadere: Et vt mittam Ariſtotelem in problemate recitato imaginatricem plurimi facientem, quem ſequitur Plinius *in lib. 7. hiſt. nat. cap.* 12. ſcribens cogitationes, & hauſtas tempore conceptus imagines fætus ſimilitudinem effingere, atque notas multiformes in hominum genere magis, quã in cæteris omnibus animalibus imprimi à cogitationum velocitate animi celeritate, & ingenij varietate, & cui conſentit Cicero in 1. tuſcul. affirmans maiorem prolium ſimilitudinem in beſtijs, quam in hominibus ex hac vna cauſsa exiſtere, quoniam illæ ſunt rationis expetes: Hippocrates *in lib. de ſuperfætatione*, ſi qua, inquit, mulier prægnans terram edere concupiſcat, aut carbones, eaque edit, in capite pueri, vbi natus fuerit, ſignum à talibus apparet. Idem teſte D. Hieronymo in traditionibus hebraicis ſuper Geneſim ab infamia, & ſuſpitione adulterij mulierem liberauit, quod in eius cubiculo ſimilis fætui eſſet pictura, in quam ipſa intentam habuerat cogitationem. Soranus D. Auguſtino *in lib. contra Iulianum cap.* 9. referente cum Dionyſius Siciliæ Tyrannus fuiſset ex eo percuntatus, qua ratione vti poſſet, ne ſibi deformi ſimiles eſſent liberi, iuſſit pulcherrimam picturam ante illius vxoris oculos poni, ut hæc illam intuendo filios pareret non patris, ſed picturæ ſimiles. Id forſitan Galenus *in lib. de theriaca ad Piſonem capit.* 14. ſignificauit, cum ſcripſit veterem quandam hiſtoriam ſibi indicaſſe virum deformem opibus potentem, cum formoſi filij deſiderio teneretur, iuſſiſse pulcherrimum puerum depingi, mulierique dixiſse, vt in coitu picturam inſpiceret,

Reprehen.

Imaginatrix multum ualet ad notas imprimendas.

Ariſtotel.

Plinius.

Cicero.

Hipocrat.

D. Hiero.

Soranus.

Galenus.

ceret atque hanc oculis defixis pictam imaginem intuendo, totamque mētē illuc referēdo infantē non patri, ſed picturæ ſimilē ēdidiſſe. His alios clari nominis viros adiūgerē, ſi in re dubia, & cōtrouerſa verſarer, & niſi multa huius rei exēpla apud ſcriptores legeretur.

Vnde exiſtant ſtygmata, quæ fœtibus in vtero imprimuntur. Cap. XXV.

EGo arbitror ſtygmatum, quibus fætus in vtero ſignatur, uarias, & multiplices eſſe cauſſas, nam cum hæc in magna ſint varietate, fieri nequit, ut cunctorum una, & eadem ſit cauſa. Stygmata à me tripartitò diuiduntur, aliaque vocantur naturalia, alia nonnaturalia, & alia præter naturam. Stygmata quædam eſſe naturalia hiſtoriæ teſtantur, quibus proditum eſt Seleucum, & eius poſteros femur habuiſſe anchoræ imagine notatum, & in quibuſdam aliis ſtirpibus fuiſſe gentilitia quædam ſigna innata, & inſita à natura. Sed & idem intelligitur ex Hipocrate, à quo *in lib. de aere, aquis, & locis* ſcriptum eſt Macrocephalos primum arte obſtetricum longis fuiſſe capitibus, quod generoſiſſimum apud eos putaretur caput habere quam maximè longum; deinde temporis progreſſu naturam cum arte conſpiraſſe, eiuſmodique capite produxiſſe, vt non eſſet neceſſe artem adhibere. Quinetiam Ariſtoteles *in lib. 7. de hiſt. animal. cap. 6.* affirmat ſigna quædam haberi hæreditaria, vt verrucas, aut næuos, aut cicatrices, aut aliquid aliud generis eiuſdem. Præter hæc eſſe alia, quæ ſint nonnaturalia, notius eſt, quam vt egeat declaratione, nam huius generis plurima ſunt, quæ cum non ſint à natura, quia rarò contingunt, in omnibus excitant admirationem. Sunt denique alia præter naturam, quæ cernuntur in monſtris, & monſtroſa poſſunt appellari. In cauſſis ſtygmatum præter naturam inquirendis non eſt, vt aliquid operæ collocetur, quoniam certum eſt monſtrorum cauſſas efficere hæc ſtygmata, & ad eas diuertere, huius non eſt loci, neque ſuſceptæ diſputationis. Quæ verò naturalia ſunt, nemo non exiſtimat fieri à virtute formatrice, quæ patris ſemini ineſt, nā ſemen vti eſt poteſtate, ut fiat tale, quale eſt id, ex quo eſt deciſum, ita quoque habet vim efficiendi id, quod huius eſt ſimile, idque perpetuō facit, niſi ab aliquo impediatur, vt Ariſtoteles docet *in lib. 4. de gen. animal.* cauſſas exquirens natorum ſimilitudinis. Reliqua ſtygmata, quæ nonnaturalia nominantur, non ſine imaginatricis functione excitari & præſtantiſſimorum virorum, conſenſus declarat, & experientia confirmat, nam in cap. 30. Geneſeos legitur Iacobum, vt oues acquireret coloris diuerſi, virgas variis coloribus diſtinctas ouibus obieciſſe, quæ in congreſſu diuerſos colores intuentes,

Stygmatū diuiſio.

Stygmata naturalia.

Hipocrat.

Ariſtotel.

Stygmata nonnatur.

Stygmata præter naturam.

Stygmatū præter naturā cauſſa.

Stygmatū naturaliū cauſſa.

Stygmatū nonnaturalium cauſſa.

Digitized by Google

quod patitur, ſimilem ſui formam tribuat. Hæc forma, quæ in animali eſt principium agendi, eſt eius anima ſenſualis, per quam eſt illud ipſum, quod eſt. Hæc cum multis, uarijſque potentijs ſit diſtincta, ſumum locum tenet, vis imaginandi, & per hanc animalia maximè agunt, multaque faciunt *ſub exitum lib. 2. de anima.* Cum verò vis imaginandi fiat id, quod cadit in ipſius cognitionem, efficitur, vt animal in actu imaginandi poſitum eſt quodam modo id, quod imaginatione comprehenditur, atque magis & minus, pro vt vis imaginatrix in eius comprehenſione fuerit magis, minuſue defixa: Itaque ſi in actu venereo contingat, vt pater imaginationem in aliquod habeat intentam, is aliquo pacto in hoc mutatum agit quodammodo, vt eſt hoc ipſum, & ſemen cum agat illius virtute, ſic agit, ut eius efficientia generetur quippiam, quod ſit ſimile animali, ex quo defluxit, cæterum quoniã animal non eſt re vera, ſed imitatione id, quod eſt imaginatione conceptum, hinc fit, vt actione ſeminis hoc totum in fœtu non exprimatur, ſed quædam eius pars, aut qualitas. Porrò quoniam rarò contingit patrem venere utentem habere imaginationem in aliquo vehementer defixam, efficitur, vt ſtygmata, & notæ, quæ cernuntur in fœtibus, raro ex patre oriantur. Sin autem in matre cauſſa ſtygmatis ſit poſita, quod vt plurimum euenit, de ea haud diſſimiliter erit dicendum, nam quemadmodum patris ſemen eſt aptum, & natum facere tale quid, quale eſt id, à quo eſt deciſum, ita ſanguis, ex quo fœtus procreatur, eſt aptè natus fieri id, quod eſt matri ſimile: Semine itaque agente ſanguis cõuertitur in id, in quod conuerti eſt aptè natus. Et quamuis ſeminis poteſtas ſuam perpetuo operam ponat, vt generet id, quod ſit ſimile illius, cuius eſt ſemen, attamen ſi incidat in ſanguinem, qui iſtud fieri ſit parum aptus, cuiuſque vis plus poſſit, quam virtus ipſius, id facit, quod ex ſanguine fieri eſt aptè natum. Si igitur contingat, quod non rarenter contingit, vt mater in coitu imaginatrice in aliquo vehementer hæreat, ea in hoc quodammodo conuerſa ex ſe fundit ſanguinem aptum, ex quo quid ſimile efficiatur, & id efficiatur, niſi eius habilitas à ſeminis virtute vincatur. Quapropter vt ſtygma imprimatur fœtui, oportet matris imaginationem eſſe vehemẽtem, nam quò magis, minuſue eſt intenta, eo magis minuſue mater eſt id, quod imaginatione concipitur, & prout mater magis minuſue eſt hoc, ita magis minuſue illius ſanguis eſt aptus, ex quo tale quid generetur. Cæterum quoniã mater non verè, ſed imitatione eſt id, quod cadit in imaginationem, conficitur, vt eius ſanguis non ſit aptus, vt plenè, ac integrè fiat illud, ſed vt ſolum ſecundum aliquam ſui partẽ aut in forma, aut in qualitate illud imitetur, ex qua parte oritur ea pars fœtus, in qua cernitur nota, & Stygmate eſt obſignata. Et quoniam

Animalia per uim imaginandi maximè agunt.

Digitized by Google

niam fieri poteſt, vt quandoque ſeminis, & ſanguinis virtutes conueniant, ſemenque habeat vim efficiendi illud, in quod ſanguis conuerti eſt aptè natus; & vt aliquando diſcordent, ac pugnent inter ſe, hinc fit, vt interdum ſanguine, & ſemine conuenientibus, explicata ſimilitudo appareat, & interdum his diſſentientibus adumbrata, & magis ac minus, pro vt maior, minorue diſcordia fuerit. At vero ſi ſtygmata in fætu naſcantur tempore grauiditatis, ſola mater eſt ponenda cauſſa horum generationis, quæ ita ſe habet: Mater vtero gerens ſi capiatur ſummo alicuius rei deſiderio, quodammodo conuertitur, in hanc rem ab ipſa expetitam, quod deſiderium nunquam fit diſiunctum ab imaginatione rei, cuius eſt deſiderium, & amans in id, quod amatur, aliquo modo conuertatur. Conuerſa generat ſanguinem aptè idoneum, ex quo fiat illud, in quod iam eſt conuerſa; hoc ſanguine cum fætus nutriatur, huius pars ea, quæ cæteris eſt accommodatior, quæ patiatur, dum eo nutritur, alteratur, & aliquo pacto tranſmutatur in id, quod ex ſanguine fieri eſt aptè accommodatum: Id autem non eſt datum alicui partium mulieris vtero gerentis, quãquam hæ eodem ſanguine alantur, quoniam hæ cum ſint integrè ea ipſa, quæ ſunt, conſtantemque habeant temperationem, non facilè poſſunt mutari à ſanguine, quo nutriuntur, ſic vt ſiat id quod ex ſanguine fieri eſt aptum, & natum. Ex his conſtat, licet fæminæ imaginatrix plurimum valeat ad fætum notis diſtinguendum, hinc tamẽ non eſſe concludendum eam in generatione aliquo pacto munus obire cauſſæ effectricis. Sed & ex his aliqua lux poteſt afferri iis, quæ *in lib. 4. de generat. animal. cap. 3*. Satis obſcure tradita ſunt de cauſſis, ob quas nati vel parentibus, vel aliis ſint aut ſimiles, aut diſſimiles, in quibus vis imaginandi iure fuit neglecta, quod in eis cauſſæ aperiantur naturalis ſimilitudinis, ad quam nihil facit vis imaginatrix: huius autem habita eſt ratio in ſect. 10. problem. 12. quoniam in ea ratio eſt poſita ſimilitudinis nonnaturalis, quæ hoc in loco ad explicãdum eſt propoſita. Sed de obſcuriſſima ſtygmatum, quibus in vtero fætus ſignatur, origine hactenus ſit diſputatum.

Stygmatũ tẽpore grauiditatis ĩpreſſorum cauſſa.

Deſideriũ nunquam diſiũctum ab imaginatione illius, cuius deſideriũ eſt.

Partus octimeſtris cur non ſit vitalis, confutata Aſtrologorum, & Pythagoreorum opinione ex Hippocrate, & Ariſtotele declaratur. Cap. XXVI.

PRoxima eſt octimeſtris partus infelicitas, quam non referẽdam ad vim Saturni maleficam, cum illud perſuadet, quod in ſtellis, & in Saturno nullæ qualitates ſunt ingenitæ, nullæque virtutes, quibus vita natorum oppugnetur; idque conſtet ex diſputatione de abditis ſtellarum virtutibus, tum etiam id declarat, quoniam cum Satur-

partus octimeſtris infelicitas ad Saturnũ non eſt referẽda.

Saturnus, non ſecus ac reliquæ ſtellæ, agat more naturæ, par eſt, vt vim ſuam maleficam perpetuo exerceat. Quapropter nulla eſt ratio, cur inſtante octauo menſe hanc agendo aperiat, & menſibus antecedentibus, & conſequentibus nihil agendo eandem operiat. Dicere natura comparatum eſſe, vt planetis datum ſit ius certis, ſtatutiſque temporibus fætui imperandi, eſt figmento ſimile, cum huius nulla poſſit ratio afferri. Neque id rectè tribuitur naturæ, quoniam quæ ſunt à natura, ea ſimpliciter, vnoque ſe habent modo & ſi contingat vt aliter ſe habeant, huius verietatis aliqua eſt ratio. Quapropter ſi à natura impertitum eſt planetis fętui pręeſſe, continuum erit horum dominatum, & ſi interrumpatur, interruptionis aliqua erit ratio. Atqui huius partus infelicitatem non adiuuare Aſtrologorum ineptias perſpicuum erit, ſi illius cauſſa cum Hippocrate, & Ariſtotele expoſuerimus; verum ad hanc antequam aggrediamur, audiendi sūt Pythagorici, à quibus hæc quæſtio fuit tractata. Hi putarunt duos partus eſſe, vnum minorem, qui ſeptimo menſe poſt conceptionem ab vtero exit, alterum maiorem, qui menſe decimo editur; huiuſq; cauſſam in vim numeri ſenarij, numerique ſeptenarij hoc modo contulerunt. Quod conceptum eſt ex prioris, minoriſque partus ſemine, illud non antea eſt formatum, quam quintum & trigeſimum diem attigerit, quippe quod primis ſex diebus eſt humor lacteus, octo proximis ſanguineus, nouem ſequentibus caro, & duodecim, qui deinceps ſunt, corpus integrum, qui dies coniuncti ſunt quinque & triginta: Cum vero numerus ſenarius ſit fundamentum gignendi, quoniam perfectus eſt, ſanè vt illud primum conceptionis lacteum fundamentum ſex diebus, numeroque ſenario abſoluitur, ita hoc formati hominis initium veluti alterum matureſcendi fundamentum eodem numero expletur: at vero quoniam quinque & triginta dies ſexies ducti ad diem decimum & ducenteſimum perueniunt, qui eſt ſeptimi menſis conficitur, vt quod conceptum eſt, iam maturū hoc menſe pariatur, in lucemque edatur. Partus autem poſterior, qui maior eſt, maiore numero continetur, ſeptenario ſcilicet: Itaque vt alterius partus origo in ſex diebus eſt, poſt quos ſemen fit ſanguis, ita huius in ſeptem, & vt ibi quinque & triginta diebus infans formatur, ita hic formatio exiſtit diebus ferè quadraginta: Quare in Græcia dies quadrageſimi olim erant inſignes, nam prægnans ante diem quadrageſimam non procedebat in fanum: quinetiam poſt partum quadraginta diebus pleræque fętæ grauiores ſunt, nec ſanguinem interdum continent, & paruuli fermè per hos ferè morbidi ſunt ſine riſu, nec ſine periculo: quam ob cauſſam cum is dies præterijt, diē feſtum ſolebant agitare, quod tempus appellabant τεσσαρακοστόν. Ij igitur dies quadraginta per ſeptem illos initiales multiplicati fiunt ducenti

Pythagoreorū opinio cur partus octimeſtris non ſit vitalis.

partus duo minor, & maior.

Numerus ſenarius fundamentum gignēdi.

Dies quadrageſimi in Græcia olim inſignes.

Digitized by Google

ducenti & octoginta, id eſt hebdomades quadraginta. Sed quoniam vltimæ illius hebdomadis primo die editur partus, ſex dies decedũt, & ducenti ſeptuaginta quatuor obſeruãtur, qui dierum numerus incidit in decimum menſem. Hæc eſt Phythagorica opinio de numero dierum ad partus pertinentium à Varrone *in lib. de origine humana*, & à Cẽſorino *in lib. de die natali* explicata, ex qua poteſt intelligi, cum duo ſint genera ſeminum, è quorum altero fit partus ſeptimeſtris, & ex altero partus decimeſtris, partum octimeſtrem non ex priore, ſed ex poſteriore naſci, quapropter quoniam quod ex hoc ſemine conceptum eſt, id non antea maturum eſt, quam decimus menſis acceſſerit, tanquam immaturum non eſſe vitalem. Ex hac opinione Pythagorica effluxit opinio Fracaſtorij. Hic *in lib. de ſympath. & antipath. cap.* 11. ſcribit quemadmodum ex tritici genere aliud eſt, quod tres menſes ponit in matureſcendo, & aliud, quod nouem, eodem modo ex hominum ſeminibus aliud ſeptimo menſe partũ edere, & aliud nono, atque partum octauo menſe editum, qui non poteſt ex eo naſci ſemine, quod ſeptimo menſe matureſcit, & ex altero exiſtere; qua de re quod immaturus ſit editus ante nonum menſem, non dici in vita morari. Hæ opiniones ſunt improbabiles, nam quod eſt Pythagoricæ aſſertionis fundamentum, videlicet numeros vi agẽdi prædi tos eſſe, id iampridem electum eſt è ſchola philoſophorum, in qua veluti axioma receptum eſt quantitatem non eſſe principium, rationemque agendi. Et cum Ariſtoteles *in lib. 7. de hiſt. animal. cap* 4. affirmat homines, & ſeptimo menſe, & octauo, & nono in lucem edi, & quod plurimum decimo, nonnullos etiam vndecimum attingere, quis non exiſtimet, ſi tempus pariendi eam multiplex homini datum eſt, humani ſeminis genera plura eſſe duobus? Quod ſi ita eſt, quid prohibet aliquod ſeminis genus reperiri, quod menſe octauo matureſcat, & preſertim cum quibuſdam in locis octimeſtres ſint vitales, vt in Hiſpania teſte Auicenna, & in Aegypto authore Ariſtotele? Et ſi humana ſemina duobus ſolis generibus cõtinentur, partus mehercule decimo menſe, & vndecimo editi ex eo ſeminis genere exiſtent, cuius maturitas in nonum menſem profertur, quid igitur vetat octimeſtres ex eo fieri ſemine, quod ſeptem mẽſibus matureſcit, nec minus vitales eſſe, quam decimeſtres, & vndecimeſtres? Quid Hipocrates de propoſita quæſtione ſenſerit, ex lib. de ſeptimeſtris, & octimeſtris partus perſpici poteſt, quibus in locis hæc ita explicantur. Septimo menſe fœtus in vtero incipit conuerti ad exitum, qui ſi vires habuerit ualidas, nõn ſolum conuertitur, verum etiam vno impetu in lucem promitur: ſin contra infirmas, intus continetur, morboque laborat contracto ex defatigatione, quæ accidit propter conuerſionem; tandiuque laborat, donec quadraginta

Seminum duo genera.

Fracaſtorii opinio.

Confutatio.

Quãtitas non eſt principium, et ratio agendi.

Pariendi tẽpus multiplex homini datum.

Partus octimeſtres quibuſdã in locis vitales.

Hippocratis opinio.

ginta

Digitized by Google

ginta dies præterierint, quibus totus menſis octauus continetur: Quapropter ſi hoc temporis ſpacio patiatur, is priſtinæ ſanitati nõdum reſtitutus nouo partus labore ſic afficitur, vt poſt paulò pereat, quod ſi toto hoc quadragenario quieuerit, ſanatur, vireſque recuperat, ſicut menſe nono poſſit laborem exitus perferre, atque eo firmius, quo abeſt longius ab inſalubri quadragenario. Hæc eſt Hippocratis opinio, in qua explicanda Valleſius *in lib. 2. controu. cap.* 10. obſeruat prægnationem eſſe in morborum numero, & quemadmodum morborum alii per quaterniones, alii per ſeptimanas, alii per decimos, vigeſimoſque dies iudicantur, (nam quo longior fuerit morbus, eò per longiora interualla ſuas mutationes accipit) ita in prægnatione per quadragenarios fieri mutationes, idq; indę cognoſci, quod primis quadraginta diebus plurimæ fiant abortiones, quibus elapſis fætus raro abortiuntur. Adiungit (quod Galenus tradit *in lib. 1. de diebus decretorÿs*) ſeptimo maximã eſſe in iudicando vim, quinto non exiguam, ſexto nullam, aut infeliciſſimam; Ex his colligit in octauo menſe nihil poſſe feliciter contingere, quod recta ſupputatione facta ſextus quadragenarius totum hunc menſem comprehendat. quemadmodum à quinto quadragenario ſeptimus menſis continetur, & a ſeptimo pars noni parſque decimi menſis. Quã uis opinio Hippocratis tam probabilis ſit quam quæ maxime, quæ tamen in ea de vi ſexti quadragenar ÿ inſeruntur, ſunt contemnenda, quoniam ſi tanta eſſet hæc vis huius quadragenarii, quanta eſſe dicitur, nulli ubi octimeſtres eſſent vitales, quorum multos in Italia viuere teſtis eſt Plinius *in lib. 7. hiſt. nat. cap.* 5. non paucos in Hiſpania ſcripſit Auicēnas, & plurimos in Aegypto tradidit Ariſtoteles: cum quibus conſentit Diocles apud Cenſorinum *in lib. de die natali.* ac præterea M. Varro *in lib. 14. rerum diuinarum*, apud A. Gellium *in lib. 3. Noct. Att. cap.* 16. Quod ſi quis fidem Pythagoræ voluerit habere, tantum aberit, vt numerum ſenarium putet naturæ operibus infernum, vt contra accommodatum, & fundamentum gignendi ſentiat. Ariſtoteles *in lib. 7. de hiſt. animal. cap.* 4. cur partus octimeſtris non ſit vitalis, hanc cauſſam affert. Mulieres octauo menſe quibuſdam vteri morbis ſunt obnoxiæ; quapropter ſi fætus hoc menſe moliatur exitũ, duas ſentit offenſiones, alteram ex matris, vterique morbis, alteram ex proprio exeundi motu, in quo dum calcitrat, mēbranaſque diſrumpit, non exiguam facit virium iacturam. Itaque his incommodis affectus in primo vitæ limine occidit, niſi alicubi aut ob matris robur, temperationem ſalubrem, bonumque corporis habitum, aut ob regionis fertilitatem contingat ipſum eſſe vitale? Verba Ariſtotelis ſunt hæc: Sed cum cætera animalia omnia ſingulari, ac ſimplici modo partum ſuum perficiant, (vnum enim pariendi

Valleſii obſeruatio.

Prægnatio morbus.

Caſtigatio.

Plinius. *Auicenas.* *Ariſtotel.* *Diocles.* *Pythagoras.*

Ariſtotelis opinio.

Mulieres octauo grauitatis menſe vteri morbo laborant.

di tempus ſtatutum eſt omnibus) homini vni datum eſt multiplex, nam & ſeptimo mẽſe, & octauo, & nono parere poteſt, & quod plurimum decimo, nonnullæ etiam vndecimum tangunt: fœtus, qui maturius, quam ſeptimo menſe prodeat, nullo pacto vitalis eſt, qui ſeptimo, vitalis quidem hic primus erit, ſed magna ex parte infirmior; quomobrem cunabulis ex lana eum obuoluunt, & faſcijs alligant. Meatus etiam nonnulli infiſſi aut narium, aut aurium ſæpenumero, ſed accreſcenti articulantur infanti, & demum ſuam formam recipiunt, & plerique de his quoque ſeptimo natis viuere, & adoleſcere poſſunt. Qui autem menſe octauo naſcuntur, viuere, & adoleſcere poſſunt in Aegypto, & quibuſdam alijs in locis, ubi mulieres sũt fertiliores, multosque ſimul facile & ferunt, & pariunt, etiam ſi mõſtroſi ſint. Sed in locis Græciæ multi intereunt, nec niſi perpauci ſeruantur, vnde fit, vt ſi quis ſeruetur, non octauo menſe natus exſtimetur, ſed mulierem ſui conceptus initium latuiſſe. Infeſtantur maximè mulieres menſe quarto, octauoque, & ſi vel quarto vel octauo fœtus perierit, ipſæ quoque magna ex parte intereunt. Itaque fit, ne ſolũ octauo mẽſe nati nõ viuant, ſed etiã ipſis enormis periculũ, quę pariunt, ſubeant. Hæc Ariſtoteles, in quibus non prorſus ab Hippocrate diſſentit in afferenda cauſſa, cur natus octauo menſe non viuat, quamquam in eo, quod velit nonnullas mulieres vndecimo menſe parere, diſſentiens videatur ab eo *in lib. de natura pueri* ſcribente mulieres non vltra decem menſes vterum gerere, eaſque falli, quæ affirmant ſe menſe vndecimo peperiſſe, vel quod vteri ſępe ſpiritum in ſe ipſis accipiant, quibus intumeſcentibus videntur ſibi mulieres concepiſſe, uel quod menſtruorum ſuppreſſio anticipet conceptionem: Cur verò vltra decimum menſem nequeat fœtus in vtero gerituor, duas cauſſas eſſe, vnam, quia alimentum, quod a matre tribuitur, vbi decem menſes præterierint, non vlterius ſatis eſt ad alendum fœtũ, qui nimium auctus, & iam plenus, atque maturus copioſiore indiget alimento; alteram, quod hoc tempore fœtus ita creuerit, vt commodam in vtero ſedem non habeat: vnde fit, vt calcitrans, ac membranas diſrumpens exitum ſibi aperiat, atque hoc modo cibi inopia, & loci anguſtia coactus ex vtero in hunc aerem egrediatur. Verũ hic liber de natura pueri Polybi eſt, non Hippocratis, qui in libris de ſeptimeſtri, & de octimeſtri partu perſpicue agnoſcit partus vndecimeſtres. Neque hi ſunt inopinabiles, nã quod citius, aut tardius edatur fœtus, cauſſa eſt in primis qualitatibus ſanguinis, ſeminis & vteri temperatio, qua de re cum hæc ſit varia, neque in omnibus ſimilis, nihil prohibet, quin ſanguis, ſemen, & vterus illius ſint temperationis, qua fœtus menſe vndecimo matureſcat atque exoriatur. id quod contigiſſe Plinius, & A. Gellius teſtantur, quorum ille *in lib. 2. hiſt. nat.*

Fœtus, cur ultra decimum menſem utero non geratur.

Fœtus cur citius, aut tardius edatur. Plinius.

nat. cap. 5. ſcribit veituiam Romanam C. Herditii, ac poſtea Pomponii, atque Orfiti clariſſimorum ciuium coniungem ex his quatuor partus enixam Sempronium ſeptimo menſe genuiſſe, Suillium Ruſum vndecimo, Corbulonem ſeptimo, poſtea Cæſoniam Caij Principis coniungem octauo. Hic verò *in lib. 3. Noct. Att. cap. 16.* tradit Romæ fœminam bonis, atque honeſtis moribus, non ambigua pudicitia vndecimo menſe poſt mariti mortem peperiſſe, factumque eſſe negotium propter rationem temporis, quaſi marito mortuo poſtea concepiſſet, quoniam Decemuiri in decimo menſe gigni hominem, non in vndecimo ſcripſiſſent, ſed Hadrianum Imperatorem exquiſitis veterum philoſophorum, & medicorum ſententijs decreuiſſe in vndecimo quoque menſe partum edi poſſe: Adiungit id quoque fuiſſe probatum M. Varroni *in lib. 14. rerum diuinarum*, & in ſatyra, *quæ inſcribitur teſtamentum*, in qua hæc habentur: Si quis mihi Filius vnus, pluresue in decem menſibus gignuntur, hi ſi erunt aſini ad lyram, exhæredes ſunto: Quod ſi quis vndecimo ſecundum Ariſtotelem natus eſto, Accio idem, quod Titio, ius eſto apud me. Sed nec etiam ſummus finis hominem pariendi eſt menſis vndecimus, ſi fides Plinio, & Auicenæ non abrogetur, nam hic *in lib. 3. Fen. 21.* tradidit mulierum quandam decimoquarto menſe peperiſſe, ille in loco memorato ſcriptum reliquit à Maſurio memoriæ mandatum fuiſſe Lucium Papyrium prætorem ſecundo hærede lege agente bonorum poſſeſſionem contra eum dediſſe, cum mater partum ſe tredecim menſibus tuliſſe diceret, quoniam nullum certum tempus pariendi ſtatutum ei videretur. Ac ſane ocyus, & ſerius poſſe hominẽ naſci non eſt, vt quiſpiam ambigat, nam & quinto menſe vitales in Hiſpania editos fuiſſe ſcribit Ferdinandus Mena *in com. lib. Hippocratis de partu ſeptimeſtri.*

A. Gelius.

Pariendi tempus incertum.

Ferdinandus Mena

Annus climatericus cur non ſine aliquo vitæ incommodo tranſmittatur. Cap. XXVII.

DEinceps de anno climaterico erit diſputatio, ex qua patebit, nũquid hic annus Aſtrologis opituletur. Annus ille vocatur climatericus, qui non ſine vel aliquo corporis incommodo, vel aliqua animi ægritudine tranſmittitur, nam Varrone authore apud A. Gellium *in lib. 3. Noct. Att. cap. 10.* climateras Chaldæi appellant pericula vitæ, fortunarumque hominum. Multi anni vero habiti ſunt climaterici, horumque alii hebdomatici nominantur, qui à ſeptimo numero colliguntur; nam quemadmodum in morbis dies ſeptimi ſuſpecti ſunt, & decretorij vocantur, ita per omnem vitã ſeptimus quique annus, vt inquit Cenſorinus *in lib. de die natali.* periculoſus ac

Annus climatericus qui.

Anni climaterici multi.

veluti decretorius eſt,& alii enneatici nuncupantur, quia à nonario numero computantur. Hinc nonnulli arbitrantur annos climatericos hoc nomen inueniſſe,quia ſunt veluti gradarij,ſiue ſcanſiles,quippe qui à ſeptimo,aut à nono incipientes quaſi per gradus quoſdam agãt hominis vitam:quod enim Latinis,eſt ſcala, ſiue gradus, id Græcis eſt κλίμαξ. Cum vero climaterici anni ſint multi, atque ex his alij alijs ſint grauiores,& periculoſiores,qui plus difficultatis,& periculi polliceatur,controuerſia fuit inter Chaldæos. Nonnulli voluerũt maxime obſeruandos eſſe annos,quos ternæ hebdomades conficiũt, quique ſunt vigeſimus primus,quadrageſimus ſecũdus, ſexageſimus tertius,& octuageſimus quartus,in quo Straſeas Peripateticus terminum vitæ defixit. Alij habentes perſuaſum numeros quadratos vi & poteſtate maxima pollere hos cæteris ante poſuerunt, quorum alii quadrageſimum nonum, quem complent anni ſepties ſepteni, eſſe omnium difficillimum prodiderunt, & alii octuageſimum primum ex nouenario in ſeipſum ducto emergentem. Fuerunt etiam, qui vtrumque numerum receperunt ſtatuentes priorem ijs, qui noctu in lucem editi ſunt,& poſteriorem ijs,qui diu,infeſtum eſſe,ac periculoſum Plerique cum numerum ſeptenarium corpori,& nouenarium animo adſcriberent,quadrageſimum nonum annum corpori,& octuageſimum animo pericula intendere exiſtimarunt, atque his periculoſiorem eſſe ſexageſimum tertium,quod ex his quodam modo mixtus,quippe quem hebdomades nouem, vel ſeptem enneades conficiunt,ad animum,& ad corpus pertineat, nec vnquam venire ſoleat aut ſine corporis clade, aut ſine offenſione aliqua vel morbi grauioris,vel animi ægritudinis. Quapropter Iulio Firmico *in lib. 4. matheſeos* teſtante a Græcis quaſi effractor, & ab Aegyptijs Andraclas fuit dictus, quod omnem vitæ ſubſtantiam frangat, & comminuat. Horum opinioni cum Auguſtus fidem ſuam adiunxiſſet,vehementer ſibi lætandum eſſe putauit,quod hunc annum ſine vllo incommodo euaſiſset, idque in epiſtola ad Caium nepotem fuit teſtificatus,cuius epiſtolæ exemplum habetur apud A. Gellium *in lib. 15. Noct. Att. cap. 7.* & eſt hoc: Aue mi Cai meus ocellus iucundiſſimus, quem ſemper medius fidius deſidero, cum a me abes; ſed præcipue diebus talibus,qualis eſt hodiernus,oculi mei requirũt
„ meum Caium,quem (vbicumque hoc die fuiſti) ſpero lætum,& be-
„ neualentem celebraſse quartum & ſexageſimum natalem meum:
„ nam, vt vides, κλιμακτῆρα communem ſeniorum omnium tertium
„ & ſexageſimum annum euaſimus. Deos autem oro, vt mihi quantum
„ cumque ſupereſt temporis, id ſaluis nobis traducere liceat, in ſtatu reipublicæ feliciſſimo probè agentibus vobis,& ſuccedentibus. Hæc opinio Auguſti teſtimonio confirmata multorum animos inuaſit,

Annus climatericus cur hoc nomen inuenit.

Annus climatericus cæteris grauior qui.

Straſeas

Annus quadrageſimus nonus corporis, & octuageſimus primus animo grauis.

Annus ſexageſimus tertius omnium grauiſſimus.

Iulius Firmicus.

Auguſtus.

Aſtrolo-

Aſtrologiſque dedit occaſionem, vt ex ipſa arriperent argumentũ ad perſuadendum hominis vitam ex ſtellis pẽdere. Hi cum ex huius opinionis diſſeminatoribus intellexiſſent annum tertium, & ſexageſimum cæteris eſſe difficiliorem, quod ſeptenarium, nouenariũq; numeros contineat, huius cauſſam ad Saturnum, & ad Martem retulerunt, quorum illum ſeptenario numero, hunc nouennario præeſſe dixerunt. Enim vero ſi ſtellæ erraticæ dinumerentur ſic, ut à Luna capiatur initium, & ex hac ad Saturnum fiat progreſſio, ex quo deinde ad illam fiat regreſſio. Saturnus, qui ex maximis, quæ affert incommodis fortunæ vehementer aduerſæ nomen clationem reportauit, ſeptenario, & Mars, cui fortunæ minus aduerſæ nomen eſt, nouenario numero comprehendetur, verum enim vero in anno tertio ſupra ſexageſimum ſeptenatius, & nouenarius in vnũ quaſi confluũt nouies enim ſeptem, & ſepties nouem ſexaginta tres conficiunt; hic igitur annus vitæ periculis erit magnopere inſignis, & ad vitam ſuccidendam maxime potens. Hi ſunt indigni, quibus præbeantur aures, nam certum eſt ſæpenumero annum tertium & ſexageſimum abſque vllo vitæ periculo fuiſſe tranſmiſſum, & eum, qui proximè ſequitur, multis mortem attuliſſe, atque huius præter alios teſtis eſt Petrarcha *in epiſt. 8. lib. 8. ad Boccatium.* Deinde ecquid eſt, cur in diſtributione menſium, quibus in vtero fætus detinetur, initium capiatur à Saturno, & in annis diſtribuendis, quo idem extra vterum continetur, primæ partes tribuantur Lunæ? Præterea qui conuenit cælum, quo nullum corpus eſſe beatius veteres omnes ſunt arbitrati, in ſe coercere ſtellas maleficas? Sane in his partibus huius caducæ vniuerſitatis multa inconcinna, & inter ſe diſſonãtia conſpiciuntur, verum in his quicquid eſt diſcordiæ, & inconcinnitatis, id cælis, & ſideribus non eſt tribuendum, ſed agentium naturalium contrarietati, & materiæ mutabilitati, quibus efficitur, vt quæ generantur, celeſti effectioni ad numerum, & concordiam ſemper mouenti nequeãt reſpondere. Nec præterea eſt ſine crimine ſtellas erraticas numeris præficere, quod hi ex hominum mẽte pẽdeant, ridiculumque ſit ijs, quæ ſunt humanæ mentis opera, ſtellas præeſſe. Hæc rurſus vim noxiam, & maleficam numero ſeptenario tribuere conſentit cum ijs, quæ à viris clariſſimis de eo tradita ſunt. Etenim hunc numerum Baſilius *in hexam. hom.* 11. ſcribit apud Hebræos fuiſſe honore venerabilem, quorum nonnulli eum vocauerunt numerum perfectionis, & alij numerum quietis, quod ſeptima die omnia fuerint abſoluta, ſummuſque mundi opifex quieuerit fine impoſito operi ſuo admirabili. Gregorius Nazianzenus *in orat. 2. de paſchate* inquit omnium maximè myſticum eſſe; & huic mundo conſociatum, & ne plura commemorem in huius numeri laudibus poſita, Pythagorici Philone

Aſtrologorum opinio cur annus tertius & ſexageſimus ſit omnium difficillimus.

Cõfutatio

Petrarch.

Numerus mentis opus.

Baſilius

Numeri ſeptenarii laus, & vis.

Gregorius Naziãz.

Pythag.

Numerus ſeptenarius Dei imago

Philone *in lib. de mundi opificio* atteſtāte eum ſic in pretio habuerūt, vt eſſe Dei imaginem voluerint ea ratione adducti, quod vti Deus eſt immutabilis, nec gignit quippiam, nec à quopiam gignitur, ita hic numerus præ omnibus numeris denarium non excedentibus neque ex duplicatione alterius numeri naſcatur, nec pariat quemquam poſitum infra denarium. Poſtremò ne longus videar in re non magnopere obſcura, non eſt abſque turpitudine id, cuius cauſſa non admodum occulta eſt, ad aliquod arcanum, & ignotum reuocare. Etenim cauſſa, cur tertius & ſexageſimus annus plerumque ſit lethalis, in eo eſt poſita, quod calor innatus, qui continenter aliquid accipit detrimenti, ætate ingraueſcente, ita extenuetur, vt alimēta nequeat probè conficere, quod vbi accidit, multa excrementa cumulantur, quibus cumulatis morbos fieri eſt neceſſe. quoniam autem hic excrementorum cumulus vt plurimum anno tertio ſupra ſexageſimū eo peruenit, vt morbum faciat, hinc fit, vt hic annus ſit periculoſus, & non rarò lethalis, quod ſæpè contingat in hac ætate vires naturæ eſſe imbecillas, & non valentes morbum ſuperare. Quod plerique huius rei cauſſam ad abditas numerorum vires retulerint, id caret omni probabilitate, quod ne ignoretis, hæc opinio de arcanis numerorum virtutibus eſt diſcutienda, quæ quod à viris clariſſimis fuerit conſiderata, & non paucos habuerit amatores, non eſt indigna, quæ in examen vocetur.

Annus tertius & ſexageſimus cur plerūque lethalis.

Pythagoreorum opinio de numerorum virtute explicatur, & refutatur, Cap. XXVIII.

Numerorū elementa par, & impar, principiū vnitas.

MAgnam, & incredibilem eſſe numerorum virtutem vetus eſt opinio a Pythagora, & a Pythagoricis amplexata, & diſſeminata. Hi cum in mathematicis plurimum ponerent ſtudii, numeros tanti fecerunt, vt hos eſſe rerum omnium principia cenſuerint, & numerorum principia, ac elementa eſſe rerum aliarum initia: Prima verò numerorum elementa dixērunt eſſe par, & impar, quorū huic naturam finitam dederunt, illi infinitam, principium autē vnitatem. Huius argumento eſſe voluerunt, quod cum numerorum alij ſint pares, & alij impares, vnitas horum omnium eſt procreatrix, quippè numero impari coniuncta efficiat parem, & huic copulata imparem. Hinc vnitas ab eis dicta eſt parimpar, quaſi habens vim paris, & imparis genitricem, uel quaſi in ſe ipſa complectens omnium numerorum ſemina, quod Pythoras ſignificauit, cum numerum finiuit explicationem ſeminalium rationum, quæ continentur in vnitate. Porrò numeros eſſe rerum omnium principia duabus potiſſimum rationibus perſuaſerunt, quarum vna eſt, quia numeri ſua natura

Vnitas parimpar.

Numerus quid.

Numeri rerū omniū principia.

Pythagoreorum argumenta.

tura primi ſunt, quippe qui naturam habent ſimpliciſſimam, & à rebus, quæ in ſenſus cadunt, diſiunguntur, ac diſiuncti intelliguntur; & primum eſſe ſitum eſt in ratione principij. Altera, quoniam in numeris magis, quam in igne, aere, aqua, & terra, cernuntur eorũ, quæ ſunt, & fiunt, ſimilitudines, & affectiones, atque omnia quæcunq; ſunt, ac fiunt, ſua principia imitantur, ſuntque ſuorum principiorum imitationes. Atque hinc factum eſt, vt numerorum nominibus res illas donauerint, in quibus apparebat numeri alicuius affectio, & ſimilitudo, nam Deum appellarunt vnitatem, quia vti hæc eſt prorſus indiuidua, omnium que numerorum principium, ita ille eſt omnino impartibilis, ac hoc, & initium rerum omnium: Materiam dixerunt dualitatem, tum quia veluti hæc eſt illud, quod primũ in numeris ſuſcipit diuiſionem, & est prima radix multitudinis, haud diſſimiliter materia ſua vi eſt capax diuiſionis, atque in ijs, quæ natura generantur, fons, & origo multitudinis, tum etiã quia vt dualitas eſt numerorum mater, quo nomine Zaratas Pythagoræ auditor ſæpè fuit vſus ad eam ſignificandam, ita materia eorum, quæ fiunt a natura, atque hoc nomine a Timæo Locro *in lib. de anima & natura vniuerſi* fuit nuncupata, quem Plato ſequutus eſt *in Timæo.* Trinitatis nomen iuſtitiæ dederunt, nam cum iniuriæ illatio, & perpeſſio per defectum, & exceſſum obueniat, iuſtum eſt inter vtrumque interiectum. Tandem quaternarii, & nouenarii nominibus ſignificarunt, quod magna ſit horum numerorum æqualitas, nam ambo ſunt primi numeri quadrati, quaternarius quidem pariter par, & nouenarius impariter impar; ac præterea octonarij nomen clatione, quoniam vt iuſtitia eſt æqualis pro cuiuſque meritis diſtributio, ciuitatiſque ſolidum fundamentum, ita octonarius ſolidorum primus eſt, primuſque omnium in numeros ſic diuiditur pariter pares, hoc eſt bis quaternos, vt quoque in numeros æque pariter pares diuiſio ipſa ſoluatur, hoc eſt bis binos, & qua æqualitate reſoluitur, eadem quoque conflatur, nam bis bini octonarium conficiunt. Hinc Orpheus ſic ubi diuinam iuſtitiam obteſtari volebat, ſolitus erat per octo numina iurare, quorum nomina ſunt ignis, aqua, terra, cælum, Luna, Sol, Phanes, & nox. Demum ne mulтus ſim, quando id nunc minimè agam, vt omnia afferam, quibus numerorum nomina fuerunt a Pythagoricis impertita, coniugium nomine quinarium, nam quemadmodum coniugium eſt fæminæ, maris que coniunctio, eodem modo numerus hic veluti ex fæmina, & mare conflatur ex binario primo numero pari, & ternario primo numero impari. His igitur, & alias rerum, & numerorum ſimilitudines Pythagorici colligentes ſtatuerunt numeros eſſe rerum principia, cumque non ignorarent omnes cõcentus ad aliquem nu-

merum

Numerorum nomina uariis rebus impoſita.

Deus cur Vnitas.

Materia cur dualitas.

Dualitas mater numerorum

Zaratas

Timæus

Iuſtitia quibus numeris ſignificata.

Orphei iuſiurandũ.

Coniugiũ quinario numero ſignificatũ.

merum referri, nam diapaſon in dupla proportione conſiſtit, diapente in ſeſquialtera, & diateſſaron in ſeſquitertia, horum quoque principia numeros eſse voluerunt, tradideruntque totum vniuerſū ad quendam concentum, numerumque conſtare, & cælos omnes dum in orbem mouentur, concentum ſuauiſſimum ex ſe fundere, cuius nullam habemus comprehenſionem, quia ab ortu illi audiendo ſumus aſſueti. Hi licèt omnes numeros in pretio haberent, attamen denarium cæteris antepoſuerunt, qui incluſam habet in ſe numeri cuiuſque naturam, & ad quem omnes gentes tam barbaræ, quam nō barbaræ numerando vbi peruenerint, ex eo rurſus pedem referunt ad vnitatem. Hunc, vt teſtatur Chalcidius *in com. Timæi*, quadraturam primam vocauerunt, quippe qui ſuam uim habet poſitā in quaternario, ex quo & ſingulis eius partibus eſt conſtitutus, nam ſi ab vnitate, vſque ad quatuor colligendo voluerimus progredi, decem vnitatum ſummam conficiemus: Quapropter & quaternarium quoque multi fecerunt, eoque animam noſtram conſtare voluerunt, idque confirmarunt, quia in anima inſunt mens, ſcientia, opinio, & ſenſus, quorum mens eſt vnitas, ſcientia binarius, opinio ternarius, & ſenſus quaternarius. Mentem dixerunt eſſe vnitatem, vel quia mēs, vt ſcribit Plutarchus *in lib. 1. de placitis phil. cap. 3.* omnia eiuſdem ſpeciei indiuidua vnica motione concipit, vel quoniam mens, vt inquit. Alexander *in lib. 1. poſt nat. com. 32.* ſtabilis eſt, vndique ſimilis, & in anima princeps. Binarium ſcientiæ attribuerunt, quod hæc demonſtratione paretur, quæ conſtat ex præmiſſis, & concluſione. Opinionem ternario ſignificarunt, quia hic eſt indicium multitudinis, & illa eſt multarum rerum, eâdem Aleſſandro teſte in loco proximè recitato, quod in vtramque partem poſſit flecti, cur ſenſum nominauerint quaternarium apud Plutarchum deſideratur, huius verò, ac cæterorum Franciſcus Cataneus Diacetius *in paraphraſi lib. 2. de cælo* hanc rationem reddidit: Duo ſunt prima rerum genera, vnum omnia, quæ ſunt, complectitur, alterum vniuerſa, quæ fiunt. Eorū, quæ ſunt, alia vocantur intelligibilia, quæ ſunt penitus impartibilia compoſitioniſque expertia, & alia ſcibilia, quæ primum ab his degenerant, & diuiſionem, coagmentationemque accipiunt. Eorum verò, quæ fiunt, hæc quidem opinabilia dicuntur, vt animalia, & plantæ, illa autem ſenſibilia, vt horum vmbræ, quæque in ſpeculis, & in aquis apparēt. Intelligibile, quod eſt ſimplex, ac impartibile, vnius ideã participat, ſcibile autem, quod eſt proceſſus intelligibilis, prima dualitate, nam concluſio veluti vnum ab vno pēdet a propoſitionibus, at opinabile, quod veri, falſique particeps perinde ac duo ab vno ex eodem initio exiſtit in trinitatis ideam refertur, & ſenſibile, quod veri, falſique inops non ſecus quam pro natura ſolidi corporis

ſenſum

Concētus, omnes ad aliquē numerum referuntur.

Numeri denarii dignitas.

Anima noſtra quaternario conſtat.

Mens cur vnitas.

Plutarch.

Alexāder.

Sciētia cur binarius.

Opinio cur ternarius.

Senſus cur quaternarius.

Frāciſcus Cataneus Diacetius.

Rerū prima genera duo.

ſenſum afficit, in quaternitatis: Quoniam verò ſimile ſimili ſemper percipitur, mens, quæ eſt rei intelligibilis, erit vnitas, ſcientia, cuius eſt ſcibile, dualitas; opinio, ad quam pertinet opinabile, trinitas, & ſenſus, in quem cadit ſenſibile, quaternitas. Atque hæc eſt ratio huius viri, quæ licèt hauſta ſit ex ijs, quæ *ſub exitum lib. 7. de Repub.* habentur a Platone, cum his tamen non penitus conſentit: Etenim hoc in loco rerum duo ſunt genera, vnum viſibile, ac omnino ſenſibile, alterum intelligibile, atque vtriuſque binæ partes, vna clara, & altera obſcura, quarum clara generis intelligibilis continet ideas, obſcura res à mathematicis cõſideratas, clara generis ſenſibilis res ipſas ſenſibiles ueras, & obſcura harum imagines, quarum aliæ ſunt vmbræ, & aliæ ſpecies inanes in ſpeculis, cæteriſque ſimilibus ſpeculorũ corporibus apparentes. Cum vero cognitio noſtra interior quadripartitò diuidatur, aliaque ſit intellectio, alia cogitatio, alia fides ſiue perſuaſio, & alia imaginatio, prima noſtræ cognitionis ſpecies in ideis verſatur, altera formis mathematicis eſt addicta, tertia res veras ſenſibiles habet propoſitas, & quarta in ſenſibilium rerum imaginibus conſumitur. Sed mitto Platonem, & redeo ad Pythagoricos. Cum hi ſummam dignitatem numero denario tribuerent, corpora, quæ complent hanc vniuerſitatem, hunc numerum cõſtituere putarunt, verum cum nouem in explorato ſolum haberent, quæ ſunt terra, octoque cæli, ac decimum quærerent, terram quandam nomine ἀντίχθονα cogitarunt oculis in terra degentium ignotam, quod motu oppoſito huius terræ, quam incolimus, motui circumuoluatur, noſtriſque veſtigijs ſit oppoſita. Hæc ex ſcholis Pythagoreorum deflu xerunt, contra quæ multis in locis fuit ab Ariſtotele diſputatum, ſed præcipuè in duobus libris poſtremis poſtnatural. in quibus mõſtratur numeros, & mathematica Pythagorica per ſe in rerũ natura non ſubſiſtere, neque fieri poſſe, vt rerum naturalium ſint principia. Hæc autem non eſt, vt oratione perſequamur, tum quia vanus eſt labor, qui in ea refellenda impenditur, quæ hominum cogitatione ficta nõ cohærent in rerum vniuerſitate, nam vt inquit Ariſtoteles *in lib. 2. de cælo 71.* Pythagorei non ex ijs, quæ ſenſu percipiuntur, cauſas, & rationes rerum inueſtigarunt, ſed ea, quæ cadunt in ſenſum, ad ſuas opiniones accommodarunt, tùm etiam quoniam nemo eſt, cui his tẽporibus non ſit probè cognitum corpora naturalia ex numeris non eſſe conflata: Enim vero cum numeri bipartito diſtribuantur, vnumquegenus complectatur eos, quibus vtimur ad numerandum, quoſque numeros numerantes appellamus, & alterum illos, quos numeramus, quoque numeros numeratos vocamus, nõ eſt, vt aliquis ſibi perſuadeat, numeros poſteriores eſſe rerum principia, quoniam hi, cum nihil aliud ſint, quam ipſæ res numeratæ, non minus poſſũt

Rerũ diſtributio ex Platone

Cognitio interior quadripartitò diuiſa.

Pythagoreorum opinio de corporibus uniuerſum cõplentibus.

Ariſtoteles multis in locis contra Pythagoricos diſputauit.

Numeri non ſubſiſtũt in rerũ natura nec sũt rerũ naturaliũ principia.

Numerorũ diſtributio.

Numerus numerãs.

Numerus numeratus.

in ijs, quorum ſunt principia, quam in principiis reponi: Poſteriores autem non eſſe eorum, quæ natura generantur, principia illud oſtendit, quod abſurdum ſit ex non ſubſtantiis exiſtere ſubſtantias: Equidem Pythagorici ſuos numeros pro ſubſtantijs habuerunt, verum hæ ſubſtantiæ ſunt fictitiæ, & nuſquam conſiſtunt, & cum has induxerint omni materia, affectione, & qualitate carentes cogitent ipſi, qua ratione corpora naturalia non ſine materia conſtantia, quorum variæ, ac multiplices ſunt affectiones, ac qualitates, ex his queant cõponi. Nec vero argumentationes, quibus Pythagorei in hanc opinionem fuerunt inducti, huius modi ſunt, vt propoſitum conficiant, nã prior refellitur, quoniam falſum eſt numeros natura, & temporis origine res naturales anteire, ſed has comitãtur, tametſi huius modi ſint, vt animi cogitatione ab eis diſiungantur, & diiuncti mente cõcipiantur, quod cæteris omnibus eſt quoque datum in quibus perſpiciendis, & contemplandis mathematici verſantur. Poſterior eſt lubrica, quod res naturales nequaquam conſtẽt, quia numerorum ſint ſimiles, aut numeros imitentur, nam ſi harum vires, naturaſque intimas voluerimus animo diligenter luſtrare, intelligemus inter has, & numeros magnam eſſe diſſimilitudinem. Sed nihil eſt opus, vt hac in re multum operæ ponamus, quod Pythagoreorum defenſores non inuiti hæc omnia concedant aſſeuerantes horum ſententiam aliter intelligendam eſſe, ac fuerit ab Ariſtotele recitata, quorum explicationes non erit forſitan ſine fructu in medium afferre, atque diſquirere, nunquid hi melius, ac verius, quã Ariſtoteles, tenuerint dogmata Pythagorica.

Pythagoreorũ argumẽta refelluntur.

Defenſio prima opinionis Pythagoricæ de numerorum virtute, eiuſque confutatio. Cap. XXXIX.

EOrum, qui Pythagoricæ doctrinæ patrocinium ſuſceperunt, nõnulli inquiunt Pythagoricos vnius nomine Deum rerum omnium opificem intellexiſſe, qui eſt ſummeque ſimplex, atque ſemper ſui ſimilis, aliorum diſſimiles, paris vero, & imparis nominibus materiam, & formam ſignificaſſe; nam materia, quæ eſt indefinita, ſuaque natura capax diuiſionis, non perperam dicitur par, qui numerus eſt infinitus, in parteſque æquales diuiditur, & forma, quæ definit materiam, huiuſque naturam indefinitam cohibet, ſuaque natura eſt indiuidua, ſcitè vocatur impar, qui numerus eſt finitus, nec vllam accipit in partes æquales diuiſionem. Accedit, quod numeri impares per ſeriem additi numero quadrato ſeruant ipſum quadratum, & æqualiter æqualem, par autem adiectus quadrato mutat formam, facitque alterius ſpeciei numerum. Enim verò ſi vnitati, quæ eſt

Deus vnius nomine ſignificatus.

Materia dicta par.

Forma vocatą impar.

eſt primus quadratus, (ſemel enim vnũ eſt vnum) tria adiecerimus, fit quaternarius, qui eſt numerus quadratus, & rurſus huic ſi addiderimus imparem, qui deinceps eſt, nimirum quinariũ, fit nouenarius, qui ipſe quoque eſt quadratus, cuique adiuncto ſeptenario ſexdenarius emerget numerus quoque quadratus, & huic addito nouenario naſcuntur quinque & viginti numerum quadratũ, & ęqualiter æqualem conſtituentes. At verò ſi vnitati, quæ eſt primus quadratus, duo adiecerimus, fit ternarius, qui non eſt quadratus, & ſi quaternario, qui eſt quadratus, quatuor vel ſex fuerint addita, orietur octonarius, aut denarius, qui ſunt numeri altera parte longiores. Atqui ſeruare eandem formam eſt finis, qui eſt formæ, & non ſeruare eſt infinitatis, quæ tribuitur materiæ. ergo numerus impar, qui eandem formam, & ſpeciem ſeruat perpetuo, habet rationem formæ: & numerus par, qui formam, ſpeciemque mutat, eſt inſtar materiæ. Horum explicationem quiſpiam forſitaꝗ exiſtimabit cõſentire cum ijs, quæ ab Eudoro prodita, habentur apud Simplicium *in lib. 1. phyſ. com. 41.* quæque ſunt Pythagoreos ſuprema ratione vnum eſſe principium omnium dixiſſe, quod eſſe ſummum Deum voluerunt, ſecunda autẽ ratione duo principia, elementaque conſtituiſſe videlicet vnum, & oppoſitam dualitatem, hæcque multis nominibus donaſſe, nam vnũ appellarunt ordinatum, definitum, quod poteſt cognoſci, maſculinum, impar, dexterum, lucem, dualitatem vero, & alterum elementum vni aduerſum inordinatum, indefinitum, quod cognoſci non poteſt, fæmininum, par, ſiniſtrum, tenebras. Ex his liquet Pythagoreos ſuo rerum elementa induxiſſe, nimirum vnum (hoc autem diuerſum eſt ab illo vno, quod prima ſupremaque ratione principium fuit poſitum) & dualitatem: Verum enim vero cum dualitas ſignificet Pythagoricis materiam, exiſtimandum eſt hos vnius nomine intellexiſſe formam, quæ rerum naturalium eſt alterum elementũ, quæque abſque vlla vituperatione poteſt donari vnius, ſiue vnitatis vocabulo, nam cauſa eſt, cur vnumquodque ſit vnum, & indiuiſum; & vnitas authore Ficino *in lib. 6. en. 6. cap. 11. Plotini* fuit a Pythagoricis definita id, quo entium quoduis vnum eſt. His non eſt accedendum, quod viſ, & natura formæ Pythagoricis & veteribus fuit ignota, vt multis in locis teſtatur Ariſtoteles, & confirmãt eorum monumenta, quæ temporis vetuſtate non abſumpta ad nos peruenerũt, in quibus nihil continetur, ex quo poſſit quiſpiam conijcere illos habuiſſe formæ cognitionem. Deinde hi tametſi par, & impar omniũ elementa ſtatuerent, omnia tamen nequaquam exiſtimarunt ex pari, & impari eſſe conflata, quemadmodum omnia, quæcunque natura fiunt, ex forma, & materia conſtant, ſed par eſſe quorundam principium, & impar aliorum, huiuſque fidem facit Eudorus in loco recitato

Eudorus.

Dualitas Pythagoricis materiã ſignificat

Ficinus.

Vnitas quid.

Forma Pythagoricis & veteribus ignota

Par, et impar quo pacto a Pythagoricis poſſit, ſint rerũ omnium principia.

Eudorus.

Qq 2

citato inquiens Pythagoreos voluiſſe duo elementa ab eis excogitata, varijſque nominibus obſignata non eſſe communia rerum principia, quemadmodum eſt vnum, quod poſitum fuit ſuprema ratione principium, ſed alterum videlicet vnum, ſiue impar eſſe bonorũ elementum, & alterum hoc eſt dualitatem, & par malorum. Et ex his conſtat Eudorum de ſententia Pythagoreorum duo elementa inducentem horum explicationi nequaquam ſuffragari. Equidem non diffiteor materiam a Pythagoricis binarii, vel dualitatis nomine ſignificari potuiſſe, (ex quo Georgius Venetus *in probl. com. 5. ſect. 5. probl.* 418. ſcribit binarium à Pythagoricis infauſtum fuiſſe habitũ nec inter numeros collocatum, quippe qui materiam ſignificat, quæ de ſententia Pythagoreorum authore Numenio mala eſt, fonſque malorum omnium, quæque in entibus nõ numeratur, ex quibus colliguntur numeri, cum ſit infra ens omne, veluti Deus eſt ſupra omne ens) quia vti binarius eſt id, quod eſt primum ab vnitate, ita materia eſt primum poſt Deum, qui eſt ſumma vnitas, & ex quo penitus indiuiduo profecta in multas partes diuiditur, quibus varias formas ſuſcipit, & in varia genera, ſpecieſque diuerſas diffunditur, cuius Aegyptii non ignari voluerunt materiæ hieroglyphicum eſſe pyramidem, quæ ab vno puncto indiuiduo, vnoq; ſummo faſtigio incipiẽs paulatim in omnes partes dilatatur, equidem inquam hoc non diffiteor, quod Iamblico *in lib. de ſecta Pythagorica*, alijſque viris clariſſimis probatum video, cæterum mihi non poſſum perſuadere Pythagoricos vnius, aut imparis nomine formam intellexiſſe, quam nunquam ſomniarunt, & penitus ignorarũt, ſed arbitror his nominibus materiam quoque ab his fuiſſe ſignificatam, videlicet eam, ex qua quæcumque bona ſunt, compoſita, & generata eſſe putabãt, id quod ex Eudoro non obſcurè intelligitur, ac præterea ex Plutarcho, qui in ijs, quæ ſcripſit de Homero, tradit Pythagoram duo ſuprema rerum principia, & elementa induxiſſe, vnitatem ſcilicet, atque binarium, quorum hunc malorum, & illam bonorum principium conſtituiſſe.

Gregorius Venetus. *Binarius habitus in fauſtus a Pythagoricis.* *Numen.* *Materia infra ens.* *Deus ſupra ens.* *Materiæ hieroglyphicum.* *Iãblicus.* *Eudorus.* *Plutarch.*

Altera defenſio Pythagoricæ opinionis de numerorum uirtute, & eius confutatio. Cap. XXX.

ALij ſentiunt Pythagoricos in principiis poſuiſſe vnum, numeros, & decem contrariorum coniugationes, quarum ſeries, & nomen clatura hæc eſt apud Ariſtotelem *in lib. 1. poſtnat. cap. 5.*

1 Finitum,	Infinitum.	4 Quies,	Motus.
2 Impar,	Par.	5 Rectum,	Curuum.
3 Vnum,	Multiplex.	6 Lumen,	Tenebræ.

7 Dexte-

7 Dexterũ, Siniſtrum. 9 Bonum, Malum.
8 Mas, Fœmina. 10 Quadratũ, Altera parte longius.

atque vnius nomine Deum intellexiſſe, numerorum vocabulo ideas ex vno, & Deo profluentes, & decem contrariorum cõiugationibus proxima rerum principia, formã videlicet, ac materiam, & uarias, ac multiplices horum conditiones. Pythagoricos numeros eſſe Platonis ideas hæc videntur perſuadere. Primum Ariſtoteles *in lib. 1. poſt nat. cap. 6.* ſcribit cum Pythagorici ea, quę ſunt, numerorum imitatione dicerent eſſe, Platonem mutato nomine idearum participatione omnia eſſe dixiſſe, ergo ſi Plato in ideis numeros Pythagoræ fuit imitatus, hi ſanè fuerint idem, quod ideæ Platonis. Deinde Ariſtoteles dum diſputat aduerſus Pythagoricos, his tribuit, quod numeros voluerint eſſe rerum ſubſtãtias: & verò Platonis ideæ ſunt rerum ſubſtantiæ. Rurſus cum Plato doctrinam Pythagoricam ſic adamauerit, vt tres libros de placitis Pythagoricis à Philolao euulgatos centum minis ſibi emi curauerit, non eſt à ratione alienum, quod Platoni ſunt ideæ, id eſſe Pythagoræ numeros. Poſtremo ſi prodeãt in medium numeri definitiones a Pythagora, & a Pythagoricis traditæ, atque animo hæ diligenter conſiderentur, dubitandum non erit, quin hæ conueniant ideis. Pythagoras in ſacro ſermone numerum finiuit extenſionem ſeminalium rationum in vnitate regnantium. Idem dixit numerum eſſe primum, quod in mente diuina cõſiſtit, a quo, & ex quo omnia componuntur, & permanent ordine quodam indiſſolubili inter ſe diſtributa. Hippaſo finitore apud Simplicium *in lib. 3. phyſ. com. 6.* & apud Syrianum. *in com. lib. 12. poſt nat.* numerus eſt exemplar fabricæ mundanæ, & inſtrumentum Dei mundum fabricantis iudicatorium. Philolaus definiuit numerũ eſſe imperioſam quandam, & ex ſe progenitam ſempiternæ mundanorum perſeuerantiæ continentiam. His definitionibus vis idearũ explicatur, quas Platonici ſtatuunt eſſe eorum, quæ ſecundum naturam conſiſtunt, exemplaria in mente huius mundi opifice, & moderatrice poſita, ex quibus omnia fluunt, ac pendent. Huic menti Pythagoras dedit nomen vnitatis, quia eſt vna, ſtabilis, & vndique ſibi ſimilis, eamque ſtatuit diuerſam ab vno, quod eſt primum principium, de qua diuerſitate Architas, Moderatus, & Nicomachus Pythagorici copioſè diſſeruerunt. Verum vt hæc planius intelligentia comprehendantur, ignorandum non eſt antiquam fuiſſe opinionẽ, cui omnes Pythagorici videntur conſenſiſſe, Deum, quæ ſumma illius eſt Bonitas, ex ſe mittere virtutem, atque hac mẽtem primum, tum animam, poſtremò materiam corpoream illuſtrare, in hiſque effingere varios formarum gradus, qui, quod diuerſis ſubiectis ſunt impreſſi, varia ſibi aſciuerunt nomina: nam hæ formæ in mente po-

Pythagoræ numeri Platonis ideæ.
Primũ argumentũ.
Secundũ.
Tertium.
Quartũ.
Numeri definitiones variæ Pythag.
Hippaſus.
Philolaus.
Idea Plat.
Architas.
Moderat.
Nicomacus.
Opinio vetus de Dei virtute, & gradibus rerũ.

ſitæ

ſitæ vocantur ideæ,& entia intelligibilia, in anima hærentes ratio-
nes,& entia (vt ita loquar) animaria,& corpoream materiam com-
plentes formæ materiatæ, entiaque ſenſibilia. Hos gradus Franci-
ſcus Cataneus Diacetius *in lib. 1. de pulchro cap. 8.* idearum nomine
nuncupauit, primique gradus ideas vocauit intelligibiles, proximi
animarias,& tertij ſenſibiles: & Proclus *in com. in Timæum* numero-
rum gradus nominauit. Cum igitur Pythagoras numerum finit ex-
tenſionem,atque actum ſeminalium rationum in vnitate regnantiū,
ſignificat ideas eſſe rationes in ſe continentes rerum omnium ſemi-
na,ſiue rationes,quibus omnia facta ſunt,quæ per mentem longè la
teque funduntur à ſupremo illius patente,cui nomen eſt vnum, im-
pertitę. Ex difinitione Philolai,& ex altera Pythagoræ intelligitur
ideas ex nullo ente pendentes,& omnibus ſuperiores cunctis domi
nari,ſingula in ordinem redigere,atque vniuerſa amplecti, ſuoque
amplexu prohibere,ne diſſolubilis mundi machina ſuæ naturæ fra-
gilitatem ſentiat. Hippaſi demum diffinitione declaratur ideas eſſe
rerum,quæ continentur in mundo,exemplaria, quæ mens intuēdo,
& imitando hanc vniuerſi machinam fuit fabricata. Mentem enim
Numenius,cæterique Pythagorici ſtatuunt eſſe mundi fabricatricē;
& Deum ipſius parentem ab omni opere vacantem huius machinæ
fabricationem, & adminiſtrationem ei crediſſe. Si igitur nume-
rus a Pythagora, atque a Pythagoricis fuit his definitionibus expli-
catus,atque hæ definitiones ad ideas pertineant, hinc non leue ſumi
tur argumentum ad perſuadendū numeros Pythagoricos eſſe ideas
Platonicas, quod licèt ab huius explicationis authoribus, fuerit ne-
glectum,aut forſitan ignotarum, a nobis tamen non fuit omiſſum,
quod maioris videatur momenti ad id,de quo agitur,confirmandū
quam quæ fuerunt ab eis allata. Sunt nonnulli,qui ex his intelligūt,
cur Platoni in Epinomide præcipua,& diuina inter omnes ſcientias,
contemplatorices fuerit viſa numerorum ſcientia,nam cum numeri
ſint ideæ,numerorum ſcientia maximo in honore, & pretio eſt ha-
benda,quæ in præſtantiſſimis rebus perſpiciendis conſumitur. Pla-
tonem fortaſse imitatus eſt Auenzoar, cum dixit teſte Albumaſare
eum,qui numerorum ſcientiam fuerit adeptus, cognita omnia eſſe
habiturum,& nihil ignoraturum. Hæc explicatio tametſi probabi
litati ſit coniuncta,non multi tamen eſt facienda,quoniam Ariſtote-
les *in lib. 12. poſt nat. 5. & ad initium lib. 13. eiuſdem operis* non obſcu
rè ſignificat Pythagoræ numeros ab ideis eſſe diuerſos, nam ſcribit
de ijs ſubſtantiis,quæ præter ea,quæ accipiuntur ſenſibus, inducun-
tur,tres opiniones extare: nam Platonis amatores has in duas natu-
ras partiri,quarum vna complectitur mathematica,id eſt numeros,
lineas,ac cætera huiuſce generis; altera ideas: alios velle mathema-
tica,

Frāciſcus Cataneus Diacetius

Proclus.

Numeri definitionum explicatio.

Mēs mūdi fabricatrix.

Deus ab omni opere vacat.

Numerorū ſciētia cur Platoni præcipua, & diuina.

Auēzoar.

Pythagoræ numeri diuerſi ab Platonis ideis.

tica,& ideas eſſe vnius,& eiuſdem naturæ,& Pythagoreos ideis reiectis ſola mathematica retinere. Si igitur Pythagorei ideas ſunt aſpernati,& ſi Platonici aliam naturam ideis attribuerunt, & aliam mathematicis, quis non ſentiat numeros Pythagoræ non eſſe Platonis ideas? Huius quinetiam illud poteſt nos admonere, quod Ariſtoteles ſeparatim diſputet contra ideas,& contra numeros, quod non feciſſet, ſi nulla inter hos & illas eſſet diuerſitas. Deinde Platonis ideæ à rebus ſenſibilibus ſunt ſeparatæ, habentque rationē formæ, exemplaris & cauſſæ efficientis,& Pythagoræ numeri non ſunt a rebus ſenſibilibus disiuncti, ſuntque cauſſæ rerum per modum materiæ, cum ex ipſis tanquam ex ijs, quæ inſunt, res naturales conſtare ponantur *lib. 1. poſt nat. cap. 6.* Poſtremo non verè dici Pythagoreos decem contrariorum coniugationibus fuiſſe complexos formam,& materiam,& proxima rerum naturaliū principia liquet ex ijs, quæ ſupra ex Eudoro memorauimus. Neq; nos irrideant aduerſarij, quod Ariſtotelis teſtimonio nixi ipſorum explicationem accuſemus, quoniam ipſi quoque eundem vtuntur, & cum nihil afferant, quod ex Pythagoræ monumentis decerptum ipſorum interpretationem cōfirmet, fidem multò minorem merentur, multoque magis ſunt contemnendi, quam nos qui ſequimur Ariſtotelem, cui commentarios Pythagoricos probè cognitos fuiſſe & veri eſt ſimile, & teſtatur Laertius in vita Pythagoræ, vbi præterea ex Alexandro in ſucceſſionibus philoſophorum refert in Pythagoricis commentarijs nonnulla contineri, quæ ijs ſunt affinia, quæ ab Ariſtotele tribuuntur Pythagoreis, quæque ſunt huius modi. Principium omnium eſſe vnitatem: ex vnitate dualitatem indefinitam profectam veluti materiam eidē ipſi vnitati ſubiectam eſſe, ex vnitate verò, ac indefinita dualitate numeros, ex numeris puncta, ex punctis lineas, ex his ſuperficies, ex ſuperficiebus ſolida,& ex his corpora ſub ſenſū cadentia extitiſſe, e quibus etiam eſſe quatuor elementa ignem, aquam, terram, & aerem; ex his autem omni ex parte mutatis mundum ipſum animantem, intelligentem, rotundumque effectum eſſe, qui & terram ipſam rotundam, in qua circum habitetur, complectatur. Hæc,& alia ad notauit Alexander in commentarijs Pythagoreorum. Nec ſecus de his ſenſit Iuſtinus Martyr *in admonitorio Gentium*, ac præterea author de hiſt. philoſophica *in cap. 15.* atque Plutarchus *in lib. 1. de placitis Philoſophorum cap. 3.* Neque aduerſariis ſuffragatur, quod Ariſtoteles ſcribat Pythagoricos ſtatuiſſe omnia eſſe numerorum imitatione,& Platonem nomine mutato dixiſſe omnia eſſe idearum participatione, quoniam hic in multis quidem Pythagoreos fuit ſequutus, verum non idem omnino ſenſit, quod hi. Leue eſt id, quod ſequitur, quoniā numeri Pythagorici ſunt ſubſtantiæ rerum, quod hæc conſtent ex il-

Laertius

Pythagoreorū, dogmata.

Iuſtinus
Author de hiſtoria philoſoph.
Plutarch.

Ad primū argumētū
Ad ſecundum.

lis

lis tanquam ex ijs, quæ inſunt, habentque rationem materiæ; at Platonis ideæ ſunt rerum ſubſtantiæ, quod ſint formæ extrinſecus poſitæ & exemplaria, ad quorum ſimilitudinem hæ ſunt effectæ. Proximum argumẽtum pondus non habet, quia ſtudium, quod poſuit Plato in doctrina Pythagorica, non iubet nos credere Platonem iis aſſenſum eſse, quæ fuerunt Pythagoræ probata. Numeri definitiones non multam habent efficacitatem, quoniam Philolai diffinitio ijs tenebris eſt inuoluta, vt eius ſententia non facilè poſſit perſpici, & Pythagoræ prior diffinitio huiuſmodi eſt, vt commodè poſſi, explicari iuxta eam ſententiam, quam Ariſtoteles vulgauit, nam ex hac vnum hoc intelligitur numeros ex vnitate procedere, in qua veluti in fonte continentur virtute, poſterior autem ſic poteſt accipi, vt nõ obſit Ariſtõteli; enim verò cùm Pythagoras poſuerit mentem huius mundi architectricem omnia ex numeris compoſuiſſe, par eſt, vt ſenſerit hos fuiſse huic menti cognitos, priuſquam ipſa conderet hanc rerum vniuerſitatem; idque vt ſignificaret, hanc numeri diffinitionem attulerit. Diffinitio Hippaſi alicuius ſanè momenti poteſt videri, verum nunquid huic verè ſit tributa, vehementer dubito, nã hunc nihil ſcripſiſse, nullumque opus reliquiſse teſtis eſt Demetrius apud Laertium in vita Hippaſi. Nec fortaſse ab re quiſpiam exiſtimauerit eam ab aliquo Pythagoræ ſectatore Platonis doctrina imbuto, & à magiſtro diſsentiente fuiſse excogitatam. Nec alicui nouum videatur Pythagoricos in quibuſdã poſthabita magiſtri doctrina aliorum dogmata ſequutos eſſe, aut etiam propria commentatos, nam Empedocles fuit Pythagoræ auditor, Laertio teſte, quem certum eſt in iis, quæ ſcripſit de natura, a Pythagora diſcordaſſe, & Diaphantus genere Syracuſius, ſecta autem Pythagoricus Theodoreto *in lib. de materia, & mundo*, atteſtante Democriti, Metrodori & Epicuri de rerum principiis ſententias fuit amplexus. Itaque fieri potuit, vt Pythagorici poſteriores cum ex Ariſtotele intelligerent, quam ſit abſurdum omnia ex numeris componere, ne hi ab amicis deſerti iacerent, quos ipſorum princeps multi fecerat, quoſque nonnulli ipſorum celebrantes dicere ſolebant: Clare audi ò numere, ò genitor Diuumque, virumque, eos mutauerint in ideas, quæ à Platone adamatæ illis temporibus in eruditorum animis vigebant, hoc modo ſibi perſuadentes non improbabilem opinionem defendere.

Ad tertiũ. *Ad quart.* *Hippaſus nihil ſcripſit. Demetr.* *Empedocles Pythagoræ auditor.* *Diaphantus ſecta Pythagoricus.* *Numeri dignitas.*

Tertia defenſio eorum, quæ de numeris à Pythagora, & à Pythagoricis tradita ſunt, eiuſque reprobatio. Cap. XXXI.

PRæter hos ſunt alii, qui Pythagorico decreto ſuppetias ferentes ſcribunt ob id Pythagoram dixiſſe omnia ex numeris eſſe cõflata,

ſlat.i.& numerorum elementa eſſe reliquorum principia,non quia ita ſentiret, putaretque ſubſtantias naturales ex numeris conſtare, ſed vt ſignificaret in numeris magnam vim ineſſe; id quod ex ſacris literis intellexerat,quarum ne ignarus eſſet,relicta patria Aegyptū adiit,vbi diu fuit commoratus. Numeros magna vi agendi præditos eſſe conantur hi perſuadere non ſolum ſacrarum literarum teſtimonio,in quibus cum multa,tum illud omnium ore celebratum habetur, Deum ſcilicet omnia in numero feciſſe, hoc eſt in virtute numeri, quo teſtimonio ſeſe tuetur Picus in defenſione conclusionis de magia, verum etiā & argumento, quod cum forma ſit principium, & ratio agendi,par eſt numeris,qui ſunt formæ à materia ſeparatæ, multoq; ſimpliciores, ac ſynceriores formis naturalibus in materia hærentibus ſingularem agendi vim fuiſſe impertitam. Adiungunt, ſi quæ complent hanc rerum vniuerſitatem, voluerimus mente intueri,intellecturos eſse omnia, quæ fiunt, certis numeris ſubſiſtere, virtutemque à numeris recipere; nam tempus, in quo omnia, quæ oriuntur,& occidunt,poſita ſunt,numerus eſt, ſonorum concentus, qui nos mirabiliter delectant, ex rata numerorum ratione exiſtunt, generationes, mutationeſque rerum naturalium certis numeris requiruntur,atque adſtringuntur,& denique,vt inquit Ariſtoteles *in lib. de gen. & int.* 57. tempus, & vita cuiuſque rei numero continetur,numeroque definitur. Sed & præter hæc rerum vſum,atque experientiam confirmare ſuam opinionem aſsueverant,hincque factū eſse inquiunt,vt apud veteres numeri quidam fuerint celebres: De hoc autem ne quiſpiam dubitet,varias diuerſorum numerorum virtutes vſu compertas in medium afferunt. Principiò inquiunt numerum binarium infauſtum fuiſse habitum,atque huius eam eſse rationem,quod hic primus numerorum ab vnitate recedens pariat diſſenſionem. Quapropter D. Hieronymus *in lib. contra Iouinianum cap.* 7. in maleficam huius numeri naturam coniecit cauſsam, cur in ſecunda huius mundi procreationis die non fuerit dictum: Et videt Deus, quoniam bonum,& cur in arcam Noe animalia immunda bina,& munda ſuptena fuerint ingreſsa. Ternarius eſt rerum omnium menſura: atque huius duæ ſunt rationes, quarum vna eſt, quia princeps Deus hoc numero diſponit vniuerſa primum producendo, tum rapiendo,poſtremò abſoluendo. Id Orpheus in Hymnis ſignificauit, cum cecinit:

Iuppiter eſt caput,& medium Iouis omnia munus,
Iuppiter eſt fundamen humi, ac ſtellantis olympi.

Iuppiter,& Rex vniuerſi vocatur caput,& principium. quia omnia ex ipſo,veluti ex fonte defluunt;medium,quia allicit ad ſe,quæcunque effluxerunt; finis,& fundamentum, quod cuncta ipſum peten-

Numerorū vis magna.
Sacrarū literarum teſtimonia.
Picus.
Argumentū primū.
Alterum.
Rerū uſus & experientia.
Numerorum diuerſorum virtutes.
Binarii natura malefica, & cur.
D. Hier.
Ternarius rerū omnium menſura.
Orpheus.
Rex vniuerſi cur principiū

tia, & appetentia perficiat, & abſoluat. Hæc verò præſtat, quia eſt ſummum bonum, ſummum pulchrum, ſummumque iuſtum, nam qua bonum, cuius eſt fæcundum eſſe, atque ſeſe diffundere, procreat, qua pulchrum procreata ad ſe rapit, & qua iuſtum perfectionē ſuā vnicuique tribuit. Altera ratio eſt, quoniam quæ ſuis ſunt numeris abſoluta, tribus conſtare cernuntur principio, medio, & fine: Quapropter hic numerus creditus eſt numerus perfectionis, & quia videtur huiuſmodi, eo gentes omnes tanquam a natura legem accipientes in Deorum ſacrificijs vtuntur *lib. 1. de cælo 2.* tribuſque Deos colunt adoratione, hymnis, & ſacrificijs. Iure igitur illud ex Zoroaſtri oraculis celebre eſt: Trinitas fulget in toto vniuerſo. Non minor dignitas eſt quaternarij, de qua Hierocles aureos Pythagoræ verſus exponens habet hæc: Et quidem in tota rerum vniuerſitate quatuor ſunt iudicandi facultates, nimirum mens, ſcientia, opinio, & ſenſus; quicquid enim iudicatur, aut mente iudicatur, aut ſcientia, aut opinione, aut denique ſenſu, & in vniuerſo quicquid eſt, id quaternarius numerus colligauit, ſiue elementa ſpectes, ſiue anni tempeſtates, ſiue ætatum conſtitutiones; nec quicquam poteſt proferri, quod non pendeat tamquam à radice, initioque a quaternario, qui eſt opifex rerum omnium. Quin etiam dignitatis huius numeri id maximo eſt argumento, quod nomen ſummi rerū omniū moderatoris propriū quatuor literis apud Hebreos cōſtet, quod inde τετραγράμματον dicitur, & quoniam hoc nomen (quod quale ſit incertum eſt, putantque Genebrardus, Bellarminius, Pererius, & alij viri in ſacris literis eruditiſſimi germanam huius nominis pronunciationem his temporibus ignorari) Hebræis religio eſt ore enunciare, pro eo alterum vſurpatur ſimiliter quatuor literarum, quod eſt Adonai. Hebræos tacito quodam naturæ cōſenſu gētes ferè omnes ſunt imitatæ præcipuum Dei nomen quatuor literis pronunciantes, nam quem nos Deum vocamus, Græci appellant θεὸν; Aegyptij Thout, & Theut; Perſæ Syri; Aſſirij Adad; priſci Tyrenni Aeſar; Magi Orſi: Arabes Alla: Turcæ Agdi: & populi nuper reperti Zimi. Deus autem voluit, ut ſcribit Ficinus *in Cratyli argumento*, quatuor vbique literis inuocari, quoniam gradibus quatuor cuncta diſponit, qui ſunt eſſentia, eſſe, virtus, & actio. Hæc, vt ait Georgius Venetus *in tom. 5. probl.* 422. cum Pythagoras, & qui à Pythagora ſunt profecti, non ignorarent, iuſiurandum per quaternarium habuerunt ſantiſſimum. Equidem Picus *in lib. de ente, & vno cap. 9.* arbitratur quaternitatem, per quam Pythagoras iurabit, fuiſſe Deum, qui eſt entitas pleniſſima, vnitas ſimpliciſſima, veritas ſolidiſſima, & bonitas beatiſſima, nam iuſiurandum per ea fit, quæ ſancta, quæ firma, quæ diuina ſunt, hiſque nihil aut ſanctius, aut firmius, aut diuinius poteſt cogitari. De quinarij

Ternarius numerus perfectionis.

Zoroëſtri oraculum.

Quaternarij dignitas.

Dei nomē quatuor literis cōſt.

Genebrar. Bellarm. Pererius.

Deus cur ſuū nomen quatuor literis conſtare voluerit.

Ficinus.

Gr. Ven.

Iuſiurādū per quaternariū Pythagoricis ſāctiſſimū.

Picus.

rij

rij laudibus multa traduntur à Plutarcho *in lib. de oracul. defectu, & in commentatione de & inſcripto in foribus templi Delphici.* Senarij virtutes perſequutus eſt Macrobius *in lib. 1. de ſomnio Scipionis*, ubi quoque vim ſeptenarii magnis laudibus celebrauit. Hunc numerum Alexander problematum author tanti facit, vt cauſam, cur infantes qui ſeptimo menſe in lucem venerint, viuere poſſint, qui octauo, nõ poſſint, retulerit in numeri ſeptenarii perfectionem, & octonarij imperfectionem. Septenarium verò eſſe perfectum, & Pythagoræ teſtimonio confirmauit, & ex multis ſcripſit conſtare, quæ in mundo continentur ab hoc numero. Eundem Chalcidius *in com. Timæi* appellauit optimum, & naturalem, quod maxima pars eorum, quę definito naturæ ordine fiunt, iuxta hunc numerum efficiantur, & Pythagorici maturitatem dixerunt, quoniam vi illius procreandi facũda res naturales ſuam maturitatem aſſequãtur, hacque ratione perſuaſi Solem frugum, fructuum, & reliquorum omnium, quæ terra ex ſe patit, maturatorem eo in loco ſitum eſſe affirmarunt, vbi in globis cæleſtibus dinumerandis hoc numero ſit comprehẽſus; nam inter orbes, qui circa mundi medium vertuntur, Sol ſeptimum locum tenet, ut qui de veterum omnium ſententia poſt orbem ſtellarum inerrantium, & quinque orbes ſtellarum uagorum ſitus globum Lunæ proximè complectatur. Aliorum numerorum virtutes his poſſent adiungi, uerum cum hæc ex Rabano, qui unico libro numerorum virtutes fuit complexus, & ex aliis poſſint intelligi, nos his contenti erimus. Hi dogmatis Pythagorici propugnatores dicunt ea, quæ non multum habẽt probabilitatis, & pugnant cum veritate. Sanè non eſt diffitendum Pythagoram Aegyptios ſapientes adiſſe, nã huius teſtes ſunt Laertius *in vita Pythagoræ*, Euſebius Cæſarienſis *in lib. 10. de præparat. Euangel.* Theodoretus. *in lib. de principiis*, & alii, quibus turpe eſt fidem non habere, verum itineris cauſſam fuiſſe ſacrarum literarum ſitim, ac deſiderium non ſatis veri eſt ſimile, quando quidem illis temporibus Hebræorum doctores nõ in Aegypto, ſed in Syria vitam agebant, atque idcirco ſi vlla ſacrarũ literarum cupiditas tenuiſſet Pythagoram, hic non ad Aegyptios, apud quos ſacræ literæ neglectæ iacebãt, ſed ad Hebræos harum interpretes ſe contuliſſet. Floruit autem Pythagoras Olimpiade ſexageſima prima regnante apud Romanos Tarquinio Superbo, Cambiſe apud Perſas, Amaſide apud Aegyptios, & Aggeo, Zacharia & Malachia apud Hebræos propherantibus. Non igitur Pythagoras ſuã de numeris opinionem hauſit ex ſacris literis, ſed, vt tradit Ariſtoteles *in lib. 1. poſt nat. cap. 5.* ex mathematicis diſciplinis, quia cum primum tractaſſet, eas cæteris antepoſuit, & in eis educatus mathematicarum rerum principia omnium rerum initia, & elementa eſſe cre-

Quinarii laudes.
Plutarch.
Senarii virtutes.
Macrob.
Septenarii vis.
Alexand.
Chalcidius
Septenarius dictus a Pythagoricis maturitas.
Sol lunam proximè cõplectitur, de veterũ omniũ ſententia.
Rabanus.
Pythagoras Aegyptios adiuit.
Laertius.
Euſebius.
Theodor.
Pythagoras quo tẽpore floruit.
Pythagoras unde hauſerit ſuam de numeris opinionem.

didit. Id conſentit cum iis, quæ ab Alexandro in Pythagoricis commentariis, apud Laertium obſeruata paulò ſupra fuerunt recitata. Quapropter quicunque exiſtimant Pythagoram omnia ex numeris compoſuiſſe, quod his vim magnam tribueret, ualde errant, nam potius contra hic vim admirabilem conceſſit numeris, quod ex eis omnia eſſe conflata, eoſque rerum omnium principia eſſe putaret ab iis inductus, quæ ex diſciplinis mathematicis didicerat. Deinde vim agendi numeris tribuere non eſt abſque mendacio, idque declarat communis philoſophorum conſenſus, qui omnem prorſus actionē ad mit quantitati, nec iniuria, nam quantitas non alia ratione uidetur comparata, & in materia poſita, niſi vt hæc ab agentibus naturalibus patiatur (quod enim eſt impartibile, atque expers quantitatis, id penitus eſt impatibile) atque in plures partes diuiſa varias, ac multiplices rerum naturalium formas excipiat. Qua de re nullus numerus, nullaque quantitas agendi munus poteſt ſuſtinere, quod cum Aſclepiades Cornelio Celſo *in lib. 3. cap. 4.* teſtante haberet perſuaſum, illorum placitum vt vanum repudiauit, qui in diebus, quod pares, uel impares eſſent, magis, vel minus periculum ineſſe dixerunt. Quinetiā Galenus *in lib. 3. de diebus decretoriis.* non potuit non mirari Pythagoram, quod numeris tantam tribueret authoritatem. Ac ſanè ſi in numeris vllá vis effectrix ineſſet, oporteret, quæcumque eadem, ſimilique ſpecie numeri continentur, eandem, ſimilemque actionem ex ſe fundere, quod falſum eſſe cognitum eſt non nemini. Nec id ex ſacris literis poteſt intelligi, in quibus illud omnium ſermone tritū Deum ſcilicet in numero cuncta procreaſſe, ita eſt accipiendum, vt ſententia ſit Deum certo, definitoque numero res omnes condidiſſe, veluti quatuor elementa, tot cælos, totque ſpecies corporum tā anima carentium, quam anima vtentium. In his prætèrea vis, ac poteſtas, quæ tribuitur numeris, aut myſticè eſt accipienda, aut non ex numeris, ſed ex rebus, quæ numerantur, exiſtit: & omnino eſt virtus numeri numerati, & non numeri numerantis: quod non obſcurè ſignificauit Hilarius, qui in pſalmorum enarratione inquirens cauſsā, cur pſalmus, qui compoſitionis origine antecedit, lectionis ordine ſit poſterior, hæc habet: Non eſt autem ignorandum indiſcretum „ apud Hebræos eſſe numerum pſalmorum, & ſine ordinis annota- „ tione eſſe conſcriptos, non enim illic primus, aut ſecundus, aut ter- „ tius, aut quinquageſimus, aut centeſimus prænotatur, ſed ſine præ- „ ſcriptione aliqua ordinis in vnum permixti ſunt. Eſdras enim, vt an- „ tiquæ traditiones ferunt, incompoſitos eos, & pro auctorum, ac tem- „ porum diuerſitate diſperſos in volumen vnum collegit, & retulit, „ ſed ſeptuaginta ſeniores ſecundum Moyſis traditionem ad cuſtodiā „ legis, atque doctrinæ in ſynagoga manentes, poſteaquam illis à Re- „ ge Ptolemæo transferendæ ex Hebræo in Græcorum ſermonem

Numeris nulla agē di uis.

Quātitas cur poſita in materia.

Aſclepiades.

Galenus.

Teſtimoniū ſacrarum literarum explicatur.

Hilarius.

totius

totius legis cura mandata eſt, ſpiritali & cæleſti ſcientia virtutes pſal »
morum intelligentes in numerum eos, atque ordinem redegerunt, »
ſingulis quibuſque numeris pro efficientia ſua, & abſolutione perfe »
ctis perfectorum, & efficientium pſalmorũ ordine deputantes. Hæc »
Hilarius, quæ volui ad verbum referre, vt hinc Pici error in conſpe-
ctumq adduceretur, qui in cõcluſionis de magia defenſione ſibi ex his
perſuaſit à r..une..o tr..bui virtutem, & efficientiam, cum ex his clarè
conſtet virtutem pſalmorum non eſſe ex numero, & ordine eis attri-
buto: alioqui n priuſquam in ordinem redacti fuiſsent, nulla in eis vir
tus extitiſſet, quod alienum eſt à veritate, & facta ordinis mutatione
veterum eorum vis extingueretur, & noua oriretur, quod eſt figmento
ſimile, ſed eſse ex ipſiſmet pſalmis, cuius ſeptuaginta ſeniores cum
neſcij non eſsent ſic eos ordine digeſserunt, vt qui perfectior eſset,
perfectiori numero comprehenderetur. Non enim ex numeris ma-
ior, minorque perfectio eſt tollenda, cum in his locus ſit ſpecierum
multitudini, quarum ea eſt vis, vt altera alteri nobilitate anteſtet; at
que id forſitan ſibi voluerunt, qui naturas, & proprietates numero-
rum laudibus ſunt proſequuti. Argumentatio, qua decretum iſtud
fuit confirmatum, eſt leuis, quia non omnis forma eſt principium
agendi, nam illæ omnes formæ, quæ accidentis genere cõtinentur,
ſuntque materiæ proles, cuius modi eſt quantitas, nullam habent
vim agendi, cum materiæ ſit pati, & non agere *lib. 2. de gen. & int.*
53 Nec præterea numeri abſque materia poſsunt in rerum natura
conſtare, tametſi ab hac animo ſeparentur, & ſeparati conſiderẽtur.
Quæ ſubiunguntur, hoc modo explicantur: Numerus non eſt vnius
modi, nam alius conſtat ex vnitatibus, quo numeramus, quemque ap
pellamus numerum numerantem, & alius eſt res ipſæ, quæ nume-
rantur, cui nomen eſt numerus numeratus: prioris numeri nulla eſt
vis, quippe qui aut animi noſtri cogitatione exiſtet, & quæ ſunt ani-
mi noſtri opera, ea ab omni actione ſunt penitus vacua, aut ſi quippiã
eſt in rerum natura conſtans, eſt quantitas diſcreta, cui nulla vis agẽ
di fuit à natura impertita, tum quia quantitatis nulla eſt actio: tum
etiam quoniam nequit fieri, vt accidens vnum numero abſolutum,
veluti eſt agendi vis, hæreat in ijs, quæ ſunt multa numero, & loco
diſcluſa, vti ſunt partes, & vnitates, ex quibus numerus coaleſcit: po-
ſterior autem, de quo quæcunque ſubiunguntur, ſunt intelligenda,
non eſt quidem ſine vi, & facultate, verum hæc poſita eſt non in nu
mero, qua numerus eſt, ſed in ſubſtantia rerum numero comprehen
ſarum. Tempus igitur eſt ſanè numerus, verum non numerans, ſed
numeratus *lib. 4. phyſ.* 102. Concentus mouet nos, ac delectat nõ vi
alicuius numeri, ſed quod in eo apta, congruentique ratione ſoni, ex
quibus exiſtit, inter ſe iungantur, cum enim auditus, omniſque ſen-

ſus

Pici error.

Specierum alia alii dignitate anteſtat.

Ad primũ argumentum.

Non omnis forma eſt principiũ agẽdi.

Ad alterũ

Numeri numerātis nulla eſt vis.

Numeri numerati vis vnde exiſtat.

ſus ſit ratio quædam,& mediocritas *lib. 2. de anima* 143. ijs delecta-
Senſus omnis ratio, & mediocritas.
tur, quæ in mediocritate ſita ſunt, apteque, & concinnè mixta ſunt ex extremis, quippe hæc ſuæ naturæ ſint cognata. Numeri, quibus omnes generationes, ac mutationes reguntur, & adſtringuntur, ſunt tempora, quæ in his, dum fiunt, abſumuntur. Cuiuſque rei vita certo
Numeri, quibus omnes mutationes regũtur, qui.
dierum, vel annorum numerò continetur, ac definitur, quoniam rebus caducis certum temporis ſpacium eſt à natura datum, quo poſſunt in rerum natura conſtare. Quæ demum de numerorum virtutibus afferuntur, ea ſunt contemnenda vel tanquam inania, & commentitia, vel naturis rerum, quæ numero comprehenduntur, adſcri-
Vita cuiuſque rei certo dierum, vel annorum numero continetur.
benda, nam ſi numeri quidam magnis ob id laudibus efferũtur, quod res quædam præſtantiſſimæ eis contineantur, & ſi contra alii vituperantur, quod res turpes, ac flagitioſæ ſint ab eis comprehenſæ, planè quoniam idem numerus in rebus flagitioſiſſimis, & ſimul in rebus præclariſſimis cernitur, conficitur eundem numerum aliam in his, aliam in illis naturam habere, nec ſtabilem conſtantemque naturam tenere, ſed cameleontis inſtar earum rerum naturam ſibi aſciſcere,
Numerorũ uis ex rebus, quæ numerantur.
quibus coniungitur. Quod ſi ita eſt, tantum abeſt, vt in numeris vlla ſit facultas, vt contra vniuerſa ipſorum vis pendeat, & fluat ex rebus, quæ numerantur. Et ſi natura binarii eſt malefica, cur vniuerſitatis corporeæ duæ tantum ſint primæ partes, vna æterna, & altera caduca? cur cælis duo ſolum inſtrumenta fuerunt conceſſa motus ſcilicet, ac lumen, quibus mortalis rerum vniuerſitas adminiſtratur? cur in anima duæ duntaxat ſunt virtutes, mens nimirum, & ſenſus, qui-
In ſecunda mundi creationis die, cur non fuit dictum, Vidit Deus, quod bonũ erat.
bus ea, quæ ſunt, comprehenduntur? & cur mẽs bipartito diuiditur, & alia in agendis rebus poſita eſt, & alia in veri inueſtigatione conſiſtit? Nec putandum eſt in ſecunda mundi creationis die non fuiſſe dictum: Et vidit Deus, quod bonum erat: quia in binario ſit natura malefica, ſed alia prorſus ratione, nam cum hac die cælũ fuerit creatum, vt multi exiſtimant, nulla erat neceſſitas, cur diuinus ſcriptor id adiungeret, quod nemo vnquam fuerit, qui de bonitate ambigeret
Reſponſio prima.
quod ab omnibus, qui putant Deum eſſe, tanto in pretio habitum eſt, vt ipſum eſſe locum & ſedem Dei exiſtimauerint. An forſitan di-
Secunda.
cendum eſt id tacitum fuiſſe relictum, ne Hebræi numerent ex eo oc-
Tertia.
caſionem colendi cælum, quod plures priſcæ ætatis homines tan-
In arcam Noe cur plura animalia mũda fuerint ingreſſa quam immunda.
quam Deum fuerunt venerati? Inquiunt alii id non fuiſse dictum, quia nomine boni illud proprie intelligitur, quod ſuis omnibus partibus eſt expletum, & cælum, quod ſecunda die fuit creatum, quoniam ſtellis, luminaribus carebat, ſuo erat ornamento priuatũ. Nec rurſus in arcam Noe immunda animalia bina fuerunt ingreſſa ob binarii malignitatem, & munda ſeptena ob ſeptenarii perfectionẽ, nam quicunque amant hanc opinionem, hi audiant Chryſoſtomũ,

cuius

cuius hæc ſunt *in hom.* 24. *in Geneſim*, vbi huius cauſſa à doctiſſimo, diſertiſſimoque viro inquiritur. Multi varias de hac re fabulas narrãt Chryſoſt.
& hinc occaſione ſumpta obſeruationes numerorum oſtendũt: At non obſeruatio, ſed intempeſtiua hominum curioſitas talia fingere molitur, vnde & multæ hæreſes ſunt ortæ, quod ſtatim ſcietis. Etenim frequenter (vt videamur quaſi ex abundãti eos, qui ex ſuis opinionibus noua afferunt, compeſcere) inuenimus in ſcripturis numerum parem commendatum, quippe quando Dominus miſit diſcipulos, binos miſit, & Apoſtoli omnes duodecim erant, & quatuor numero ſunt euangelia: At ſuperuacaneum fuerit hæc apud caritatem veſtram commemorare, quæ ſatis didicit huiuſmodi dictis obturare aures. Plura præcepit Deus ex mundis introduci, vt iuſtus Noe, & qui cum illo erant, inde conſolarentur ex illis vſum habentes. Quod autem ſeptena inducta ſunt, hoc quoque piæ mentis Noe indicium fuit, nam quia cognouit miſericors Deus viri virtutem, & quod vt iuſtus, & tanta Domini fretus miſericordia, vbi tantæ tempeſtatis effugiſſet periculum, liberatuſque fuiſſet a periculo, ſuã gratitudinem declaraturus, & pro gratiarum actione hoſtias, & ſacrificia oblaturus eſſet, vt ne hoc faciendo mutilaret paria, ideo Dominus præſcius huius gratæ mentis iubet ſeptena introduci ex ſingulis auium generibus, vt cum ceſſaret vniuerſalis interitus, & ſuam mentem declararet, & coniugia volatilium, cæterorumque animalium non læderentur. Hæc Chryſoſtomus, qui irridens eos, qui huius rei cauſſam in abditas numerorum virtutes coniiciũt, a nobis perſpicuè ſtat. Equidem non damno D. Hieronymum, quem ſequitur D. Am- D. Hier.
broſius *in lib. de arca Noe cap.* 12. & alios grauiſſimos noſtræ reli- D. Amb.
gionis proceres, qui multa de numeris doctè, & acutè diſſeruerunt, ſed multò probabiliores arbitror illas explanationes, quæ nulla numerorũ virtute nituntur, nulliſque fabuloſis numerorum myſterijs, quibus Simon, Valentinus, Baſilides, Marcio, Gnoſtici, & alij hæretici turbulentos ſuos errores decorabant, & imperitis probare conabã-
tur. Non poſſum hoc in loco prætterire, quæ a Pererio viro erudito Pererius.
in huius loci commentarijs habentur. Hic tres cauſas affert, cur in arcam Noe plura animalia munda fuerint ingreſſa, quam immunda, quarum prima eſt, vt plura animalia homini vtilia ſeruarentur, & pauciora noxia, & inutilia: altera, quia mundis opus erat futurum ad ſacrificia, quæ, vbi diluuium euanuiſſet, ſtatim erant peragenda; tertia, quoniam poſt diluuium Deus facturus erat hominibus copiam veſcendi animalibus mundis. Itaque cum animalia immunda vnicam ob cauſſam ſeruarentur, quæ erat ſpeciei conſeruatio, & munda tres ob cauſas, videlicet ob ſpeciei incolumitatem, cibi copiam, & vſum ſacrificiorum, illorum par vnum fuit ſeruandum, & horum

tria

tria paria, quorum vnum ſeruiret ſpeciei incolumitati, alterū hominum nutritioni; Tertium Dei cultui, ac venerationi. His ſeptimū animas fuit adiunctum, vt hoſtiam præberet ad ſacrificium, quod poſt diluuium Noe continuò erat facturus, atque idcirco fuit mas, quod animal maſculinum, cū ſit fæminino præſtabilius, videatur diuinis ſacrificiis aptius, & accommodatius. Verum ne longior, quā par ſit, fiat hæc diſputatio, hæc ſacrarum literarum explicatoribus relinquantur, & quæ de cæterorum numerorum virtutibus fuerunt allata, tāquam inania, & hominum cogitatione ficta prætermittantur, & præſertim cum aduerſus numerorum virtutes a diſertiſſimo Raguſeo ſatis copioſe, & eruditè fuerit diſputatum. Atque hæc dicta ſint aduerſus Pythagorici decreti patrocinatores, qui dum ſymbolicè, ac myſticè antiquorum placita interpretantur, ſuo ſtudio, induſtriaque ſignificant nullam eſſe tam abſurdam, peruerſamque opinionem, quæ ſymbolicè declarata non poſſit defendi, & ſpecie aliqua veritatis ornari, quod quamquam non ſit vituperandum, eſt tamen contemnendum, quia certum eſt huiuſmodi explicationes authorum, quorum dogmata enarrantur, menti non congruere, atque hos explicatores (quod à Baſilio *in Hexam. homil. 9.* fuit quoque tributum iis, qui communes ſcripturæ ſententias ſemper trahunt ad allegoriam) ad ſuas animi conceptiones auctorum decreta deflectentes hæc non ſecus exponere, ac ſomniorum interpretes, qui ad id, quod habent in animo propoſitum reſpicientes ſolent eorum, quæ ſecundum quietem viſa ſunt, afferre interpretationes. Quapropter non poſſum non vehementer de quibuſdam admirari, qui his impoſtoribus, & veterum opinionum peruerſoribus fidem habentes Ariſtotelem calumniantur, quod non ſyncerè attulerit priſcorum placita, atque legitimè fuerit interpretatus, quem decentius ſummis laudibus cumulare deberent, tanquam ſummum philoſophiæ magiſtrū & ſingularem veritatis amatorem, cuius ſic fuit cupidus, vt à Platone veritatis philoſophus appellaretur, ita ſtudioſus, vt eam *in lib. 1. Ethic. ad Nicom. cap. 6.* amicitiæ anteponendam eſſe voluerit. Sed valeant hi, & nos ad Aſtrologorum argumenta redeamus.

Raguſeus. *Baſilius.* *Ariſtoteles veritatis cupidus & ſtudioſus.*

Confutatio argumentorum, quibus Aſtrologi fuerunt inducti, vt dicerent, quæ fiunt à ſtellis fieri neceſſario. Cap. XXXII.

Ad primū SEquuntur argumenta, quæ induxerunt Aſtrologos, vt dicerent, quæ fiunt a ſtellis, fieri neceſſariò. Cum inquiūt Aſtrologi, quæ ſunt à Deo conſtituta, ea nullo poſſe modo impediri, id non eſt perpetuò verum, nam cum hæc bipartitò diuidantur, aliaque ſibi perpetuò conſtent, & alia ſint mutabilia, quæ ſunt geneſis, ea non poſſunt impediri,

impediri, quæ autem poſterioris, ea ſic ſunt comparata, vt fieri, & non fieri poſſint. Nec quicquam facit, quod nulla ſit vis, quæ ſit potentior virtute Dei infinita, quoniam horum mutabilitas non eſt præter Dei voluntatem, & quia diuinæ voluntati quippiam obſiſtat, ſed conſentit cum diuino propoſito, nec ſecus accidit, ac fuerit Dei conſilio decretum. De ſecundo argumento dicendum eſt corpora caduca neceſſario quidem ſubiici cæleſtium effectioni, nec fieri poſſe, ne hanc accipiant, verum cum ad hæc gignenda præter cælorum vim neceſſario poſtulentur cauſſæ caducæ, quæ agere, & non agere, varieque mutari poſſunt, conficitur, ne quæ fiunt, neceſſario fiant. Cauſſas caducas neceſſario poſtulari illud declarat, quod cælum eſt cauſſa communis, quæ agere quicquam nequit à cauſsa particulari diſiuncta, nam vt alias dictum eſt, cum cauſſa communis æquè ſe habeat ad multa, nec vnum magis, quam alterum efficere ſit aptè nata, neceſſe eſt eius efficientiam latè patentem a cauſſa particulari definiri ſic, vt hoc, & non illud efficiat. Ex his liquet, quo pacto ad tertium argumentum ſit reſpondendum, nam cælum per ſe ſolum ijs rebus gignendis non ſufficit, nec ſine cauſſis ſecundis dominatur materiæ, ex qua res natiuæ generantur. Quartum argumentum diluitur, quoniam cauſſa, cur quæ fiunt, non fiant neceſſario, in eo nõ eſt poſita, quod quippiam repugnet cælo agenti, huiuſque effectionẽ impediat, ſed inde exiſtit, quia cauſſæ ſecundæ ſibi viciſſim ſunt impedimento, & inter ſe aduerſæ, atque ſine his nihil à cælo poteſt fieri. Cum poſtremo loco perſuadẽt Aſtrologi omnia fieri neceſsario, quia homines quamuis præclara, & honeſta cognoſcant, attamẽ his poſt habitis turpia, & flagitioſa ſequuntur, reſpondendum eſt, virtutes, & vitia non eſſe in ijs, quæ nobis inſita ſunt à natura, ſed nos ſic eſſe affectos, vt in noſtra ſit poteſtate bene, vel turpiter agendo virtutes acquirere, & vitia contrahere. Vbi vero aliquis longa conſuetudine habitum vitiorum induerit, in hocque fuerit obfirmatus, hic tametſi perſpiciat ea, quæ ſunt virtutis, & hæc laudibus efferat, nihilominus tanta eſt vis habitus, ac cõſuetudinis, quæ eſt natura acquiſititia, vt agat ea, quæ vitii ſunt, quæque ſunt habitus, & conſuetudinis. Quapropter, non ſidera, ſed habitus, & conſuetudo vitiis dedita efficiunt, vt hic honeſtis neglectis turpia amplectatur, & ratione cõtempta ſenſui ſeſe accommodet. Quod ſi aliquis dubitet, ſi actiones, quibus comparatur habitus, & extinguitur, noſtræ ſunt poteſtatis, cur hic non exuit habitum vitioſum, ſi cognoſcit ſe ab hoc ad turpia & flagitioſa impelli? dicendum erit cum Ariſtotele *in lib. 3. Ethic. ad Nicom. cap. 5.* noſtram poteſtatem non ita eſſe habituum, quemadmodum actionum, quæ in nobis efficiunt habitum, nam actionum à principio ad extremum domini ſumus, nobiſque penitus integrum

Ad ſecũdũ

Cauſſa cõmunis non poteſt quicquam agere a cauſſa particulari diſiuncta.

Ad tertiũ.

Cælum per ſe ſolũ his rebus gignẽdis non ſufficit.

Ad quartũ

Ad quintũ

Virtutes, & vitia non ſunt inſita nobis a natura.

Homines cur cum cognoſcant honeſta, agant flagitioſa.

Dubitatio

Solutio

Ariſtoteles

Poteſtas noſtra non ita eſt habituũ, quẽadmodum actionum

Habitus confirmatus non eſt noſtri arbitrii.

eſt in ijs verſari, & non verſari, at habituum principium duntaxat eſt in noſtra poteſtate, nã cum habitus fuerit confirmatus, non amplius hic eſt noſtri arbitrii, neque ſi velimus, eum poſſumus exuere, qui ſenſim incrementum ſuſcepit, nobiſque imprudentibus ad ſummum peruenit, atque hac in re ſimiles ſumus ægris, & illi, qui lapidẽ proiecit; nam vt ægri, quamuis ſponte ſua morbum contraxerint incontinenter viuendo, & medici præcepta contemnendo, attamẽ ſani, cum velint, non poſſunt effici, quia poſtquam in morbum inciderunt, deſijt illis integrum eſſe in morbum labi, & non labi, & vt is, qui lapidem proiecit, nullam amplius habet poteſtatem eum retrahendi, qui tamen erat in eius arbitrio, poteratque ab eo proiici, & non proiici, ſic nobis ab initio licèt habitum contrahere, & non contrahere, poſtquam vero habitus genitus eſt in nobis, non poſſumus non illum retinere, nec noſtra eſt poteſtas illũ, cum volumus, deponere: Fieri quidem poteſt, vt quæ ſunt habitus contrarii, ſæpe agendo, habitus tandem permutetur, & extinguatur, ſed id eſt arduum, ac difficile, nec ſine temporis diuturnitate perficitur. Quod ſcripſerit Theodoretus Ariſtotelem omnia, quæ lunæ ambitu cohibentur, fatorum neceſſitati ſubieciſſe, id nos non mouet, quibus de Ariſtotelis opinione alia eſt ſententia grauiſſimorum Peripateticorum firmata conſenſu. Cæterum quoniam nonnulli autumant Ariſtotelem, ſi ea, quæ a ſe poſita ſunt, audire voluerit, neceſſario habere fateri omnia fieri fato, ducique neceſſitate ineuitabili, hic locus nos admonet, vt nunquid hi veram habeant opinionem, & de fato quid ſentiat Ariſtoteles, diſquiramus: Et quamuis hæc diſquiſitio rei, de qua agitur, non ſit valde cognata, attamen cum non careat difficultate, dignaque ſit, cui à Peripateticæ doctrinæ ſtudioſis aliquid tribuatur cogitationis, non erit, vt multi faciamus accuſationem illius, qui nos, quod ad eam diuertamus, voluerit accuſare.

Ariſtotelem voluiſſe, quæ fiunt, ea fieri fatali neceſſitate, quibus argumentis inducti aliqui putauerint. Cap. XXXIII.

Stoicorum argumentum.

QVæcunque fiunt in rerum caducarum vniuerſitate, ea fieri fatali quadam neceſſitate, nec aliter, ac eueniunt, poſſe contingere, Stoici ſenſerunt, & ſunt, qui putent cum Stoicis Ariſtotelem ſenſiſſe. Stoici, vt ita crederent, hoc argumento fuerunt inducti. Si Deus ſingula cognoſcit, hæc non ſolum tum, cum exiſtũt, ſed etiam ex æternis ſeculis antequam fiant, cognoſcat, eſt neceſſe; alioquin ſi dixeris Deum quicquam antè ignoratum poſt cognoſcere, in eum mutationem cadere neceſſe habebis fateri. Si igitur ſingula, priuſquam oriantur, Deo ſunt cognita, quærendum eſt, nunquid certa,

certa, an dubia ſit horum notitia antecedens. Dubia non eſt ponenda, quoniam nihil magis eſt alienum diuinæ cognitioni: Quod ſi certa, cuncta fatali euenient neceſſitate, quæ Deus euentura cognouit, nec ſecus aliquid poterit accidere, quam euenturum eſſe Deus præuiderit. Qui verò tribuunt Ariſtoteli, quod voluerit cuncta fieri neceſſariò, hi in duas ſectas ſunt diuiſi, nam cum eorum, quæ fiũt, alia ſint à natura, & à cauſſis per naturæ modum agentibus, & alia ab hominis voluntate, nonnulli, vt Auicennas, contingentiam in iis, quæ effluunt ab humana voluntate, repoſuerunt, quod hominum voluntas libera ſit, nec cuiuſquam pareat dominationi, & alia, quæ ſunt a natura ineuitabili neceſſitate conſtitui aſſeuerauerunt hæc vel maximè ratione adducti.

Auicennæ opinio.

Quæ natura gignuntur, vel à Deo proximè manant, vel ad eorum generationem multæ cauſſæ, quas appellant ſecundas, ſimul conueniunt, Deoque adiunguntur, ſed tam hæc, quam illa neceſſariò generantur, nihil igitur eſt in vniuerſo a natura productum, cui natura contingens, atque mutabilis fuerit cõceſſa.

Argumentum.

Quę proximè fiunt à Deo generari neceſſario, ex eo intelligitur, quod Deus ad ſententiam Ariſtotelis ex neceſſitate ad agendum impellatur, quam ob rem quod ab eo efficitur, id fiet neceſſariò. Eiuſdem cõditionis eſſe, quæ fiunt à cauſſis ſecundis, illud eſt argumento, quod cauſſæ ſecundæ, quæ ſunt tanquam inſtrumenta Dei præpotentis, cauſſæque principis, ea lege accedunt ad agendum, quã a Deo, cauſſaque principe accipiunt, verum à Deo mouentur neceſſariè, ergo ipſæ quoque mouebunt neceſſario, & quicquid fiet ab ipſis, id ortum habebit neceſſarium. Alij, vt Pomponatius *in lib. de fato*, non ſolum ineuitabilem rerum naturalium neceſſitatem amplexi ſunt, quam Ariſtoteli tribuerent, verum etiam de ſententia Ariſtotelis liberam agendi facultatem hominibus adimentes ſenſerunt omnia, quę ſunt in hominis poteſtate, pendentque ex hominum voluntate, verſari in neceſſaria generatione, hoc eſt, quæcunque cadunt in hominis voluntatem eo tempore, quo pulſant hanc, ſic eam mouere, vt homo ea nullo modo poſſit reſpuere, idque hac ratione confirmarunt.

Pomponatii opinio.

Argumentum.

Si volũtas quidpiam nũc vult, cuius antè nullo tenebatur deſiderio, quodque antè aſpernabatur, quæritur, nunquid voluntas eodem ſe habeat modo, quo antè illud nolens, ac reſpuens, an aliquod ei fuerit adiunctum cogens, compellenſque ipſam, vt illud conſectetur, primũ non eſt probandum, quoniam velle, & nolle, quæ ſunt contraria, nõ poſſunt in illud cadere, quod eodem ſemper modo ſe habet, nam idem eodem modo ſemper ſe habens idem facere natum eſt *lib. de gen. & int.* 56. Deinde rueret argumentatio, qua initio *lib. 8. phyſ.* motus æternitas confirmatur, quæque ita ſe habet: Si factus eſt motus, cum antè non eſſet, neceſſe eſt ante primum motum, qui fuerit ſumptus,

Voluntas eodem ſe habẽs non poteſt idẽ velle, & nolle.

Ariſtotelis argumentatio, qua motus æternitas confirmatur.

aliam mutationem, motumque alium fuiſse. atqui non eſt ſine abſurditate aliquem motum reperiri, qui ſit prior primo motui, non igitur motus ortus eſt, cum antè non eſſet. Aſſumptum nullam habet dubitationem, conſequutio his declaratur. Cum motus ſit actus mouētis, & eius, quod eſt aptum moueri, hæc ipſa oportet eſſe, cum motus oritur, vel etiam antequam motus oriatur. Hæc igitur vel genita ſunt, cum antè non eſſent, vel nullum vnquam habuerunt ſuæ generationis initium ſeculis omnibus immortalia. Si primū ponatur, neceſſe eſt ante motum, qui fuit primum aſſumptus, aliam mutationem, aliumque motum fuiſſe, quo genita ſint ea, quę mouere, & moueri poſſunt. Sin alterum, idem quoque ſequitur, nam ſi eſt quoddā mouens, quod interdum mouet, & interdum ceſſat, id prius mutetur oportet, quam motus efficiatur, ſi quidem aliquod erit cauſſa ceſſationis, quod motu eſt auferendum, quare ante primam mutationē erit mutatio prior, qua illud, quod habet vim mouendi, ex otio, & muneris vacuitate traducitur in actum, propriique muneris functionem. Hæc eſt Ariſtotelica argumentatio, cuius vis facilè declinabitur, ſi voluntas eodem ſe habēs modo poteſt idem velle, & nolle; nā in promptu erit dicere primum mouens æternum abſque vlla ſui mutatione, & voluntate ipſius eodem ſe habente ad mouendum acceſſiſſe, ac proinde nequaquam ſequi, vt ante primam mutationem ſit alia prior mutatio. Non igitur voluntas quodpiam vult eodem ſe habens modo, quo illud antè repudiabat. Quod ſi quidpiam ei opus eſt, quod ipſam moueat, & excitet, deinceps quærendum erit, vtrum huiuſmodi mouens ſit naturale, aut voluntarium: Si naturale inducatur, quoniam quicquid eſt huiuſmodi, agit ex naturæ neceſſitate, nec poteſt non agere, id ſic voluntatem mouebit, afficietque, vt ei integrum nequaquam ſit id non velle: quapropter id, in quod voluntas fertur, neceſſario mouebit voluntatem, neque voluntas poterit id non appetere. At ſi voluntarium, rurſus in eandem quæſtionem incidemus, nunquid ſcilicet hoc mouens voluntarium eodem ſe habeat modo, ac antè ſe habebat non mouens voluntatē; an quidpiam ei acceſſerit, cuius effectione fuerit impulſum ad mouendam voluntatem, atque id an ſit naturale, aut voluntarium: quapropter vel progreſſus erit ad infinitum, quod reſpuitur à natura, vel in agē te naturali erit cōſiſtendum, quod cum neceſſariè ſuo fungatur munere, ſic mouebit voluntatem, vt hæc id, quod cupit, expetat neceſſario, nec poſſit non expetere. Hæc eſt horū argumentatio, cui ſi quis fidem habeat, Ariſtotelem putabit ineuitabili rerum neceſſitati magnopere
Cicero. ſuffragari, quod quoque Cicero ſenſit, qui *in lib. de fato* Ariſtotelem in iis philoſophis numerauit, qui cenſuerunt omnia ſic fato fieri, vt fatum vim afferat neceſſitatis, & cum Cicerone Theo-

doretus,

doretus, cuius hæc ſunt *in lib. 6. de curat. græc. affect.* Nicomachi porro filius Ariſtoteles Luna tenus putauit Dei prouidentiam rebus pręeſſe, & ea omnia, quæ infra Lunam continentur, minus Deum curare, ſed eorum gubernationem tradidiſſe fatorum neceſſitati, cui quidem tantum tribuebat, vt non ſolum diuitias, paupertatem, proſperam valetudinem, morbos, ſeruitutem, bellum, pacemque diceret ab hac mortalibus diſpenſari, ſed virtutem quoque ac vitium tribui. Hanc vero eius opinionem Cynicus Oenomaus apertiſſimé accuſauit. Hæc de Ariſtotele ſcribit Theodoretus, quem, & alios de Ariſtotele ita ſentientes egregiè falli non eſt arduum perſuadere: verum ad hoc antequam agrediamur, paucis aperiendum eſt, quid ſit contingens, quot ſint genera rerum contingentium, & quibus ex cauſſis contingentia exiſtat. *Theodor.*

Quid ſit contingens, quot eius genera, & quibus ex cauſſis profluat contingentia. Cap. XXXIV.

PLutarchus *in lib. de fato* definit poſſibile, quod, vt fiat, facultatem habet, atque huius duas differentias ponit, vnam eorum, quæ nunquam poſſunt prohiberi, vt ortus, & occaſus ſtellarũ, alterum eorum, quæ poſſunt prohiberi, vt humana, & quæcunque fiunt in ſublimi, illa vocat neceſſaria, hæc contingentia, quia contingere poteſt, vt in diuerſam partem eueniant. Neceſſarium vero finit tale poſſibile, cui opponitur impoſſibile, & contingens tale poſſibile, cuius etiam contrarium eſt poſſibile. Et vt hæc exemplis illuſtrētur, Solem occidere neceſſarium eſt, tum poſſibile; quod autem ei aduerſum eſt Solem non occidere, id impoſſibile eſt, occidente Sole imbrē fieri contingens eſt, & poſſibile, itidemque contingens, & poſſibile Sole obeunte non delabi imbrem. Rurſus contingentium alia ſcribit plerumque, alia raro, quædam æqualibus in vtramque partē momentis fieri; atque hæc quidem tertij generis in noſtris actionibus locum habere; quæ ſecundi, primiue generis ſunt, ea in rebus naturalibus cerni, nam quod ſub ortum caniculæ æſtus ſit, plerumque contingit, raro quod frigus, deambulare autem, & non deambulare, cæteraque noſtræ voluntati ſubiecta æqualia in vtramque partē momenta habent. Hæc conſentiunt cum ijs, quæ ab Ariſtotele prodita ſunt *in lib. 1. prior. cap. 2.* vbi contingens finitur, quod cum non ſit neceſſarium, ſi exiſtere ponatur, nihil impoſſibile propterea fit: tripartitoque diuiditur, vnum eſt id, quod plerumque fit, vt hominē naſci quinis digitis, aut in ſenectute caneſcere; alterum, quod æquè fit, & non fit, vt ambulare; tertium, quod raro contingit, vt fodiendo theſaurum inuenire; primum in ijs ponitur, quæ natura, aut arte con-

Poſſibilis diffinitio, & differētia. *Neceſſariũ quid.* *Contingēs quid.* *Contingētiũ diuiſio* *Ariſtoteles.*

conſtant; alterum in ijs,quæ fluunt ab hominum conſilio, & volun-
Alexand. tate; tertium in ijs,quæ caſui,ac fortunæ tribuuntur. Huius diſtribu-
tionis Alexander in huius loci commentarijs hanc veluti rationem
reddidit: Neceſſarium eſt tãquam linea quædam porrecta ab omni
tempore in omne tempus,ex cuius ſectione oritur contingens: Hæc
bifariã poteſt fieri vno modo in inæqualia,altero in æqualia,ſi prio-
re fiat modo, naſcuntur duo contingentia , quod plerumque fit, &
Error quorundam. quod raro: ſin poſteriore,exiſtit contingens,quod ex æquo fit,& nõ
fit: Cum igitur hæc ſit natura cõtingentis,patet eos decipi,qui præ-
terea tribuunt contingenti,poſtquam productum eſt , poſſe eſse , &
Contigẽs vbi productum eſt, amittit nomẽ contingentis. non eſse non intelligentes contingens, vbi eſt productum amittere
nomen contingentis,quippe quod eatenus eſt contingens , quatenus
non eſt,poteſtque fieri,& non fieri poſitum in ſuarum cauſarum fa-
cultate,atque huius fidem facit tum deliberatio,quæ cum ſit de con
tingentibus,ſemper eſt de ijs,quæ non ſunt,& nunquam de ijs,quę
genita,factaque ſunt, tum etiam definitio contingentis poſita in lib.
Alexand. 1. prior.analyt.7. in cuius loci commentarijs ſcibit Alexander hac
diffinitione ſignificari contingens non ſolum non eſſe neceſſarium,
Auerroes. ſed nec etiam exiſtens. Ab Alexandro non diſſentit Auerroes, qui
Albumaſar reprehenſus ab Auerroe. propterea in huius loci explanatione reprehendit Albumaſarem ſen
tientem hac diffinitione excludi duntaxat neceſſarium,atque id eſ-
ſe cõtigẽs,quod nõ eſt neceſſariũ,hoc ſiue exiſtat,ſiue nõ exiſtat. Idẽ
quinetiam ex eo intelligitur,quod, vt inquit Ariſtoteles *in lib.* 1. *de
interpret. cap. de futuris contingentibus*, quod eſt , quando eſt , neceſ-
Contingẽtis cauſſa duplex. ſe eſt eſſe: Quamob rem quod iam genitum eſt , quoniam eſt, ſic te-
net eſſe , vt non contingens, ſed neceſſarium ſit ipſum eſse. Porrò
cauſſa,cui contingens acceptum refert,vt poſſit fieri,& non fieri,du
Materia contingentiæ cauſſa plex eſt: Vna eſt materies, quod multis in locis nos docuit Ariſtote
les,nam *in lib.* 1. *de cælo* 136. *in lib.*2 *de gen. & int.* 51. *& in lib.*7. *poſt
nat.* 22 *&* 53. materia eſt cauſſa , vt res poſſit eſſe , & non eſse, hoc
eſt fieri,& non fieri. Hanc cauſſam nonnulli exiſtimant Alexandrũ
Alexand. ſignificaſſe nomine non entis *in lib.* 2. *de anima cap.* 45. ubi hæc ha-
„ bentur: Si entium quædam ſunt ſempiterna,alia autem,quæ corrũ-
„ puntur,nõ ob aliam cauſſam differentia horum in ipſis eſse poteſt,
„ quam ob non entis communicationem : Propter enim miſtionem
Alexãder quid vocabulo non entis intellexerit,opinio quorũdam eius,& temperamentum,præſentiamque infirmitas atque imbecilli-
tas ijs,quæ ſempiterna non ſunt, adueniens prohibet ipſa ſemper
eſse,& eodem modo ſemper ſe habere. In his putant hi Alexandrũ
vocabulo non entis intelligere materiam , atque hanc conſtituere
cauſſam contingentiæ: Hi falluntur,nam cælum non eſse materiæ
expers Alexander ſenſit,vt ſuo fuit loco expoſitum, cui non cõuenit
Reiectio. id,quod ex mixtione non entis tradit Alexander oriri , quippe quod
eſt

Digitized by Google

eſt æternum,experſque interitus; ſed non ens ſignificat Alexandro vel illud non ens,quod accedit rebus,poſt quã interiunt,ex quo Simplicius *in lib.1.phyſ. com,* 15. concludebat res caducas naturales potius in non entibus eſſe numerandas, quam in entibus, quippe quæ plus habent illius,quod eſt non eſſe, quam illius, quod eſt eſſe; nam hoc tenẽt tempore finito,illud vero tempore infinito, vel hoc, quod eſt poſſe non eſſe,nam quæcunque intereunt, eam ob cauſſam intereunt, quia in ſe coercent poteſtatem, per quam poſſunt non eſſe; quæ poteſtas cum deſideratur in rebus ſempiternis, hæ manent ſeculis immortalibus tutæ ab interitu: vel denique quod idem ferè eſt, priuationem,quæ eſt non ens *lib. 1.phyſ.*79. cerniturque in ijs omnibus,quæ cum ſint,poſſint non eſſe,eſtque cauſa, vt quandoque nõ ſint futura. Nec præterea in his affertur ab Alexandro cauſſa contingẽtiæ,ſed exponitur,ecquid cauſæ ſit, cur entium alia ſempiterna ſint,& alia caduca. Inter vero caducum, & contingens multum intereſt,nam quod vocatur contingens, cum non ſit,poteſt fieri, & non fieri,quod autem eſt caducum, id cum ſit, poteſt non eſſe. Illud Pererius cum ignoraret. *in lib.9. de principijs, & communibus rerum naturalium affectionibus cap.* 14. Alexandrum accuſauit, quod hoc in loco non probè expoſuerit cauſſam contingentiæ. Porro cum dicimus materiam eſſe cauſſam, vt res poſſit fieri & non fieri, atque materiam in rebus naturalibus parere contingentiam, cauendũ eſt, ne vocabulo materiæ intelligamus ſimpliciter, & abſolutè naturã ſub ectam, & informem, quam notionem omnes illi vſurpant, qui cauſſam contingentiæ in materiam conferunt, ſed intelligenda eſt natura ipſa ſubiecta coniuncta cum priuatione,& poteſtate excipiendi nouas,contrariaſque formas,quo modo accepta verè, ac propriè, vt alias docuimus,materiæ nomine nuncupatur: Hæc eſt cauſſa, vt res poſſit fieri,& non fieri,quoniam quæ illius eſt natura, non magis eſt apta formam aliquam ſuſcipere, quàm cum eiuſdem priuatione coniungi;& cum eadem ſit materia contrariorum, nõ magis eſt idonea ad hanc formam excipiendam, quam ad contrariam induendam,quapropter fit,vt propter materiam res poſſit fieri, & non fieri. Accedit naturam materiæ eſſe indefinitam,& aptè natam cujuſq; agentis effectioni ſubiici, qua è re ſi in alicuius rei generatione aliquod efficiens incidat, cui data ſit facultas aliam, diuerſamque formam inducendi, materia non repugnat, ſed huic quoque ſeſe præbet habilem,& idoneam ad formam,quæ in eius facultate poſita eſt,excipiendam,quo fit,vt,quod pertinet ad materiam res,quæ verſatur in generatione,non poſſit generari. Altera cauſſa contingentiæ eſt contrarium, ſiue cauſſarum efficientium contrarietas: Enim verò cum contraria pugnent inter ſe, alterumque alterius effectionem impe-

Opinio propria. Sĩplicius.

Pererius error.

Materia, vt ſit cauſſa contingentiæ.

Cauſſarũ efficientiũ contrarietas cauſſa contingentiæ.

impediat, & euertat, atque cauſsæ efficientes proximæ rerum nati uarum ſint contrariæ inter ſe, ad agendumque primis vtantur qualitatibus, quarum magna eſt contrarietas, hinc fit, vt ſi in alicuius rei generatione efficiens contrarium accedat, quod habeat vires validiores, hoc poſſit illam impedire, ſuaque vi efficere, ne finem, ad quem progreditur, attingat. Duæ igitur ſunt cauſſæ contingentiam pariẽtes, quæ inter ſe ſic cohærent, vt altera ſine altera non ſubſiſtat. Has cauſsas ſignificauit Ariſtoteles *ad calcem lib. 4. de gen. animal.* vbi ſtatuit cauſsas, quibus generationes ſecundum naturam impediuntur, eſse materiæ indefinitionem, multaque principia incidentia, quæ principia ſunt efficientia contraria inter ſe pugnantia. Cæterum hæ cauſsæ contingentiæ non ita patent, vt in rebus omnibus, in quibus contingentia cernitur, efficiant contingẽtiam, nam cum res contingentes vel ex cauſſis naturalibus exiſtant, vel hominum voluntate cõſtent, quæ ſunt naturæ opera, hæ cauſsas ſuæ contingentiæ poſitas habent in materiæ indefinitione, & cauſsarum efficientium contrarietate, vt expoſuimus, quæ vero ab hominibus fiunt, eæ, quod ſecus, atque eueniunt, poſſint euenire, conſequuntur per liberam hominum voluntatem: Enim vero cum homines liberi ſint, neque alicuius pareant imperio, ita in ſuis verſantur actionibus, vt in ipſis ſitum ſit eas inchoare, & non inchoare; atque inchoatas vel abſoluere, vel abijcere, & abiectas iterum aſsumere, atque aſsumptas rurſus deponere, ad aliaſque ab his diuerſas aggredi: Quapropter in huiuſce generis rebus ſola hominum voluntas eſt cauſsa contingentiæ. Noſtri Theologi his cauſſis adiungunt Dei voluntatem, quam aſſeuerant eſse fontem, primamque radicem contigentiæ, quo autem modo ex hac fluat contingentia, D. Thomas *in p. p. queſt.* 17. *art.* 8. ita explicat. Cum cauſsa eſt efficax ad agendum, hoc eſt, cum cauſsa eam habet efficacitatem, vt ſuum finem valeat conſequi, nec à quopiam poſſit impediri, ne ad hunc perueniat, id, quod efficitur, non ſolum oritur, verum etiam eo modo fit, & eſt, quo cauſsa voluit ipſum fieri, & eſse, atque id nullam prorſus habet dubitationem: ſed diuina voluntas ſummam habet in agendo efficacitatem, quæcunque igitur fiunt à diuina voluntate, non ſolum oriuntur, verũ etiam eo modo generantur, & ſunt, quo illa oriri, & eſse in diuina voluntate poſitum eſt, uerum ne hæc vniuerſitas quippiam deſideret, quod faciat ad ſuam perfectonem, Deus vult alia fieri neceſsario, & alia contingenter, & propterea cauſsarum alias ſtatuit neceſsarias, & à ſuo fine nunquam deflectentes, a quibus illa producerentur, & alias uariis impedimentis obnoxias, a ſuoque fine quandoque aberrantes, à quibus hæc procrearentur: ergo quod in hac rerum vniuerſitate locus ſit rebus contingentibus, ad diuinam voluntatem eſt maximè referendum,

Ariſtotel.

Hominũ libera voluntas cauſſa contingentiæ.

Dei voluntas cauſſa contingentiæ.

D. Thom.

rendum,

rendum, in cuius decretis eſt ea, quorum natura eſt contingens, ſua præſentia complere hanc pulcherrimam vniuerſitatem, ne quippiã deſit ei, quod eius conducat perfectioni, & pulchritudini. Pererius *in loco ſupra memorato* exiſtimat hanc D. Thomæ explicationem eſſe mancam, & ex ea non intelligi veram rationem, & cauſſam omnis contingentiæ. Enim verò tametſi diffitendum non ſit contingentiam, quæ cernitur in rei generatione, exiſtẽtia, & muneris functione pendere ex voluntatis diuinæ efficacia, attamen ſi contingentia ſpectetur, vt eſt proprietas quædam per ſe conſequens eſſentiam rei, eius cauſſa non poteſt eſſe diuinæ voluntatis efficacia, quod in hanc non rectè coniiciatur cauſſa proprietatis alicuius rei, nõ enim dicimus Deum eſſe cauſſam, cur homo ſit aptè natus ad ridendũ, ſed hæc cauſſa in intimis rei principiis eſt inueſtiganda. Hic hallucinatur, tum quia putat cauſſam proprietatis in ſe, cuius eſt proprietas, eſſe perquirendam, nam cum id, quod eſt cauſsa proprietatis, non ſit aliud ab eo, quod eſt cauſsa rei, cuius eſt proprietas, atque hoc poſitũ ſit extra id, cuius eſt cauſsa, proprietatis cauſsa non in iis, quæ intus in re, cuius eſt proprietas, poſita ſunt, eſt inquirẽda, ſed in ijs, quæ extra conſiſtunt: tum etiam quoniam exiſtimat contingentiã eſse proprietatem hærentem in re, quæ vocatur contingens, nam hæc eatenus eſt contingens, quatenus non eſt, & poteſt eſse, ac non eſse, ſicut fieri, & non fieri, quod autem non eſt, id nullam in ſe continet proprietatem, ſed eſt affectio cauſsarum rei contigentis, quæ illius ſunt modi, vt ex ipſis, & ab ipſis res contingens poſſit fieri, & non fieri: Quod autem hæ cauſsæ ſint huius modi, non intelligo, cur ad diuinæ voluntatis efficacitatem tanquam ad ſuam primam radicem non poſſit referri: etenim, vt inquit Hilarius *in lib. de Synodis*, illius modi ſunt creaturæ, cuius has eſse Deus voluit. Sed quid ſit contingẽs, quot huius differentiæ reperiantur, & ex quot, quibuſque cauſſis idẽ exiſtat, hactenus dictum ſit.

Pererius contra. D. Tho.

Pererii error.

Proprietatis cauſſa non eſt intrẽda ĩquire, cuius eſt proprietas.

Hilarius

Ariſtoteles poſuit in rebus, quæ natura fiunt, contingantiam, & in nobis liberam agendi facultatem. Cap. XXXV.

HIs ita expoſitis arduum non erit intelligere illos omnes turpiſſimè falli, qui tribuunt Ariſtoteli, quod omnia alligauerit neceſſitati, eieceritque è rebus, quæ natura fiunt, contingentia, & è nobis liberam agendi facultatem, ſi quidem cum triplex ſit rerum contingentium diderſitas, nam quædam rarò eueniunt aliæ æquè fiunt, & non fiunt, & quædam plerumque oriuntur, nulla eſt, quæ Ariſtoteli non fuerit probata: Et primum *in lib. Ethic. & de Repub.* perſpicuè admittit res illas contingentes, quæ ex æquo fieri, & non fieri

Contingẽtium triplex diuerſitas.

poſsunt,ſuntque in hominis poteſtate, nam *in lib. 3. Ethic. ad Nicom. cap. 3.* ſcribit nos de iis rebus conſilium capere, quæ ſunt in noſtra poteſtate; & *in cap. 5.* vult in nobis ſitum eſse, vt honeſta, & turpia agamus, atque vt probi, improbiue ſimus: Sed nihil eſt, vt id multis confirmetur, quod libera hominum voluntate tanquam fundamento nitatur vniuerſa, quæ in rebus agendis conſumitur, philoſophia; & libera hominum voluntas ſic cohæret cum hoc genere cõtingentis, vt hoc ſublato illa manere non poſſit. Quæ autem rarò eueniunt, ſuntque huius modi, vt poſſint fieri, & non fieri, confirmant ea, quæ de caſu, & fortuna fuerunt diſputata in lib. 2. phyſ. At verò quæ fiunt plerumque, ea non fuiſse ab eodem neglecta liquet cum ex variis locis, tum ex iis, quæ ad calcem lib. 4. de gen. animal. habentur, quæque ſunt: Conuerſionis verò eorum ſiderum alia fortaſſe principia ſunt; natura igitur ſibi vult, vt eorum numeris generationes & obitus numeret, ſed exquiſitè id facere nequit propter materiæ indefinitionem, & quod multa principia incidũt, quæ generationes deſtinatas ſecundum naturam, & corruptiones ſæpè impediant, atque ita cauſſa ſint eorum, quæ veniunt præter naturam. His alios Ariſtotelicæ doctrinæ locos adiungere, multaque argumenta afferrem ex placitis Peripateticis decerpta, atque his conarer demonſtrare Ariſtotelem longè ab fuiſſe ab illorum opinione, qui fato, ineuitabilique neceſſitate omnia fieri putarunt, niſi intelligerem me fruſtra laborem eſſe ſuſcepturum, cum nemo ſit vel mediocriter in eius doctrina verſatus, qui nemine admonente non ſit intellecturus eos in magna decretorum Ariſtotelicorum eſſe poſitos ignoratione, qui tribuunt Ariſtoteli, quod omnia fatorum ſubiecerit neceſſitati. Ad prioris opinionis argumentum reſpondetur nihil, quod ſit caducum, & materiatum, à Deo proximè fieri, qui de ſententia Ariſtotelis, vt in diſputatione de mentibus à materia ſeparatis latius declaraui, non ſuſtinet rationem cauſſæ veræ effectricis, ſed eſt ille ſupremus finis, cuius grat a agunt omnia, quæcunque natura agunt. Deinde ſi poſitum quoque fuerit Deũ eſſe primam cauſſam effectricem, cauſſæ tamen ſecundæ non facerent quidquã neceſsariò, quoniam virtus, qua vtuntur ad agendum, non eſt virtus Dei, primæque cauſſæ effectricis in eis recepta, ſed earum propria; ipſæque ſic natura ſunt comparatæ, vt poſſint impediri, ne veniant ad finem, cuius gratia laborant. Nec verè dicitur cauſsas ſecundas eſse Dei, primæque effectricis cauſsæ inſtrumenta, quoniam inſtrumenti nulla eſt virtus præter eam, quam accipit à cauſsa, cui ſeruit, atque non ſecus agit, ac moueatur à cauſsa, quæ ipſo ad agendum vtitur, & cauſſæ ſecundæ inſitas habent virtutes, quæ comitantur ſuas naturas, quibuſque ita agunt, vt ſua actio non ſit actio cauſsæ principis, ſed earũ propria,

Ad argumentum Auicennæ reſponſio.

Cauſſæ ſecũdæ non ſunt Dei, & primæ cauſſæ inſtrumẽta.

Inter cauſſam ſecundã, & inſtrumentum quid interſit.

propria, quamquam nequeat agere, niſi & cauſsa princeps ſuam adhibeat efficientiam. Alterius vero opinionis argumento, quod fuit Pomponatij, ita obuiam itur. Fieri non poteſt, ut noſtra voluntas ex velle ad nolle transferatur, aut contra ex nolle ad velle, niſi in ea mutatio antecedat, quoniam voluntas eodẽ ſe habens modo fertur ſemper in idem: Hæc autem mutatio fit in voluntate ex ratiocinatione concludente, quod bonum videbatur, malum eſse; vel quod malum exiſtimabatur, bonum eſse, cui voluntas ſemper ſeſe adiungit. Cæterum homo dicitur liber, ſuique iuris, & mancipii, quoniam cum ſenſu, ac mente præditus ſit, quæ partes animi eadem de re vt plurimũ contraria iudicia faciunt, nam quod ſenſus præſens attendens, nec ſpectans a tergo indicat eſse bonum, id mens in futurum proſpiciẽs malum eſse decernit, ei integrum eſt in actu eligendi, & in ſelectione huic, vel illi accedere, huius vel illius iudicium ſequi; atque idẽ velle, aut nolle. Hic verò aliquid expetens, quod exiſtimet id ſibi eſse emolumento, facilè poteſt idem reſpuere, ac nolle, quia poteſt contingere, vt noua ratiocinatione inductus id malum eſse decernat, quod fallaci iudicio bonum eſse ante putabat. Homo igitur non eodem ſe habens modo, neque ab aliquo mouente vel naturali, vel voluntario impulſus, ſed à ſe ipſo inductus noua ratiocinatione, nouoque conſilio accedente traducitur à velle ad nolle, & contra a nolle ad velle, qua de re integrum eſt illi agere, & non agere. *Ad argumentum Pomponatii reſponſio.*

Nunquid ſi Deus ageret ex naturæ neceſſitate, futurum ſit, vt quæ fiunt, neceſſariò fiant. Cap. XXXVI.

SCotus *in lib. 1. ſent. diſt. 2. quæſt. 2. diſt. 8. qu. 5. & diſt. 30. qu. 1. atque in lib. 2. diſt. 1 quæſt. 3.* tãetſi non diffiteatur Ariſtotelem non eſse in numero eorum, quibus diſplicuit & libera hominũ voluntas, & natura rerum contingens, attamen ſentit illam in horũ opinionem imprudenter abiiſſe, dum induxit Deum neceſſitate quadam naturali in ſuis functionibus verſari, ſiquidem hoc poſito neceſſum eſt omnia fieri neceſſario, & nihil contingenter. Porrò Ariſtotelem voluiſſe Deum ad agendum accedere neceſſitate naturali adductum, vnde poſſit intelligi, non eſt, vt exponam, quod in diſputatione de mentibus à materia ſeparatis id abundè explicauerim. Cõſequi verò, ſi Deus per modum naturæ, & neceſſitate naturali inductus agat, vt omnia fiant neceſſario, Scotus his perſuadet: Cauſſæ ſecundæ, quæ ſunt inſtrumenta Dei, cauſſæque principis, ea conditione accedunt ad agendum, qua mouẽtur à Deo, primaque cauſſa: verũ à Deo mouentur neceſſariè, quippe qui cũ in ſuis officijs verſetur ex naturæ neceſſitate, ſic mouet, vt non poſſit nõ mouere; ergo ipſæ *Scoti argumenta. Primum.*

quoque mouebunt neceſſario, & quicquid fiet ab ipſis, id ſic fiet, vt oriatur neceſſario, vt ſecus oriri nequeat. Deinde cauſſa prima in rebus producendis prius natura ſuam efficientiam adhibet, quam cauſſæ ſecundæ, ergo ſi cauſſa prima naturali neceſſitate ſuo munere fungatur, quicquid efficietur, id ratione ipſius habita erit neceſſariũ, nec vllo pacto ex cauſſis ſecundis ſibi poterit aſſerere naturam rei contingentis, nam cum ex prima cauſſa conſequutum fuerit neceſſitatẽ, ſic comparatum eſt, vt a cauſſis ſecundis non queat excipere naturã contingentem, quod nulla res ſit ſimul contingens, & neceſſaria aut reſpectu eiuſdem, aut reſpectu diuerſorum. Amplius quicquid à cauſſis ſecundis producitur, id omne eandem prorſus naturam tenens abſque vlla cauſſarum ſecundarum opera poteſt à Deo proximè fieri: atqui ſi Deus agat naturæ neceſſitate, quicquid proximè fiet ab eo, id neceſſario fiet, ergo ſi Deus agat per modum naturę, nulla erit res, cuius natura ſit contingens, ſed omnis, qualis qualis ſit, erit neceſſitati alligata. Hunc in modum efficitur à Scoto ex eo, quod Deus naturæ neceſſitate ſuis in officiis verſetur, omnia fieri neceſſario, cuius perſuaſionibus cum Alfonſus de Caſtro fidem haberet, *in lib. 7. aduerſus hæreſes* tribuit Petro Abailardo ſententiam Deum agere naturæ neceſſitate, quod crediderit nihil contingenter accidere, & omnia, quæ fiunt, ſimplici, abſolutaque neceſſitate fieri. Verum Scotus fruſtra laborat, eiuſque perſuaſiones momentum non habent: Et primum harum fundamentum non rectè in eo poſitum eſt, quod Ariſtoteles ſenſerit Deum agere naturæ neceſſitate, nam, vt in diſputatione de mentibus à materia ſolutis monſtraui, cũ Ariſtoteles nullam effectionem conceſſerit Deo, qua is extra ſe quippiam materiatum, & corporeum efficiat, de illius ſententia Deus nec liberè, nec naturæ neceſſitate quippiam efficit. Et ſi quiſpiam ad Ariſtotelis ſententiam voluerit Deo tribuere effectionem, qua hic extra ſe quippiã efficiat, nõ propterea is neceſſe habebit fateri Deum hoc munus obire naturæ neceſſitate, nam, vt inquit Auerroes *in Sol. 1. dub.* Deus neque naturali neceſſitate, neque contingenter, ſiue ea voluntate libera, qua donati fuerunt homines, ad agendum accedit, ſed modo quodam præſtantiſſimo longè, ac multum ſuperante agendi modũ per liberam hominis voluntatem, qui ab authore ſecretioris ſecundum Aegyptios philoſophiæ *in lib. 6. cap. 1.* ſtellis fuit conceſſus, & nobis obſcurus ſoli Deo cognitus eſt; nam Deus ſic excellit, vt in ipſum nõ cadant ea, quæ reliquis poſt ipſum cauſſis efficientibus accommodãtur. Porro ſi conceſſum quoque fuerit Deum agere naturæ neceſſitate, quod Ariſtotelem ſenſiſſe non pauci Peripatetici arbitrantur, nunquid hinc ſequatur omnia fieri neceſſariò, & nihil contingẽter, magnam habet dubitationem, & ego in hac quæſtione partis inficiantis

Secundũ.

Tertium.

Deus non agit natura neceſſitate.

Deus quo modo agat ex Auerroe.

Author ſecretioris ſecundum Aegyptios philoſoph.

Deus ſi inducatur agere natura neceſſitate, non ſequitur omnia fieri neceſſario.

cian'is ſum approbator, quoniam cum certum ſit multitudinem ab vnitate, motum ab eo, quod eſt immobile, & diuerſis ſe habens modis ab eo, quod ſemper eodem ſe habet modo procedere, non eſt, vt cuique ſit credatu difficile id, quod eſt cōtingens, varioque modo poteſt ſe habere, a re ſimpliciter neceſsaria, nec vnquam ſecus ſe habente ſuam ducere originem: Et ſanè cum cauſsæ contingentiæ ſint materiæ indefinitio, cauſſarum efficientium repugnantia, & libera hominum voluntas, atque hæ cauſsę maneant incolumes, ſi Deus agat naturæ neceſſitate, non eſt, vt cuiquam mirandum accidat, ſi contingentia, quæ ſequitur has, non euertitur. Eiuſdem partis approbator eſt Caetanus qui *in p.p. D. Thomæ quaſt.* 19. *art.* 8. non diſſimili argumento eam confirmat, quod eſt: Licet Deus ageret ex naturæ neceſſitate, nihilominus quoniam homines haberent liberam agendi facultatem, & cauſsæ ſecundæ ſic eſsent comparatæ, vt poſſint à fine propoſito aberrare, ſuiſque effectionibus nihil mutuò repugnare, ac afferre impedimentum, nulla eſt ratio, cur è naturæ vniuerſitate cōtingentia rerum eiiciatur. Dominicus Bannes *in huius loci D. Thomæ com.* ſentit, ſi Deus vtatur hoc agendi modo ex naturæ neceſſitate, fore quidem, vt contingentia conſtet in rebus naturalibus, verum liberam hominum voluntatem eſse naturam, quod his perſuadet: Si Deo ex naturæ neceſſitate agente liberæ hominum voluntati locus relinquatur, quæritur, nunquid hæc a ſe, an a Deo moueatur. Si ponatur moueri a ſe, conficitur, vt Deus non ſit primum mouens: ſin à Deo, quoniam hic mouet ex neceſſitate, ſequitur, vt ea moueatur neceſſario, & propterea non ſit libera. Deinde ſicut prima ſapientia ſublata ruit omnis ſapientia eodem modo deſtructa voluntate, quæ primū eſt libera, neceſse eſt deſtrui quamcunque liberam voluntatem, ſed Dei voluntas eſt prima voluntas libera; hæc igitur ruere non poteſt, niſi reliquæ voluntates liberæ eadem ruina labefactatæ concidant. Haud diſſimili argumentandi ratione vtitur Suarezius, cui hoc decretum fuit probatum *in diſput.* 19. *poſt nat. ſect.* 3. nam ita argumentatur: Si Deus non haberet liberam agendi facultatem, non erit, vnde hanc participet natura creata. Adiungit, ſi aliqua cauſsa ſecunda eſſet capax libertatis, hanc cauſsam vel maximè fore naturam creatam intelligentiæ compotem; verum ſi Deus non eſt compos libertatis, nec etiam huius compos erit vlla natura creata, quæ habeat vim intelligendi: Huius conſequutionis ea eſt ratio, quia Deus per eſsentiam eſt natura intelligens, natura verò creata per participationem. His non aſsentior, horumque rationes nihil facio. Prima eſt leuis, quoniam libera hominum voluntas dum ad aliquid agendum concitatur, a Deo nequaquam accipit motum, ſed in ſe ipſa cōtinet vim, qua ab obiecta re excitata mouetur ad agendum: Neque hinc ſequi-

Caetanus

Dominici Bānes opinio.

Argumentū primū.

Alterum.

Suarezii argumentatio.

Ad primū argumentū Bānes.

Digitized by Google

ſequitur Deum non eſse primum mouens quoniam ratio primi mouentis non eſt in hoc ſita, quod eſt mouere omn a reliqua mouentia, atque his vim mouendi impertire, ſed in hoc, vt reliqua poſt ipſum mouentia nequeant quicquam agere, niſi & ipſum ſuo fungatur officio. Hæc autem primi mouentis effectio non ſuſcipitur a cauſſis ſecundis, ſed ab ijs, quæ efficiuntur, & mouentur. Præterea cum Bannes putet cauſsas naturales ſecundas moueri a Deo, nec propterea amittere id, quod eſt poſse facere, & non facere ſua effect , non ſatis intelligo, qua ratione adductus velit in hominum volūtate, quia mouetur a Deo, naturam fieri libertatis, & hanc neceſsario mouere, nā eadem ratione cauſsæ ſecundæ, quæ mouentur a Deo, in ſuis effectionibus neceſsariè, & non contingenter verſarentur. Altera ſumit vnum, quod eſt valde dubium, videlicet Dei voluntatem eſse primā liberam voluntatem, nam qui affirmant Deum naturæ neceſſitate in ſuis officijs verſari, huic ſumptioni fidem ſuam abrogant. Proxima, quæ eſt Suarezij, non viget, quia non eſt neceſse quicquid perfectionis conceſsum eſt corporibus creatis, id in Deo propriè, ac per modum formæ poſitum eſse: Et ne longius abeamus, virtutes, quæ in moderandis animi affectibus vertuntur, adeo magnam afferunt hominibus perfectionem, vt in his non minima pars eorum felicitatis videatur collocata, & verò has indignum eſt tribuere Deo, in quē nullæ poſsunt cadere animi poſtulationes. Neque ferendus eſt Muſonius, qui apud Stobæum *in ſerm.* 118. *de laudibus ſenectutis* in Deo poſuit hac virtutes, per quarum præſentiam putauit eum non poſſe vinci ab auaritia, & voluptate, atque omnem cupiditatem, inuidiam & æmulationem ſuperare, non intelligens Dei naturam ita excellere, vt non ſit capax preuarum cupiditatum, ac reliquarum animi affectionum, quæ furias immittūt in vitam, ac propterea ei nullis opus eſse virtutum officiis, quæ, vt inquit Ariſtoteles *in lib.* 10. *Ethic. ad Nicom. cap.* 8. continent laudem perexiguam, Deique maieſtate indignam. Nec vero aduerſarius reſpondeat omnem perfectionem ab imperfectione diſiunctam in Deo ponendam eſse, & non perfectionem, cui ſit aliqua imperfectio coniuncta, atque idcirco Deum non carere agendi libertate, quæ longè abeſt ab omni imperfectionis labe, minimè vero virtutes morum continere, quæ non ſunt abſque aliqua illius, cui tribuuntur, imperfectione, quoniam libertas agēdi, quę cernitur in hominibus, eſt connexa cum aliqua imperfectione, quippe quæ illius duntaxat propria eſt, cui data eſt vis boni, malique agē di, quodque capax eſt mutationis. Quod ſi dixerit Dei libertatem eſſe immutabilem, atque id, quod eſt optimum, ſemper potere, planè cum libertas hominibus conceſsa ſit ab hac Dei libertate magnopere diuerſa, huiuſque in ſolo nomine affinis, non perſpicio, qua ratione neceſsaria

Mouentis primi ratio in quo poſita.

Ad alterū

Ad primū Suarezii.

Virtutes morales non ſunt in Deo ponenda.

Muſonius.

Ariſtotel.

Reſponſio.

Reiectio.

neceſſaria concludatur in Deo ponendam eſſe libertatem, cuius homines fiant participes. Poſtrema reprehenditur, quod ſola quidē natura intelligens ſit capax liberæ hominum voluntatis, verum non omnis, ſed ea ſola, quæ eſt mutabilis, conſultatque de rebus agendis: Qua è re quoniam Deus nullam poteſt mutationem accipere, nec vnquam de ijs, quæ aguntur à ſe, deliberat, conſiliumque capit, non eſt, vt hic temere donetur ea libera agendi facultate, quæ fuit à natura hominibus impertita.

Ad alterum.

Suarezius *in diſput. & ſect. proximè recitatis* exiſtimat, ſi Deus ageret naturæ neceſſitate, atque homines ſint donati libera agendi virtute, fore, ut huius vſus impediatur, quando quidem ſi Deus agat hoc modo, eum oporteat ſuam vim vniuerſam conferre, quæ cum ſit infinita, ita mouebit hominum voluntatem, vt huic afferat neceſſitatem: quocirca in hominibus non erit vſus libertatis.

Suarezii opinio.

Hic non rectè exiſtimat, quoniam cum id, cuius eſt aliquis vſus, propter hunc ſit comparatum, planè vſu ſublato illud non poterit mouere, ne ſi maneat, otioſum, & ſine opere maneat, quod natura non admittit: qua de re ſi quis ſtatuat nullum eſſe vſum libertatis, huic quoque ſtatuendum eſt nullam eſſe libertatem. Nec prætereа ſuam exiſtimationem firmiter confirmat, quoniam quicunque ex Peripateticis inducunt Deum naturæ neceſſitate agentem, iidem ſentiunt hunc non proximè mouere noſtram voluntatem, & aliquid eorum, quæ in mortalium corporum vniuerſitate continentur, ſed ſolum primum cælum agere in orbem, atque hac ratione eſſe cauſſam communem eorum, quæ natura generantur; neque huic tribuunt vires agendi infinitas, quod probè ſciant has non poſſe cohærere cum vlla ſubſtantia, quæ agat neceſſitate naturali compulſa, atque agendo totum ſuum conatum adhibeat, niſi ordo vniuerſi diſrumpatur, cauſſæque ſecundæ ſint ſuperuacaneæ, nihilque prorſus agentes. Ex his conſtat, ſi quiſpiam de ſententia Ariſtotelis ſtatuerit Deum agere naturæ neceſſitate, huic confitendum non eſſe omnia fieri neceſſario, & nihil contingenter.

Confutatio.

Neque ad contrarium perſuadendum quicquã faciunt Scoti perſuaſiones: quarum prima diluitur, quoniam ſi Deus ſuſtineat rationem primæ effetricis cauſſæ, dũ cauſſis ſecundis coniunctus ad agendum accedit, non primo, & proximè agit in cauſſas ſecundas, ita vt his mediis interiectis agat, & hæ agant virtute, quam a prima cauſſa excipiũt, ſed proximè agit in id, quod efficitur, & actione diſtincta à cauſſarum ſecundarum actionibus, qua de re ſi fingatur neceſſitate naturali agere, nõ oportet cauſſas ſecundas neceſſario agere, quoniam agunt non eius actione, quia ab eo moueantur, ſed propriis actionibus, quæ cum poſſint impediri, efficitur, vt quæ fiunt, ea non fiant neceſſariè. Nec momentum habet, quod cauſſæ ſecundæ dicantur agere virtute primæ cauſſæ effectricis,

Ad primũ Scoti argumentũ reſponſio prima.

Digitized by Google

Cauſſa ſecūdæ quo pacto dicā tur agere virtute cauſſæ primæ.

Cauſsæ ſecundæ, & inſtrumēti diſcrimen.

Altera reſponſio.

ctricis, quoniam id eo pacto eſt intelligendum , vt cauſſæ ſecundæ
agant virtute quidem propria, verum quæ à primordiis ſuæ genera
tionis fuit eis impertita a prima cauſſa effectrice, & ab eadem conſer
uatur; quæque eſt huius modi, vt ſit otioſa, niſi coniungatur cū pri-
mæ cauſſæ effectricis actione; atque hoc intereſt inter cauſſam ſecū
dam, & inſtrumentum; nam hoc agit virtute innata, ſed aduentitia,
& a cauſſa, cui ſeruit, fluente. Atque hæc Scoto non ſunt inaudita,
qui *in lib. 4. ſent. diſt. 1. quæſt. 1. ſub exitum* non ſecus videtur ſentire,
vbi hæc habet. Intelligendum eſt, quod nihil poteſt agere in quocū-
que ordine agendi niſi propria virtute, ſicut enim dictum eſt ſupra,
quod niſi habeat formam actiuam, & intrinſecam, non poteſt om-
nino agere, ita etiam niſi habeat propriam virtutem intrinſecam,
quia illa forma eſt virtus, quod ſi prius non habuit formam, vel vir-
" tutem, & nunc agit in aliquo ordine, oportet, quod nunc de nouo
" habeat formam, & virtutem in illo ordine, eadem enim natura ma-
" nens abſque omni mutatione nullo modo eſt nunc actiua, nunc non
" actiua, ſed tamen agens dependens ab alio dicitur agere in virtute al
" terius, quia virtus agentis non ſufficit ſine illa virtute, a qua depen-
" det: magis tamen dicitur inſtrumentum agere in virtute alterius,
" quam cauſſa ſecunda, quia plus dependet ab agente ſuperiori illud,
" quod non habet formam actiuam in eſſe quieto, ſed tātum recipit in
" actuali motione, quam illud, quod habet formam actiuam in eſſe
" quieto. Cauſſam etiam ſecundam, id eſt, quæ habet formam actiuam
" in eſſe quieto, agere in virtute alterius non eſt recipere tunc aliquid
" ab illo altero, ſed tantum habere ordinem inferiorem ad illud alte-
" rum agens in ſuo ordine ſimul: Sed inſtrumentum, id eſt recipiens
" formam actiuam in motione agere in virtute alterius eſt tunc acci-
" pere actualem formam ab eo, per quam agit; & ex hoc patet, quod
" cauſſæ primæ in cauſſam ſecundam propriè dictam, quando ſimul
" agunt, non eſt influentia noua, quæ ſit creatio alicuius inhærentis
" cauſſæ ſecundæ, ſed influentia ibi eſt determinatus ordo iſtarum cauſ
" ſarum in agendo effectum communem. Inſtrumentum autem quā-
" do agit, recipit influentiam propriè ab eo, cuius eſt inſtrumentum,
" quia motionem actualem, & in motione formam, per quam agit in
" ſuo ordine. Præterea ſi conceſſum etiam fuerit id, quod aſſumitur in
hac argumentatione, Deum ſcilicet primamque cauſſam communi-
care ſuam vim, & effectionem cum cauſſis ſecundis, atque has agere
tanquā inſtrumenta, quæ moueantur a prima cauſſa, non eſt, vt hinc
conficiatur ea, quæ fiunt, ſic fieri, vt ſecus fieri non poſſint, quoniam
virtus Dei licet in ſe, atque ipſo Deo ſit neceſſaria, attamen in cauſ-
ſis ſecundis poſita ſuæ neceſſitatis iacturam facit, quod harum cauſſa
rum natura mutabilis non ſit habilis, & accommodata ad vim ne-
ceſſariam

Digitized by Google

ceſſariam excipiendam, nec poſſit hanc, niſi mutabiliter accipere: Non enim motio, & effectio cauſsæ principiis iu cauſsas ſecũdas immittitur pro ipſius cauſæ principiis cõditione, ſed pro natura cauſſarum ſecundarum, quoniam quicquid accipitur, id pro ratione non illius, quod tribuit, ſed illius, cui tribuitur, ſuſcipitur; Cauſsæ igitur ſecundæ non mouent, niſi moueantur à prima, verum non eo pacto mouent, quo cauſsa princeps, ſed vt fert natura propria, hæc autem quoniam eſt contingens, atque mutabilis, ſequitur, vt mutationi, ac varietati obnoxia ſit non ſolum earum motio, ſed etiam cauſsę principis motio, quæ cauſſis ſecundis fuit impertita, & qua princeps cauſsa ſimul cum cauſſis ſecundis verſatur in caducis rebus gignendis. In ſecunda perſuaſione ſumit Scotus cauſsam primam in rerum generatione prius ſuam adhibere efficientiam, quam cauſsas ſecundas, quod non eſt concedendum, nam id, quod fit, non prius a prima attingitur, quam a ſecunda, ſed ambæ vna iunctæ conſtituunt vnam integram cauſsam, cum neutra per ſe ſolitaria non ſit ſatis ad faciendam generationem. De tertia dicerent illi, qui ad Ariſtotelis ſententiam inducunt Deum naturæ neceſſitate agentem, hunc non poſse quicquam proximè efficere eorum, quæ natura generãtur, ſed cauſſarum ſecundarum miniſterium ſemper efflagitare, atque adiungerent, ſi res naturales à ſolo Deo proximè fierent, fore ſanè, vt omnia fiant neceſsario, nec vllus ſit locus contingentiæ, verũ cum hæc vniuerſitas ita fuerit conſtituta, vt Deus, & cauſsæ ſecundæ vna conueniant ad res gignendas: atque ex his, & illo vno integra cauſsa coaleſcat, non ſequitur, vt omnia fiant neceſsario, tametſi Deus agat neceſſitate naturali impulſus, quoniam cauſsæ ſecundæ poſsunt impediri, ne agant, a ſuiſque finibus deflecti, ac detorqueri, & vt quippiã fiat neceſsario, omnes eius cauſsas oportet eſse huius modi, vt nihil eis poſſit eſse impedimento, quin agant, ſuoſque fines attingant.

Ad ſecundum.

Ad tertiũ.

Conſideratio argumenti ex Dei cognitione deſumpti, quo Stoici omnia fieri neceſſario conati ſunt perſuadere. Cap. XXXVII.

CVm quæ ex Ariſtotelis doctrina decerpta videbantur ſuadere cuncta ſic fieri, vt ſecus fieri nequeant conſiderauerimus, ſequitur, vt deinceps Stoicorum argumentum veniat in conſiderationem, quod negotii adeo plenum, confutatuque ſic difficile ſemper eſt habitum, vt videri poſſit multos non iniuria in eam abductos eſse opinionem, quæ contingens abrogat. Huic argumento duæ ſunt rationes occurrendi, vna eripit Deo contingentium futurorum cognitionem: altera modum aperit, quo Deus queat futura contingentia cognoſcere ita, vt hæc ſuam naturam ſeruent mutabilem, ac contingentem. Priorem rationem amplexus eſt Alexander *in lib. de fato*

Stoicorũ argumento duæ rationes occurrendi.

Vu *cap.*

Alexādri responſio. *cap.*16.ea ratione inductus,quoniam Dijs nihil,quod ſit impoſſibile, concedendum eſt,& impoſſibilis eſt futurorum contingentium precognitio,quippe quæ cum tollat contingentiam,nequit fieri, cuius natura eſt contingens,vt id antequam fiat, cognitione apprehendatur. His poſſumus adiungere,quod contingens futurum, quoniam nondum eſt arctatum ad id, quod erit, cum factum fuerit, quando quidem in eo, quod futurum eſt, poſſit eſſe, & non eſſe, nequit fieri, vt in eo,quod huius modi,certa ſcientia comprehendatur, *D.Thom.* idque fuit traditum à D.Thoma *in p.p. quæſt.* 14. *art.* 13. quapropter cum nefas ſit Dei ſcientiam eſſe coniecturalem, Deus non poterit futura contingentia habere comprehenſa. Eandem rationem ante *Cicero.* Alexandrum Cicero *in lib.2. de diuinatione* probauit,quæ mehercule *Improbatio.* omnino eſt improbabilis,quoniam cum abſurdum ſit Deum eorum, quę fiunt,ignarum eſſe,atque turpe ſit Deum hęc apprehendere tū, cum fiunt,quoniam ex inſciente fieret ſciens, extrinſecuſque aſſumeret intelligentiā,quæ nemo non putat turpia eſſe, indignaque Deo; planè hæc antequam fiant,illi erunt cognita,penituſque perſpecta. In abſurdis eſſe Deum eorum,quæ fiunt,neſcium eſſe illud mōſtrat, quoniam ſi nihil,quod agatur in mundo,Deus intelligeret,nulla eſſet pietas,nullaque religio,& fruſtra cultus,honores,ac preces Deo exhiberēt,vanumque eſſet templa extruere,& ſacrificia facere: Et ſanè diſrumpatur humani generis ſocietas eſt neceſſe,ſi hæc peſtilentiſſima opinio de Dei inſcientia per aures,atque animos hominum, peruaſerit, quoniam nullum erit tam ſceleſtum, nefariumque facinus,in quod improbi,flagitioſique homines effuſis non ferantur *Aegyptii.* habenis. Id Aegyptii cum intelligerent,aures, & oculos Dijs tribuerunt Clemente Alexandrino *in lib.*5. *ſtrom.* referente, vt hoc modo imperitæ hominum multitudini ſignificarent Deum cernere,& audire omnia. Et profectò quid eum poteſt latere, qui volens, & ſciens *Deus cernit, & audit omnia* omnia de nihilo produxit, & per omnem rerum naturam commeās omnia implet,cūctaque regit,ac moderatur? Nec exiſtimandum eſt contingentium futurorum notitiam eſſe impoſſibilem,quoniam,vt paulo poſt declarabitur,nihil vetat,quin hæc cognitione anticipata ſic apprehendantur,vt non amittant naturam ſuam contingentem. Nec præterea ſi Deus hæc cognoſcat,eius cognitio erit coniecturalis,quoniam licet contingentia,vt ſunt futura, in ſuiſque cauſſis continentur,non ſint ad id,quod erunt, determinata, Deus tamen non ignorat id,quod erunt definitè,cum extra ſuas cauſſas fuerint. At verò ratio poſterior Stoicorum argumentum diſſoluendi multis uiris clariſſimis fuit probata,qui in ea explicanda in varias abeunt expli-*Chalcidii responſio.*cationes. Chalcidius *in Timæi explanatione* huic argumento his occurrit: Dicendum eſt,quod Deus ſciat quidem omnia,ſed vnūquodque

que pro natura ſua, ſciat neceſſitati ſubiugatum, vt neceſſitati obno- "
xium, anceps verò, vt quod ea ſit natura præditum, cui conſiliũ viã "
pandat. Neque enim ita ſcit ambigui naturam Deus, vt quod certũ, "
& neceſſitate conſtrictum, ſic enim falletur, & neſciet, ſed ita vt pro "
natura ſua verè dubium ſciat. Quid ergo dicimus? Deum ſcire om- "
nia, ſcientiamque eius ex æternitate ſolidari: Porro quæ ſciuntur, par "
tim diuina eſſe, & immortalia, partim occidua, & ad tempus: Im- "
mortalium rerum ſubſtantiam fixam, & ſtabilem fore, mortaliũ mu "
tabilem, & dubiam, aliaſque aliter ſe habentem ob naturæ inconſtan "
tiam. Ergo etiam ſcientia Dei de diuinis quidem, quorum eſt certa, "
& neceſſitate perpetua munita felicitas, certa, & neceſſaria eſt ſcien- "
tia tam propter ipſius ſcientiæ certam comprehẽſionem, quam pro "
eorum, quæ ſciuntur, ſubſtantia: At vero incertorum neceſſaria qui- "
dem ſcientia, quod incerta ſint, & in euentu ambiguo poſita; nec "
enim poſſunt aliter eſſe, quam eſt natura eorum; ipſa tamen in vtrã- "
que partem poſſibilia ſunt potius, quã neceſſitatibus ſubiugata. Non "
ergo etiam dubia ex initio rigidè diſpoſita, atque decreta ſunt, niſi "
fortè id ipſum, quod incerta eſſe, & ex ancipiti euentu pendere de- "
beant. Quare quod animæ quoque hominis natura talis ſit, vt inter- "
dum ad virtutem ſe applicet, interdum ad malitiam præponderet, "
perinde vt corpus modo ſoſpitati, modo ęgritudini proximum, fixũ "
planè eſt, & decretum ex origine: Quis porro malus ſit futurus, aut "
bonus, neque decretum, neque imperatum, propterea que leges, ma- "
giſteria, deliberationes, exhortationes, reuocationes, inſtitutiones, nutrimentorum certa obſeruatio, laus, vituperatio, quæque his ſimilantur, quia rectè viuendi optio penes nos eſt. Hactenus Chalcidius qui his nequaquam expedit nos à dubitatione, ex qua vt expediamur nihil facit, quod ſcientia contingentium ſit neceſſaria, & certa, quod incerta ſint, & in euentu ambiguo poſita, ſed explicandum eſt, quo pacto res contingentes non eueniant neceſſario, cum Deus cognoſcat, quem euentum ſint habituræ, atque huius cognitio certa ſit, & minimè fallax. Ammonius *in com. lib. de interpret. ſect. 2.* vt hanc Stoicorum dubitationem infringat, multa affert, quorum ſumma hæc eſt. Quamuis futura contingentia in Dei cadant cognitionem, hæc tamen certa eſt, ac neceſſaria, quoniam cognitionum differẽtiæ non ſolum ex natura rerum, quæ cognitione accipiuntur, ſunt aſſumendæ, ſed vel etiam multò magis, vt inquit Iamblicus, & natura eorum, quibus data eſt facultas cognoſcendi, ita vt cognitio illius ſit modi, cuius eſt natura, virtuſque cognoſcens, ceu quod per eſſentiã æternum eſt, atque diuinum, æternè, atque diuinè cuncta comprehẽdat, & quod humanum eſt, omnia humanè. Itaque cum omne, quod eſt in Deo, in eo ſit modo ſingulari, naturæque diuinæ congruente,

Reprobat.

Ammonii reſponſio.

Cognitionum differentiæ exiſtunt non ſolum ex natura cognitorũ, ſed etiam ex natura cognoſcentium.

Iãbl.cus.

perſpicuum eſt eius cognitionem non eſſe pro ratione rei caducæ, & labilis, ſed vt ratio poſtulat propriæ ipſius naturæ præſtantiſſimæ nobis prorſus incognitæ: Qua e re tametſi res, quæ Dei intelligentia percipiuntur, ſint partibiles, contingentes, aut indefinitæ, illa tamen eſt impartibilis, immutabilis, neceſſaria, ac definita, Deuſque res diuiduas intelligit indiuiduè, quæ in tempore ſunt abſque tempore, non neceſſarias neceſſariè, mutabiles immutabiliter, & longè omnia melius, quam ordo, & ratio ipſorum flagitet. Neque exiſtimandum eſt pariter cum rerum fluxu fluere Dei intelligentiam, quoniã, vt Timæus nos docuit, & Parmenides ſcriptum reliquit, nihil eſt apud Deum, quod ſit præteritum, vel futurum, quodque hoc verbo fuit, vel erit, ſignificetur, ſed omnia ſunt apud ipſum præſentia, & in vno æuo inſtante collocata, ipſeque omnia indeclinabili, immutabilique cognitione comprehendit, etiam ſi multa ex his naturam habeant mutabilem, & contingentem. Neque id alicui mirum videatur, quoniam nos quoque ea, quæ ad intelligendum obiiciuntur, modò ſupra propriam ipſorum naturam, modò infra, modo pariter intelligimus, nam cum intelligentiam ponimus in iis, quæ ſunt ſingularia, multiſque mutationibus obnoxia, atque hæc ſub ratione vniuerſa & ſempiterna intelligimus, cognitio eo, quod cognoſcitur, eſt pręſtabilior, quoniam ſingulare, & mutabile ſine materiæ proprietatibus, ſineque mutatione intelligitur, cum verò noſtræ mentis naturam contemplamur, intelligentia, & id, quod in intelligentiam cadit, ſibi mutuo conſentiunt, quod ſi mentium a materia ſeparatarũ ſit contemplatio, hæc deterior eſt eo, quod incidit in contemplationem. Cum hæc igitur ita ſe habeant, non eſt, vt cuique mirandum accidat, ſi Deus cognoſcit contingentia, nobiſque incerta modo pręſtantiore, quam congruat ipſorum naturæ. Et ſanè cum nos multa teneamus, quæ beſtiis ſunt incognita, (ratione expertia nequeũt id, quod eſt vniuerſum, apprehẽdere, quod homines per rationis diſcurſum ſingularibus inter ſe collatis valent colligere) nihil eſt, cur admiremur, ſi quæ nos ambigua, & fallaci cognitione apprehẽdimus, hæc Deus accipiat certa, neceſſariaque intelligentia. Accedit ſi non eſt abſurdum futuri cognitionem a nobis ancipitem, & coniecturalẽ haberi, nec etiam abſonum videri poſſe eandem in Deo nos longè, ac multum ſuperante certam, & exploratam reperiri. Hæc eſt ſumma reſponſionis Ammonii ad Stoicorum argumentum ex iis, quæ à Iãblicho *in lib. de myſt.* Aegyptiorum fuerunt in ſcriptis relicta decerptæ, quæ quamuis ſit docta, & erudita attamen ſcrupulum omnẽ ex animis noſtris non euellit, quoniam ex ea non intelligimus, cur non ſequatur res contingentes non fieri neceſſario, ſi hæc certa, immutabilique Dei cognitione comprehenduntur, nec ſecus oporteat fieri, atque

Timæus. *Parmenides.*

Apud Deũ nihil præteritũ, aut futurum, ſed omnia præſentia.

Quæ intelliguntur à nobis modo ſupra propriam ipſorũ naturam, modo infra, modo pariter intelliguntur.

Rationis expertia non apprehendunt vniuerſale.

Iãblicus.

Caſtigat.

q̄ue fieri Dei cognitione fuit apprehenſum. Quapropter vt huius quæſtionis modus diſſoluatur, alia reſponſio eſt perquirenda.

Deus ſe ipſum intelligendo nunquid alia a ſe intelligat, variæ, & inter ſe diſſidentes Peripateticorum opiniones. Cap. XXXVIII.

RES planè ardua, & difficilis eſt nobis propoſita, nam huic argumento vt Ariſtotelicè ſit occurrendum, magnopere dubiũ eſt: Equidem Ariſtoteles *in lib. 12. poſtnat.* 51. multa de Dei intelligentia diſputauit, docuitque Deum in ſui ipſius intelligentia verſari atque hanc extrinſecus ei non accedere, verum nunquid Deus ſe ipſum intelligendo cætera, quæ extra ipſum continentur, habeat comprehenſa, reliquit inexplicatum, & quod ſenſerit, non abſque difficultate, & diuinatione poteſt indagari, idque manifeſtum erit, ſi paucis quæ hoc in loco tractantur ab Ariſtotele, perſtrinxerimus, quæ ſunt. *Loci li. 12. poſtnat. 51 explanatio.* Cum omnibus ſit perſuaſum mentem (mentis nomine Deus ſignificatur, cui hoc nomen fuit quoque ab Anaxagora tributum) eorum, quæ nobis ſe offerunt, diuiniſſimum quoddam eſſe, hæc quo pacto ſe habens tantam præſtantiam, & dignitatem conſequatur, multas, & magnas habet dubitationes. *Mens prima cũ duobus modis poſſit induci, quo modo ſit inducenda.* Principio mens cum duobus modis poſſit induci, vel tanquam actuoſa, actuque intelligens, uel tanquam otioſa, & nihil intelligens, vtro modo eſt inducenda? Equidem non eſt, vt nihil intelligens inducatur, quoniam ſi intelligendi virtute ſit donata, & hac non vtatur, in eius natura non multum excellentiæ, aut diuinitatis poterit in eſſe, nam cũ omnis virtus gratia operis ſit comparata, & id, cuius eſt aliquod opus, in ipſo opere ſuum bonum poſitum habeat *lib. 1. Ethic. ad Nicom. cap. 7.* ſanè quoniam præcipuum mentis opus eſt intelligere, ſi hæc in nulla re intelligenda occupetur, ſuo carens bono, ſuaque perfectione non admodum excellet, dormientique ſimilis poterit videri, cui licet conceſſa ſit poteſtas fungendi vitæ muneribus, ceſſat tamen, & perinde quaſi non viuat, in otio manet. *Mens prima intelligat ne ſua ſubſtãtia an per poteſtatẽ.* At vero ſi intelligit, nec vllo minimo temporis puncto munus hoc præſtans intermittit, intelligit ne ſua ſubſtãtia, an per poteſtatem ſibi ad intelligendum impertitam? Non eſt, vt poſterius aſſeueretur, quoniam cum mentis præſtantia in intelligendo poſita ſit, eius ſubſtantia non eſſet optimum quidam, & aliquod aliud eſſet ea prẹſtantius, nimirum id, quod eius poteſtatem cõpleret, eamque faceret intelligentem: Quin etiam laborioſa eſſet ei continuatio intelligendi, nam cui data eſt poteſtas intelligendi, id quoniam intelligere, & non intelligere poteſt, aliquando non intelligat, ceſſetque eſt neceſſe, cuius ceſſationis cauſſa nõ alia poteſt eſſe, quam defatigatio. Iam vero ſi ſua ſubſtantia intelligit, & in ea idem

eſt

Digitized by Google

eſt actus intelligendi,quod eius ſubſtantia,quid intelligit,ſemetipſã ne,an externum aliquid? & ſi externum,idem ne ſemper intelligit, *Mens prima quid intelligat.* an aliud, atque aliud? & ſi aliud atque aliud, ſolane pulchra, & præclara intelligit,an etiam abiecta, & ſordida quæque? Equidem non videtur aſſeuerandum mentem in quibus libet rebus intelligendis ſuam operam ponere,nam quemadmodum dedecet hominem bonis moribus informatum de rebus ſordidis, vitioſiſque cogitare, ita turpe eſt diuiniſſimam,optimamque ſubſtantiam quæuis abſque delectu, & deſpicatiſſima quæque intelligere. Nec etiam ponendũ eſt eam aliud, & aliud intelligere, quia poteſtatis particeps eſset, nec mutatione careret, quod nefas eſt, quippe quæ actus eſt ſimpliciſſimus, & cuiuſuis expers mutationis. Nec denique dicendum eſt à ſe intelligendo ad aliud intelligendum conuerti, nam cum non poſſit ad aliquod melius transferri, quod ipſa teneat ſummum dignitatis gradum,ad deterius conuerteretur: & quod ſequitur,a ſua optima vita recederet, nam vita ipſius eſt intelligentia, vitaque optima eſt ipſius,quę optima eſt,intelligentia; id autem cum ſit indignum huius diuiniſſimæ mentis maieſtate, concludendum eſt eam eſse ſui ipſius intelligentem. *Dubitationes tres.* Atqui hoc in loco tres exiſtunt dubitationes, prima, qui mẽs hæc poſſit eſſe ſui ipſius intelligentia,cũ ſciẽtia, ſenſus,opinio,ratioque alicuius ſemper eſse videantur,quod eſt aliud. Altera, cum hæc mens intelligat, & intelligatur,num ſumma præſtantia inſit illi,quia intelligit,an potius quia intelligitur. Tertia quoniam alia eſt ratio illius,quod intelligit,& alia illius, quod intelligitur, nunquid mens ſit quoddam compoſitum , & propterea ſe ipſam intelligendo aliquod compoſitum , & diuiduum intelligat.

Solutio primæ dubitationis. Prima dubitatio tollitur, quod in iis, quæ non habent materiam idem ſit id,quod intelligit,& id,quod intelligitur,& propterea mẽs quæ a materia eſt penitus ſeparata,ſui ipſius eſſe poteſt. *Solutio ſecunda.* Altera profligatur, quoniam mens ex vtroque conſequitur, quod ſit optimum quoddam,quamquam ex eo;quod intelligitur,ampliorem ſibi vendicet dignitatem, quod intelligibile intelligenti anteſtet nobilitate, tum quia illud eſt huius perfectio,& complementum, tum etiã quoniam id,quod intelligit, intelligendo ſubit aliquo pacto mutationẽ, & id,quod intelligitur,in eo,quod intelligitur,vacuum eſt ab omni mutatione. *Solutio tertia.* Poſtrema explicatur, quod mens ſit prorſus indiuidua, nullamque veram habeat compoſitionem, cum omne id ſit indiuiduum,quod materiam non habet. Et quamuis alia ſit ratio illius,quod eſt intelligi,& alia illius,quod eſt intelligere,hæc tamen in mente re idem ſunt: Quapropter hæc ſemetipſam intelligendo naturam ſimplicem,& indiuiduam intelligit. Ac ſanè mentem non intelligere aliquod diuiduum illud ſuadet,quod cum rei diuiduæ partes nequeãt

ſimul

ſimul omnes intelligi, ſingulæ ſeorſum intelligantur oportet, hæc autem intelligendi ratio, ſi menti tribuatur, ipſa mutabitur, tẽpusq; poſtulabit ad intelligendum, quod eſt flagitium, nam mens eſt omnino immobilis, & illius, quod eſt omnino immobile, propria functio nullum requirit tempus, quod ipſam dimetiatur, ſi quidem tempus datum eſt iis ſolis, quæ in motu, & in mutatione verſantur. Atq; hæc eſt ſententia eorum, quæ de mentis, Deique intelligentia tradita ſunt ab Ariſtotele, in quibus cum nulla facta ſit mentio illius, quod cadit in diſputationem, in eo explicando magna eſt diſsenſio.

Opinio eorum, qui putãt Ariſtotelẽ voluiſſe Deũ duntaxat ſe ipſum intelligere, & nihil præterea.

Plerique Peripatetici putant Ariſtotelem voluiſſe Deum duntaxat ſe ipſum intelligere, & nihil præterea, non quidem quia rudis, aut negligens ſit, aut quia in iis, quæ ſunt extra ipſum percipiendis ſuum ſtudium conferat, & quæ virium ipſius eſt imbecillitas, nequeat illorũ cognitionem aſsequi, ſed quoniam indignum eſt Deum, quo nihil eſt præſtabilius, materiata & viliſſima quæque intelligere quorum cognitio ſordida cum ſit, & homine libero indigna, ea nõ cernere decentius eſt, quam cernere.

Primum argumentum.

Deinde ſi quæque ſingularia Dei cognitione accipiantur, cum ſingulis horis alia naſcantur, & alia intereãt, Deus mutatione non carebit eadem modo intelligens, modo nõ intelligens, & nõ actu ſemper, ſed poteſtate quandoque intelliget.

Secundũ.

Amplius ſi res materiatas Deus intelligeret, quærendum erit, nunquid has in ſe ipſo, an extra ſe, & in ipſis rebus comprehendat.

Tertium.

Si has in ſe ipſo intelligere aliquis ſentiat, hic rogandus erit, ſentiatne Deũ fungi hoc munere per ſpecies inſitas, an per propriam eſſentiam.

Deus non intelligit per ſpecies.

Equidem minimè dabit Deum habere inſitas ſpecies, quoniam nefas eſt Deum ſubiicere accidentibus.

Deum nõ intelligere per eſſẽtiam, quæ ſunt extra q̃ perſuadeant.

Sin verò alterum probet, his exagitabitur: Quæ varia ſunt, ea in re ſimplici, vniuſque modi non poſsunt apprehendi, quoniam cognitio exiſtit ex ſimilitudine, qua vis cognoſcens iungitur cum eo, quod cadit in cognitionem, & quæ varia sũt, ac multiformia, ita diſtantã ſimplici, atque vnius modi, vt inter hãc & illa non ſit vlla ſimilitudo. Ergo materiata, in quibus multæ, ac magnæ cernuntur varietates, nequeunt apprehẽdi in natura Dei ſimpliciſſima.

Cognitio ex ſimilitudine exiſtit.

Accedit, quod ſi Deus in ſe cõprehendat materiata, hæc intueatur, oportet vel tanquam diuerſa à ſua eſſentia, vel tanquam idem, quod ſua eſsentia; atqui cum neutri ſit aſsentiendum, neceſſario conficitur Deum in ſe non intelligere materiata.

Deus extra ſe, & in ipſis materiatis nõ intelligit materiata.

Poſterius non eſt probandum, quoniam Deus in his cognoſcendis per errorem haberetur. Prius eſt reprobandum, quia intelligentia diuina non eſset penitus vna, & ſimplex, quippe quæ in rebus multis, ac diſſimilibus occuparetur. Quinetiam Deus ſi materiata in ſe intelligeret, horum ideas in ſe cõtineret, quæ ab Ariſtotele varijs in locis fuerunt eiectæ, & labefactatæ. At vero Deum extra, & in ipſis materiatis non intelligere

ligere

ligere materiata duo demonſtrant, quorum vnũ eſt: Deus ab æter- nis ſeculis non potuit intelligere materiata, quæ his temporibus generantur, in ipſis materiatis, & extra ſi, quod hæc in rerum natura nondum conſtarent, nõ igitur Deus ea in ipſis, & extra ſe intelligit. Conſequutio declaratur, quia ſi Deus res materiatas, cum primũ ſunt productæ, extra ſe intelligeret, & in ipſis rebus, recens in Deo exiſteret intelligentia, fieretque in Deo mutatio ex intelligentia in aliam intelligentiam, ſi quidem Deus res, quas antè in ſe ipſe intuebatur, poſt extra ſe, & in ipſis rebus conſpiceret. Alterum eſt; vniuerſa Dei perfectio ex ipſomet Deo exiſtit, neque aliunde fluit, nam Deus eſt ſubſtantia optima, & præſtantiſſima, quæ ſe ipſa contenta eſt, ex ſeque omnia, quæ optare quis poſſit, copioſiſſimè ſuppeditat; Nõ igitur Deus aliunde aſſumit intelligentiam, nec quippiam eſt ponẽdũ quod ei ſit author intelligentia: Verum ſi Deus extra ſe, & in ipſis materiatis intelligeret materiata, eius intelligentia ex his aſſumeretur, & hæc eſſent in cauſſa, cur intelligeret, nequit igitur fieri, vt Deus extra ſe, & in ipſis materiatis intueatur materiata. Poſtremò qui Ariſtotelicè de Deo tam malè ſentiunt, ita argumentantur; Nulla firma, exquiſitaque ratione ex ijs, quæ in ſenſum cadunt eruta poteſt confici Deum ſe ipſum intelligendo ea, quæ extra ipſum poſita ſunt, habere comprehenſa: non igitur id ponendum eſt in opinionibus Ariſtotelis, qui *in lib. 8. phyſ.* 15. vitio dat Empedocli, quod multa afferet, ac poneret nulla ratione communita, quique ſenſibus, & naturæ addictus in more habuit nihil ſcribere, quod ratione euidẽti non poſſet confirmari. At verò Peripateticorum alij cernentes Ariſtotelem quibuſdam in locis ſic de Deo loqui, vt ei tribuat rerum caducarum notitiam, exiſtimant Deum ſic ſe ipſum intelligere, vt quoque intelligat, quæ ſunt extrinſecus: *in lib. enim* 10. *ad* Nicom. *cap.* 8. ſi Dij res humanas curant, ſicuti curant, conſentaneum eſt ipſos delectari parte hominis optima, ſibique cognata, qualis mens eſt, iiſq; hominibus, qui hanc diligant, & colant, benefacere tanquam cultoribus earum rerum, quæ ſibi charæ ſunt. Et *in lib.* 1. *de anima* 80. *atque in lib.* 3. *poſt nat.* 15. Empedocles reprehenditur, quod eius opinione fiat, vt Deus, qui omnium eſt feliciſſimus, minus ſit, quam cætera prudens, neque omnia cognoſcat: quæ reprehenſio nullius erit momenti, niſi Deum intelligere ſe, & quæ extra ſe ſunt, pro cõceſſo fuerit acceptum. Nec præterea deſideratur ratio, qua potuit Ariſtoteles induci, vt de Dei intelligentia ita opinaretur: Ea eſt huius modi: Vis intelligens, & actus intelligendi non perfectior eſt, quo plura intelliguntur, ergo cum Deus, diuinaque intelligentia teneãt optimũ perfectionis gradum, nec quippiam ſit, quod eis additum augeat ipſorum perfectionem, concludendum eſt omnia Deum habere comprehenſa,

Primũ argumentũ.

Alterum.

Quartum

Opinio illorum, qui cẽſent Ariſtotelẽ voluiſſe Deũ ſic ſe ipſũ intelligere vt quoque quæ ſũt extrinſecus intelligat.

Loci Ariſtotelis.

Argum.

Digitized by Google

prehenſa, nihilque eſſe in hac rerum vniuerſitate, quod non cadat in Dei intelligentiam. Hæc fortaſſe induxerunt Simplicium, vt *in diſgreſſione 2. lib. 8. phyſ.* aduerſus Philoponum fateretur Deum futurorum, & omnium eſſe comprehenſorem. Idem dogma Themiſtius, & Ammonius cum amplexarentur, *ille in com. lib. 12. poſt nat. hic in com. lib. de interpret.* ſtatuerunt Deum omnia extra ſe poſita intelligere, qua ex parte intelligit ſe omnium eſſe cauſſam, & principiũ, quæ aſſeueratio fuit quoque Theophraſti Priſciano Lydo referẽte, atque Procli *in com. in Parmenidem*, qui propterea Ariſtotelem, & Peripateticos, quos exiſtimat contrariam opinionem adamare, his exagitat. Si Mens prima perfectè intelligit ſe ipſam, ſe vt omniũ cauſſam effectricem, & vt finem ab omnibus expetitum comprehendat oportet: Atqui quoniam cauſſa efficiens ad effecta & expetibile ad expetentia refertur, conficitur Deum, quęcunque ſunt ipſius effecta & quæcunque ipſius deſiderio trahuntur, intelligentia accipere, atq; non communiter quidem & confuse, ſed ſigillatim, & explicatè, nã ſicut definitè ſe ipſum & vt effectorem, & vt finem omnibus conſtitutum intelligit, ita nimirum & quæ ab ipſo efficiuntur, & quæ ad ipſum referuntur, explicatè, probeque intelligit. Eandem ferè argumentandi rationem amplexus eſt Algazeles *in lib. 1. phil. tract. 3. de ſcientia Dei*, cæterum hic in eo diſſentit à Proclo, quod putet Deũ quæ extra ſe ſunt intelligere non ſpeciatim, ac ſigillatim, ſed communiter, & generatim, quod quoq; voluit Auicennas *in lib. 8. prim. philoſophiæ cap. 6.* Atque hi forſitan ita ſenſerunt, quia arbitrabantur Deum eſſe harum rerum materiatarum cauſſam communem, quapropter quoniam has intelligit, quatenus eſt cauſſa ipſarum, par eſt, vt in his communiter, ac vniuerse percipiendis verſetur. Atque hęc a contrariarum ſectarum Peripateticis diſputantur, pręter quos ſunt alij, qui inter hos tanquam medij interiecti ſtatuunt Deum ſic ſe ipſum intelligere, vt alia à ſe intelligat in eminẽtia, atque hi ſunt omnes Auerrois ſectatores inducti ab ijs, quæ habet Auerroes *lib. 12. poſt nat. com. 51.* quæque ſunt: Et veritas, eſt quod primum ſit omnia, ſecundum quod ſit ſe tantum ſcientia in eſſe, quod eſt cauſſa eorum eſſe, verbi gratia, qui ſcit calorem ignis tantum, non dicitur neſcire naturam caloris, exiſtentis in reliquis calidis, ſed iſte eſt ille, qui ſit naturam caloris, ſecundum quod eſt calor: Et ſimiliter primus ſcit naturam entis in eo, quod eſt ens ſimpliciter, quod eſt ipſum. Hæc ſatis obſcurè ſcripta ab Auerroe ſuis amicis occaſionem dederunt, vt in eis explicandis in varias abirent explicationes, variaſque intelligendi in eminentia rationes excogitarẽt, quas nõ eſt, vt perſequar, quod conſilium ſit non Auerrois, ſed Ariſtotelis in quæſtione propoſita ſententiam indagare.

Simplicius. *Themiſt.* *Ammon.* *Theophr.* *Priſcian.* *Lydus Proclus.* *Procli argumentũ.* *Algazel.* *Auicẽnas* *Opinio alorũ, qui dixerunt Ariſtotelẽ putaſſe Deum ſic ſe ipſum intelligere vt alia in telligat in eminẽtia.*

Ariſtotelem in quæſtione propoſita quid ſenſiſſe ſit exiſtimandum.
Cap. XXXIX.

EGo, vt liberè dicam, quod ſentio, nihil audio, quod mihi neceſſariò demonſtret, & vt m[illegible]n eminentem intelligentiam ab Auerrois ſectatoribus fictam, quæ aut ita inducitur, vt ver[illegible]us inſcientia, quam ſcientia poſſit videri, aut ita explicatur, vt explicat[illegible]o non expleat animum, mul[illegible]iſque diffi[illegible]ultatibus abundet, ex [illegible] quibus opinio poſterior confirmatur, haudquaquam [illegible], qu[illegible]d de re propoſita fuerit Ariſtotelis ſententia, quando [illegible] ad hanc de Dei intelligentia contemplationem pa[illegible] accommodati, & in horum primo vi[illegible] clariſſi[illegible] arb[illegible]antur Ariſtotelē, ne impius videatur in Deos, dum mor[illegible]s hominum c[illegible], publicam ſequi de Dijs opinionem, & in cæte[illegible]is, [illegible] acc[illegible]ſat[illegible]r Empedocl[illegible]s oſtēd[illegible]tur, huius decre[illegible]a inter ſe n[illegible]ere. Argumentum, quo eadem opinio fuit confirma[illegible] aduer[illegible] diſſol[illegible], quod non ſit perpetuo verum v[illegible]m cogno[illegible]centem [illegible] perfectiorem eſſe, quo plura cognoſcit, nam ſenſus, qui res [illegible] percipit, dignitate cedit menti, quæ in ſolis rebus vniuerſis [illegible]ccupa[illegible]ur, ſed [illegible] vir tutibus ijs intelligendum, quæ ſunt v[illegible]ius, & [illegible]u dem ordi[illegible]s, atque ideo inter ſen[illegible]s viſus plur[illegible]s quam auditus eſt [illegible], qu[illegible]a plures rerum differen[illegible] appr[illegible]he[illegible]dit, & inter hon[illegible] ment[illegible]a eſt rel[illegible]quis antepon[illegible]da, quæ pl[illegible]a vniuerſa int[illegible]. Simpliciter autem ea v[illegible]rtus excellat q[illegible] [illegible] rei pr[illegible]ſta[illegible]ſſimæ, & in re p[illegible]æſtantiſſim[illegible] p[illegible]rſpic[illegible]enda verſatur: Q[illegible] de re quoniam D[illegible]us [illegible] eſt propoſitus ad in[illegible]piciendum, atque Deo nihil eſt præ[illegible]ab[illegible]us, hic in genere eorum, q[illegible]ibus [illegible] vis cognoſcendi, prim[illegible] partes occupat. Cum h[illegible] Themiſtius facit, qui *in lib. de anima* [illegible] 5. ſcr[illegible]bit non numero eorum, [illegible]uæ ſc[illegible]ntur perfect[illegible]onem, aut præ[illegible]an[illegible] c[illegible]rrogari, ſed pondere, nec qui plura intel[illegible]git, eun[illegible]em e[illegible] ain[illegible] ſed qui nobil[illegible]ora, mel[illegible]oraque nouerit. I[illegible]em p[illegible] re[illegible] unt eum intelligend[illegible] a[illegible] cæteris eſſe ante[illegible]erendum, non quo plura iudicantur, ſed [illegible]uo intelli[illegible]itur id, quod reliquis omnibus antestat dignitate, velut eſt diuinu[illegible] intelligendi actus, quo circa diuinam intelligentiam n[illegible] eſſe in mult[illegible]s occupandam, vt ſuam [illegible]eamur dig[illegible]tatem. Argumentum Procli ijdem conuellunt, quod finis non neceſſariò intelligat ea, quæ ipſe gratia poſita ſunt, nam ita mo[illegible]et, vt maneat immob[illegible]lis, falſumque ſit [illegible] eum iuxta Ariſtotel[illegible]s doctri[illegible]ā cauſſæ effe[illegible]tric[illegible] rati[illegible]nem ſuſt[illegible]nere. Adiungunt, ſi Deus [illegible] intelligit, q[illegible] eſt cauſſ[illegible] e[illegible]um efficiens, plane q[illegible]oniam n[illegible]n eſt cauſſa horū efficiens, non eſſe, vt aſſerat ſibi illorum cognit[illegible]nē, ne ſi in his con-

Locorum Ariſtoteli corum conſideratio.

Reſponſio ad argumentū ſecundæ opinionis.

Vis cognoſcens ſimpliciter excellēs quæ.

Procli argumenti concluſio.

tem-

templandis verſetur, fruſtra ſuam operam locet in horum contemplatione, quod ex hac nihil ad illa, quæ in ipſam cadunt, perueniat emolumenti. Auerroes præterea *in lib. 12. poſt nat. 51.* Themiſtium accuſat, quod Dei intelligentia ſit ſimplex, & abſoluta, atque ſine vlla ad aliam rem collatione, quæ ratio intelligendi eſt quacunque alia, quæ nitatur comparatione multo præſtantior; quapropter etſi datum fuerit Deum eſſe cauſſam rerum omnium, attamen quia non intelligit ſe veluti cauſſam, non eſt neceſſe, vt ea, quorum eſt cauſſa, habeat comprehenſa. At vero contra huiusmodi opinionis primum argumentum diluitur, quod non ſit verendum ne Deus fiat ſordidus, ſeque peiorem ... faciat, ſi percipiat materiata, quoniam Deus non in ipſis, & ab ipſis accipiens cognitionem ea intelligit, ſed in ſe, ſuamque inſpiciendo eſſentiam, a cuius contemplatione nunquam auertitur, tametſi in ea veluti in ſpeculo hæc omnia intueatur. Alterum reprehenditur, quod Deus hæc intelligendo nulli mutationi ſubijciatur, quippe qui omnia ſimul præterita, futura, & inſtantia vno quaſi oculorum coniectu inſpicit. Nec cuique dubitandum accidat, qui Deus poſſit omnia ſimul intelligere, nam, ut inquit Themiſtius, nõ eadem eſt ratio mentis diuinæ, & mentis humanæ, ſiquidem hæc ob imbecillitatẽ nequit multa ſimul intelligere, at vero illa, quia ſummè eſt perfecta, ſimul omnia absolutim intelligit non ſecus ac oculus acutiſſimus, qui multa ſimul cernit, neque dum intelligit, tempus requirit, quod tempus ſit menſura motus, & mens diuina ſit prorſus immutabilis. Cum perſuadetur Deum non poſſe in ſe ipſo apprehẽdere materiata, quia in re ſimplici, & vnius modi, quæ ſunt varia, & multiformia, non poſſunt apprehendi, perſuaſio nõ eſt efficax, huiuſque fidem facit ſpeculum in quo mirabile eſt quam multa & varia cernantur. Cum idem ſuadetur oſtendendo Deum non poſſe in ſe ipſo percipere materiata tanquam aliena natura ſua, quoniam eius intelligentia non eſſet penitus ſimplex, & vna, dicimus rerum materiatarum cognitionem non tollere diuinæ intelligentiæ vnitatem, ac ſimplicitatem, quoniam Deus has intelligit non actibus intelligendi diuerſis, ſed vnico actu, nam quo actu ſuam eſsentiam intelligit, eodem in ſua eſsentia veluti in ſpeculo cernit omnia, quæcunque ſunt extra ſuam eſsentiam. Rurſus ſi Ariſtoteles ſentiat Deum in ſe omnia, quæ ſunt extra ipſum poſita intelligere, non eſt periculum, ne cogatur ideas amplexari ab ipſo multis in locis eiectas, & labefactatas, quoniam ideæ ab ipſo refutatæ ſunt rerum naturalium formæ per ſe ſubſiſtentes à materia diſiunctæ; idque intelligitur ex locis, in quibus aduerſus ideas diſputatur, & ideæ ſeruientes Deo ad materiata intelligenda ſunt in ipſo Deo, & idem, quod eſsentia Dei, aduerſus quas nuſquam ab Ariſtotele ſuſcepta fuit diſputatio.

Auerroes.

Reſponſio ad primũ argumentũ primæ opinionis.

Ad ſecundum.

Temiſt.

Ad tertiũ.

Ideæ ab Ariſtotele labefactatæ quæ.

Dydimus non obſcurè fauet Ariſtotelicæ de Platonis ideis interpre tationi. Hunc ſequutus eſt Ioannes Stobæus, qui *in lib. 1. Eclogarum phyſicorum* verbis ferè eiſdem Platonis ſententiam de ideis fuit complexus: Iam de ideis, ſcribit, ita diſſerebat, vt rerum ſub ſenſum cadentium gen ralia quædam exemplaria diceret ideas eſſe, de quibus ſcientiæ, ac definitiones exiſterent, nam præter omnes homines quendam hominem intelligi, & præter equos omnes equũ, & præter animalia ſimiliter animal principio, & fine carens. Quem admodum autem vnius ſigilli multa redderentur ſimulachra, multæque vnius viri fierent imagines, ſic etiam ideæ cuiuſque multas corporum ſ b ſenſum cadentium naturas exiſtere, vt humanę homines omnes, ita aliarum res alias. Ideam autem eſſe naturam perpetuam ſui ſimilium omnium cauſſam, nam quemadmodum rerũ ſingularum quædam cernantur exemplaria, ita quæ cuncta in ſe complectatur, pulcherrimam, & perfectiſſimam videri: Itaque ſic ait in Parmenide; Quam maximè ſic iſta mihi ſe habere videntur, has quidem ſpecies tanquam exemplaria in natura conſiſtere, cætera verò ijs ſimilia fieri, atque eſſe ſimulachra, nec aliter iſta ſpeciebus participare, quam quod illis ſimilia fiant. Hæc Stobæus, quæ perſpicuè fuerunt deſumpta ex Platonis placitis a Didymo traditis. Sed de ideis plura dicere ſuperſedeamus, quæ huius non ſunt loci, atque temporis. Demum cum huius hæreſis de D i inſcientia defenſores conantur in eam pertrahere Ariſtotelem, quod Deum intelligere huius mundi res ſingulares, ac materiatas nulla ratione neceſſaria ex ijs, quæ ſenſibus accipiũtur, eruta poſſit demõſtrari, & Ariſtoteles ijs tantum ſibi aſſentiendum eſſe patauerit, quorum certa, neceſſariaq; ratio poſſet afferri, egregiè labuntur, nam in loco recitato *l. b. 8. phyſ.* hoc vnum Ariſtoteles requirit, vt quod ponitur à philoſopho, id nõ exiſtimetur eſſe huius modi, vt nulla ratione poſſit perſuaderi, at verò Deum ſe ipſum intelligendo res materiatas comprehendere ratione poteſt cnocludi, vt mox declarabimus, ſi nõ neceſſaria, magno pere tamen probabili, & ferè ad neceſſitatem perſuadente. Neque Ariſtoteles putat omnium eſſe afferendas demonſtrationes neceſſarias, nam *in lib. 2. de cælo* ſæpè ſe excuſat, ſi rationes non attulerit neceſſarias, ſub exitũ lib. 1. de partibus animal. parum exquiſitè cõprehenſam habet cæleſtium corporum naturam, quod huius accidẽtia non ſatis pateant ſenſibus, quorum beneficio indagamus, quæ cupimus cognita habere, & *in lib. 1. Ethic. ad Nicom. cap. 3.* nos admonet, ne in omnibus diſputationibus peræquè certitudinem requiramus, ſed tantam in vnoquoque genere poſtulemus, quãtam rei ipſius natura patitur. Ex his nemo non intelligit Ariſtotelem non tantum ſibi aſſumere, vt ſolum ponat ea, quæ neceſſariis, exquiſitiſque argumentis

Ioannes Stobæus

Ad partiũ.

Ariſtoteles non putat omniũ eſſe afferendas demoſtrationes neceſſarias.

gumentis

gumentis poſſunt concludi, & præſertim ſi de iis, quæ Dei ſunt, diſputatio fuerit inſtituta, nec ab re profectò, quoniã Dei functiones, & opera non ſunt, vt inquit Iuſtinus *in quæſt. 17. ad Ortohodoxos*, argumentis noſtris metienda, quippe quæ ſunt ſupra mentem, ſenſum, & rationem. Et ſanè ſi id ſolum habendum eſt ratũ, quod ſenſibus nititur, & neceſſariis argumentis colligitur, vniuerſa ferme philoſophia ruat, oportet, cuius maxima pars veritatẽ habet in profundò demerſam, & ſenſibus, non patentem; atque incerta eſt ob varias philoſophantium opiniones inter ſe diſſidentes, neque dã[illegible]um erit ab aquis, lapidibus, plantis, & animalibus ſingulares quaſdam effectiones manare, quarum cauſſæ non cadunt ſub noſtram intelligẽtiam. Quis hos Dei inſcientiæ defenſores non arguat temeritatis; qui ſe omnium rerum conſequi poſſe certam, & explicatam ſcientiam ſibi perſuadent nimis profectò ſibi aſſumentes, quam quod homines ſuo ſibi iure poſſint vendicare? quique veluti cum Deo de ſciẽtia contendentes ea ſola largiuntur mundo, quæ certa percipiunt cognitione, perinde ac ſi hominum ſcientia ſit cauſſa rerum, & per eã ſingula conſequantur, quod conſentiunt, vel non conſentiunt in rerum vniuerſitatem? Non eouſque ſibi homines placere, & eouſque animo efferri oportet, vt putent ſcientiam diuinam, quæ eſt cauſſa rerum, ſibi conceſſam fuiſſe; nam, vt ait Auerroes *in lib. 12. poſt nat. 51. & in diſput. 10. aduerſus Algazelem*, Dei ſcientia vocabulo quidem cõuenit cum hominum ſcientia, ſed re differt, neque vtriuſq; vna, & eadem eſt ratio, quoniam ex ſcientia Dei certa, & immutabili tanquam ex cauſſa pendent omnia, quæ fiunt, & ab hominum ſcientia fluxa, & incerta tantum abeſt, vt efficiatur quippiam, vt contra illa ex rebus exiſtat. Itaque abſurdum eſt, vt præclarè dixit Simplicius *in com. 96 lib. 4. phyſ.* exiſtimare alicuius rei interitum ex eo pendere, quod illã ignoremus, atque vt contra Græcos ſcripſit Iuſtinus in quæſt. 13 ad Orthodoxos, in hominum cognitione ſitam eſſe rei ſ[illegible]am. Atqui contra hos non eſt, vt longiores ſimus, quos nemo non intelligit, dum in omnibus certas, & neceſſarias requirunt demonſtrationes, omnes ferè ſcientias delere. Porrò licet ex his, quæ a contrariarum ſectarum Peripateticis diſputantur, non neceſſariè conficiatur, quid de quæſtione propoſita ſenſerit Ariſtoteles, ego tamen arbitror eum hac de re interrogatum fuiſſe reſpõſurum Deum ſe ipſum intelligendo, quæ ſunt extra ipſum, non ignorare, nam, vt in diſputatione de mentis humanæ ſtatu poſt hominis obitum declaraui, Ariſtoteles plurimi [illegible] fecit religionem, animaſque noſtras putauit a ſumme naturæ opifice procreari, & poſt obitum incolumes manere. Hæc verò ſic connexa ſunt cum Dei intelligentia in his rebus extra ipſũ poſitis verſante, vt hac ſublata non poſſint illa manere. Etenim

ſi Deus

Iuſtinus

Auerroes

Simplicius

Iuſtinus

Ariſtoteles putauit Deũ ſe ipſum intelligendo, quæ ſunt extra ipſũ intelligere.

ſi Deus nullam noſtrum, noſtrarunque actionum habet comprehenſionem, qui vllus cultus erit illi exhibendus? qui poterit author eſſe noſtrarum animarum? & qui poſt mortem poterit rectè factis præmia, & flagitiis ſupplicia iuſtè conſtituere? Et ſi Ioannis verè proditū eſt Ariſtotelem extrema libi i ægrotantem præſentientem in lachrymas profuſum primæ cauſſæ miſericordiam imploraſſe, & cum iam eſſet expiraturus, illius auditores, qui ei morienti aderant, exclamaſſe: Qui philoſophorum animas excipit, & tuam colligat in ſuis recondens theſauris, vt animam docti perfectique hominis, qualem te nouimus: nemo fuerit, qui hinc non conijciat hāc Ariſtoteli fuiſſe probatam. Nec præterea hæc aſſeueratio caret confirmatione, & vt prætermittam ea, quibus D. Thomas *in p.p. quæſt. 14. art. 5.* oſtendit Deum alia a ſe intelligere, hæc videntur non carere momento ad id, quod eſt propoſitum, perſuadendum. Quicunque Dei naturā ſunt contemplati, omnes cum Magno Dionyſio *in lib. de diuin. nom.* aſſeuerant hanc eſſe ens non certo, definitoque modo, ſed ſimpliciter, & incircunſcripte, atque vt ait Gregorius Nazianzenus *in orat. 2. de paſchate*, eſſe quaſi pelagus quoddam eſſentiæ immenſum, & interminatum idque viri eruditi exiſtimant ſuiſſe in Exodo *cap. 3.* ſignificatum a Deo Moyſi ex ipſo quærenti, quod eius nomen, reſpōdente, Ego ſum, qui ſum. Quod ſi hæc eſt natura Dei, in Deo ſanè poſitum erit [illegible] cuiuſque rei, quandoquidem quodammodo omnibus eſt ens, id in ſe ens omnes complectatur. At verò ſi eſſe cuiuſque rei in diuina eſſentia contineatur, conficitur Deum, qui ſuam eſſentiam perfectè comprehenſam habet, omnia quæcunque ſunt, intelligere. Id Auerroem ſibi voluiſſe in verbis recitatis cenſet Ioannes Bacconus *in lib. 1. ſent. diſt. 39. quæſt. 1.* quo in loco ſcribit Auerroem ſentire Deum in ſe ipſo, quæcunque mundi ambitu cohibentur, explicatiſſime intelligere, quoniam cum ſit ens per eſſentiam in eo naturæ, & eſſentiæ omnes continentur, ex quo fit vt ſe ipſum, cui eſt omnium cauſſa, quique omnia in ſe continet, intelligendo omnia explicatè, definiteque intelligat, nam quemadmodum [illegible] calor ſua eſſentia, & in ſe concludens cæterorum calorum perfectiones per ſe ſolitarius conſiſteret, is, qui hūc calorem apprehenderet, cum eo ſimul reliquos calores perciperet, eodem modo Deus, qui eſt omnia, quæcunque ſunt, ſe ipſum contemplando intuetur omnia, ſe ipſum quidem, ſuamque eſſentiam tanquam id, quod primum ac præcipuè eſt propoſitum ad intelligendum, cætera verò veluti ea, quæ conſequuntur, & per modum conſequentis. Verū hæc Bacconi explicatio nunquid conſentiat cum Auerrois dictis, non caret dubitatione: aliæque ab eius ſectatoribus afferuntur explicationes, ſed de Auerrois ſententia quicquid ſit, ex his quiſpiam non iniuria ſibi perſuadebit, Deū

ſe

Ariſtotelem moriturus primā cauſſā miſericordiā imploraſſe.

Ariſtoteli mortuo à diſcipulis quo modo acclamatum.

Argumen.

Dionyſius Greg. Nazianzenus.

Dei natura.

Ioannes Bacconus.

ſe ipſum intelligendo alia à ſe non ignorare. Quo autem modo, ſi Deus habet futurorum contingentium certam,& explicatam ſcientiam,non ſequatur hæc fieri neceſſariò,cum non poſſit ex Ariſtotele intelligi, neque ex iis, quæ ab Ariſtotelicæ doctrinæ explicatoribus tradita ſunt,vt huius quæſtionis nodus diſſoluatur,cum noſtris Theologis viris præſtantiſſimis paulo altius huius diſputationis exordium eſt repetendum.

Deus quo modo ea,quæ ſunt futura,antequam fiant,cognoſcat. Cap. XL.

Deus eſt natura vi intelligendi prædita

DEum intelligendi vim ſibi aſſerere nemo eſt, qui non confiteatur,nam cum ſummæ dignitatis gradum teneat,mens præſtãtiſſima ſit, oportet,quod, vt inquit Plato *in Timæo,* nihil corũ, quæ ſunt,ſi expers intelligentiæ ſit,intelligẽte aliq prçſtantius,pulchriuſque vt quam ſit. Et ſi forma quo magis,minuſue diſtat a materia, eo magis,minuſue eſt intelligens, Deus, qui nullis materiæ vinculis eſt conſtrictus,erit intelligentia præditus,& quidem optima,& abſolutiſſima,quoniam a materia eſt remotiſſimus. In hac vero Deus perpetuo verſatur,quoniam eſt illius vita, & Deus eſt viuens immortale,ab omnique otio ſemotũ: atque ſic verſatur,non vt aliunde eã aſſumat,& aliud quippiam ei ſit author intelligendi, cæteroquin non eſſet ſubſtantia optima,& præſtantiſſima,quę ſe ipſa contenta nullius opera indiget, qua boni quippiam adiſpiſcatur, ſed ſua ſubſtantia, & per ſuam ſubſtantiam,atque in ipſo idem prorſus eſt vis intelligẽs, & id,quod intelligitur,quod cõſentaneum ſit Deum, qui eſt prima, & maximè,ſuaque natura mens, illud tanquã ſuæ intelligentiæ obiectum habere propoſitum,quod eſt primum, & maximè,ſuaque natura intelligibile,hocque ſit natura,& eſſentia ipſius,quæ ab omni materia, omnibuſque materiæ proprietatibus ſua natura ſegregata eſt primum, & maximè, ſuaque natura intelligibilis. Nullis igitur rerum ſpeciebus Dei eſſentia obſignatur,nihilque eſt in rerum vniuerſitate,cuius imago feriat eſſentiam diuinam,ſed propria eius functio eſt ſui ipſius cõtemplatio,quæ eſt vita beatiſſima, boniſque omnibus affluentiſſima. Id Ariſtoteles *in lib.* 10. *Ethic. ad Nicom. cap.* 8. perſpicuè voluit, qui poſtquam nullas virtutum actiones, nullaque officia Deo eſſe tribuenda explicauit, concludit præſtantiſſimã Dei beatitudinem in ſola contemplatione conſiſtere, quod & *in lib.* 12. *poſtnat.* 39. apertius ſignificauit,quo in loco ſcripſit, qualis eſt hominis ſapientis res pulcherrimas contemplantis vita, talẽ eſſe immo infinitis etiam partibus iucundiorem,& perfectiorem primę mentis vitam,quamquam illud interſit,quod in homine ſapiente hæc vita

Deus perpetuo intelligit.

Deus ſuã ſubſtãtiã, & per ſuã ſubſtantiã intelligit.

In Deo idem eſt, vis intelligẽs, & id, quod intelligitur.

Ariſtotel.

fuga x

fugax eſt, atque perbreuis, & prima mens æuo fruitur ſempiterno, ſeque perpetuo intelligens æterna potitur voluptate, atque adeo immenſa, vt nemo poſſit cogitando vel minimam eius partem adumbrare. Porrò cum diuina intelligentia habeat ſummum nobilitatis gradum, partibuſque innumerabilibus vincat hominum intelligentiam, ea ſic eſt ipſius Dei, vt etiam ſit reliquorum omnium, quæ vllo modo mente concipi poſſunt. Huius ea eſt ratio, quod cum Dei eſſẽtia ſit rerum omnium exemplar, quippe quã naturæ omnes pro ſua quæque facultate nituntur exprimere, vt nihil ſit, quod ad eius ſimilitudinem non ſit factum, Deus hanc intuendo ſimul quoque cernit omnia, quorum eſt exemplar, atque eo modo, qui naturæ diuinæ eſt accommodatus. Hunc modum aperiens D. Dionyſius *in lib. de diuin. nom. cap.* 2. habet hæc: Diuina mens omnia continet ſcientia, quæ ſecreta eſt ab omnibus, quod per cauſſam rerum omnium in ſe rerũ omnium ſcientiam anticipatam habet, ita vt Angelos, antequam fierent, cognoſceret, proferretque in lucem, & quæ ſunt, omnia ex ſe, atque ab ipſo, vt ita dicam, initio cognita haberet, in lucemque proferret. Idque diuina ſcripta tradere exiſtimo, cum aiunt: Qui nouit omnia, antequam fierent. Neque enim ea, quæ ſunt, ex ijs, quæ ſunt, diſcens nouit diuina mens, ſed ex ſe, & in ſe per cauſſam rerum omniũ cognitionem, ſcientiam, eſſentiamque anticipatam, & antè comprehenſam habet, non quod per ſpeciem ſingula conſideret, ſed quod vno cauſſæ complexu omnia ſciat, & contineat, quemadmodum etiam lux per cauſſam in ſe tenebrarum notitiam anticipatam, & informatam habet, quod non aliunde, quam ex luce tenebras noſcit. Se ipſam ergo noſcens diuina ſapiẽtia nouit omnia, ſine materia ea, quæ ex materia conſtant, ſine diuiſione ea, quæ diuidua ſunt, multa coniunctè, dum ipſo vno omnia & nouit, & procreat. Si enim cauſſa vna Deus cunctis rebus eſſentiam largitur, eadem etiam cauſſa vna omnia, vt à ſe profecta, & in ſe antè cõſtantia cognoſcet, neque ab ijs, quæ ſunt, ipſorum notitiã accipiet, ſed ipſe ſingulis ſui, & aliorum notitiam impartiet. Non igitur Deus aliam quidem ſui, aliam vero aliorum ſcientiam habet: Ipſa enim ſe ipſam omnium cauſſa noſcens nullo prorſus modo ea, quæ à ſe profecta ſunt, & quorũ cauſſa eſt, ignorabit. Hac igitur ratione Deus cuncta cognoſcit, non quidẽ vlla rerum, ſed ipſa ſui ipſius ſcientia noſcens, etenim Angelos quoque ſcripta diuina ea, quæ in terris fiunt, ſcire tradunt, non quod ea ſenſibus noſcant, etſi ſub ſenſum cadant, ſed mentis ſuæ diuinam ſpeciem præſeferentis vi, atque natura. Hactenus hic doctiſſimus vir, cuius ex verbis liquet Deum ſe ipſum, qui eſt omnium cauſſa, intelligẽdo alia omnia intelligentiã comprehendere. Itaque quoniam Deus vnico, ac ſimpliciſſimo intuitu ſe ipſe intuetur, vnico etiam intuitu cætera omnia habebit cognita, neque ſolum præterita, & inſtantia,

Deus ſic ſe ipſum intelligit, vt etiam reliqua omnia intelligat.

Dionyſius.

ſed futura quoque tenebit. Et quod quidem futura cadant ſub Dei intelligentiam, omnes rectè ſentientes conſenſerunt ea ratione adducti, quoniam ſi Deus, quæ futura ſunt, ignoret, quia horum nõ eſt ignarus at primum ſunt facta, ſequitur, & vt ex futurorum ignorantia ad horum notitiam mutetur, & vt in rerum cognitione proficiat ea intelligens, quæ antè non intelligebat: Hæc verò turpia ſunt, quoniam Deus in nullam poteſt mutationem incurrere, qui ſemper vno & eodem ſe habet modo, eiuſque ſcientia ſic ſumma eſt, vt nullam quamuis minimam poſſit accipere acceſſionem. Et ſi Dei virtus tã latè patet, vt ad omnia pertineat, quæ modo quouis poſſunt fieri, quo pacto Deus, qui nec imprudens, nec inſciens verſatur in ſuis operibus, non explicatiſſimè tenebit omnia, quæcunque ſunt futura? At ſanè notitia futurorum ſic naturam diuinam comitatur, & vt ſit firmiſſimum diuinitatis argumentum, (hinc illud Iſaiæ *in cap. 41.* Annunciate, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dij eſtis Vos) & vt illa ſublata hæc neceſſariò tollatur, quod cum Ciceroni eſſet obſcurum, hic iure, ac meritò fuit a D. Auguſtino caſtigatus *in lib. 5. de Ciuit. Dei cap. 9.* quod non intellexerit amentis eſſe Deũ ponere, & ei futurorum cognitionem eripere, non enim Deus poteſt eſſe, niſi præſcius ſit futurorum, & vt inquit D. Hieronymus *in lib. 3. dialog.* aduerſus Pelegianos, cui adſimitur præſcientia, ei vna eripitur diuinitas. Qua vero ratione Deus futura habeat comprehenſa, varij variè explicant. D. Thomas *in p. p. quæſt. 14. art. 13.* huius eſt ſententiæ. Cum æternitas eſſentiam, & cognitionem Dei metiatur atque æternitas Boethio definitore *in lib. 1. de conſol. phil. proſ. 6.* ſit interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſſio, Deo totũ ſimul aderit, præſenſque erit vitæ infinitæ ſpacium, nec quicquam ab eo vel tanquam futurum, vel tanquam præteritum aberit. Quapropter hic ſuam retinens ſimplicitatem, infinitaque præteriti, ac futuri ſpacia complectens omnia, quaſi iam gerantur, ab æternis ſeculis ſui ſimplici intelligentia perſpiciet, nec ſecus quæ nobis ſunt præterita, vel futura, intuebitur, atque ea, quæ ſunt inſtantia: Enim vero quæcunque in variis, ac ferè innumerabilibus temporis partibus cõtinentur præteritis, ac futuris, ea ſimplici vnitate, tanquam arctiſſimo nodo comprehenſa ſimul ſunt in æternitate, quæ cum ſit prorſus imparti bilis, non poteſt, vt tempus, in multas, variaſque partes diſtrahi, ſed ſimul tota eſt in ſeſe collecta: Ex quo fit, ut Deus vna, eademque ſimplici intelligentia ſimul comprehendat res in ſuarum cauſſarum facultate poſitas, atque extra vim illarum in natura rerum conſtantes Cũ igitur res omnes quales, quales fuerint, ſiue neceſſariæ, ſiue mutabiles, ac contingentes, extra ſuas cauſſas poſitæ certa cognitione ab hominibus accipiantur, Deus perfectò has explicatè habebit compre-

Deus futura habet comprehẽſa.

Futurorũ notitia diuinitatis argumentum.

D. Augu.

D. *Hiero.*

Deus, qua ratione intelligat futura.

D. Tho. opinio.

Boethius

Aeternitas quid.

Google

comprehenſas,quamuis actum nactæ nondum fuerint,& adhuc lateant in vi,& facultate ſuarum cauſſarum, ſiquidem cum tẽpus omne,& quæcunque ſunt in ſingulis partibus temporis,ſimul iuncta exiſtant in æternitate,atque in conſpectu mentis diuinæ,conficitur, vt Deus vno,& eodem intuitu comprehendat ea in ſuis cauſſis contenta,atque extra has in rerum vniuerſitate poſita,ac proinde de ijs omnibus,quæ futura ſunt,certiſſimam habeat cognitionem,neque falli poſſit in his percipiendis. Alij cum non intelligerent, quomodo res futuræ poſſint re ipſa.Deo eſſe in æternitate præſentes ſic,vt exiſtant extra ſuas cauſſas,antequam oriantur,in alias ſententias deſcẽderunt. D.Bonauentura *in lib.1.ſent.diſt.39.quæſt.3.ar.2.* ea de cauſſa Deum,quæcũque ſunt futura, putat habere perſpecta,quoniam in ſe continet rerum omnium ideas, quarum beneficio comprehendit res futuras, ac ſi eſſent ſibi præſentes extra ſuas cauſſas exiſtentes. Hanc ſententiam, quam D. Thomæ probatam fuiſſe Caetanus *in p. p. quæſt.* 14.*art.* 13. & alij nonnulli exiſtimant, oppugnat Scotus *in lib.* 1.*ſent.diſt.*30.*quæſt.* 1. nam cum quæ ſunt futura,quod hoc tẽpore,& non alio efficiantur,ex diuina voluntate exiſtat, quæ ſtatuit illa hoc tempore,& non antè,aut poſt producere,nequit fieri, vt ſolæ ideæ ſint integra,ſuiſque numeris expleta cauſſa,cur Deus cognoſcat,quæcunque ſunt futura: Quocirca tum propter hoc,tũ propter alia, quæ non eſt, vt perſequamur, totam hanc cauſſam reuocat ad Dei voluntatem,ex qua cum omnia & pendeant,& conſequantur, quod ſtatuto tempore naſcantur, atque quod potius hoc, quam alio tempore oriantur,relinquitur Deum,cui ab omni æternitate ſua uoluntas fuit perfectè cognita,rerum futurarum, antequam proferantur in lucem,explicatiſſimam cognitionem habere. Hic quoque modus non caret difficultate,nam rogo,nunquid ea,quæ ab humana voluntate fluunt,ſequantur Dei voluntatem: Si affirmetur, quicquid ſponte fit ab hominibus,id erit ad Dei uoluntatẽ referendum; quod eſſe nefas declarant ſcelera ſpontè commiſſa ab hominibus: Sin negetur, non perſpicio, quo pacto Deus ex eo, quod probè teneat ſuæ voluntatis decreta, cognoſcat ea quæ ſunt futura, humanæ voluntatis opera. Sed quicquid ſit de harum opinionum varietate, quas in examen diligentius uocare huius non eſt loci, aut diſputationis, certiſſimum eſt in Deo cuncta, quæ ſunt, quæ fuerũt, & quæ futura sũt, ratione quadam ſingulari, ac præſtantiſſima contineri, multoque perfectius, quam in ſe ipſis exiſtant poſita in rerum vniuerſitate: Et vero hinc efficitur, vt Deus ſuam eſſentiam intuendo vna quoq; cætera omnia intueatur ab æternitatè præterita, inſtantia atque futura qualiacunque hæc ſint ſiue neceſſaria, ſiue contingentia; nam cognitio diuina ſic eſt præſtans, & ſingularis, ut par ſit hac ab æternis

D.Bonau. opinio.

Accuſatio

Scoti opinio.

Accuſatio

ſeculis perfectiſſimè apprehendi quale,& quid futurum ſit id,quod eſt eius naturæ,vt poſſit fieri,& non fieri. Non enim exiſtimandum eſt,cum aliquid recens gignitur,tum eius notitiam in Deo excitari, quoniam hoc,vt dictum eſt,nihil indignius Deo poteſt cogitari, ſed huius ab infinitis ſeculis antè habuit intelligentiam non ſecus,ac ſi ei præſens fuiſſet extra ſuas cauſſas conſtitutum, nec ſecus illud tum, cum genitum eſt,apprehendit,atque antè, quam in lucem prodiret: Ab omni mutatione prorſus vacua eſt Dei intelligentia, neque ex rebus vllo modo pendet ſent ens ortum & interitum. Cauſſa igitur, ob quam Deus omnia futura habet perpecta,in diuinæ cognitionis, præſtantia eſt locanda,quæ cognitio diuina ſic eminet, adeoque excellit, vt exactiſſimè res omnes attingat futuras,ſiue ſint neceſſariæ, ſiue contingentes, ſiue etiam ex libera hominum voluntate proficiſcantur. Id autem quo fiat modo, autumãt viri præclariſſimi eſſe incomprehenſum. Atque id conſentit cum D. Auguſtino *in lib. 15. de Trinit. cap. 7.* Quis hominum, inquit, poteſt comprehendere iſtã ſapientiam,qua nouit Deus omnia,ita vt nec ea,quæ dicuntur,præterita,ibi prætereant,nec ea,quæ dicuntur futura, quaſi deſint, expectentur,vt veniant,ſed præterita,& futura cum præſentibus ſint cũcta præſentia,nec ſingula cogitentur, & ab aliis ad alia cogitando tranſeatur, ſed in vno conſpectu ſimul præſtò ſint vniuerſa? Idem in lib. 11. de Ciuit. Dei cap. 21. habet hæc; Deus non more noſtro vel quod futurũ eſt,proſpicit,uel quod præſens eſt aſpicit, vel quod præteritum eſt,reſpicit, ſed alio modo quodam à noſtrarum cogitationum conſuetudine longè,lateque diuerſo. Ille quippe nõ ex hoc in illud cogitatione mutata,ſed omnino immutabiliter videt ita, vt illa quidem,quæ temporaliter fiunt,& futura nondum ſint & præſentia iam ſint,& præterita iam non ſint,ipſe verò hæc omnia ſtabili,ac ſempiterna præſcientia comprehendat,nec aliter oculis, aliter mente,non enim ex animo,& corpore conſtat,nec aliter nunc,aliter antea,aliter poſtea, quoniam non ſicut noſtra ita eius quoque ſciẽtia trium temporum,præſentis videlicet,& præteriti, & futuri varietate mutatur,apud quem non eſt immutatio,nec momẽti obumbratio. Nec enim eius intentio de cogitatione in cogitationem tranſit, in cuius incorporeo contuitu ſimul adſunt cuncta, quæ nouit, quoniam tempora ita nouit nullis ſuis temporalibus notionibus, quemadmodum temporalia mouet nullis ſuis temporalibus motibus. His D. Auguſtinus ſignificat Deum,quæ maxima eſt, ac infinita ſuæ intelligentiæ perfectio,ſimul omnia præterita,inſtantia,& futura habere comprehenſa,tametſi quo id fiat pacto, a nobis ignoretur.

Deus quod omnia futura habeat perſpecta, exiſtit ex diuinæ cognitionis præſtantia.

D. Augu.

Cognitio

Cognitio diuina rerum, quæ fiunt, antequam fiant, non tollit è rebus contingentiam, neque hominibus eripit liberam agendi facultatem. Cap. XLI.

VErũ enim vero licet certa ſit in Deo futurorũ omniũ cognitio, hinc tamen minimè fit, quæcunque oriuntur, neceſſario contingere, & quod ſequitur, e rebus tolli contingentiam, atque in hominibus deſtrui liberam voluntatem, nam quemadmodum Medicus, vt ait Damaſcenus in dialogo aduerſus Manichæos, morbum futurũ prænoſcens non eſt cauſſa, cur morbus neceſſariò accedat, & quemadmodum ſi quis in foro ſedens otioſus aſpiciat hominum alios obſonia vendere, alios emere, nonnullos currere, quoſdam quieſcere, & alios alia agere, hic eius intuitus his non adiungit neceſſitatem, eodẽ modo mens diuina talia apud ſe præſentia ſpectans, qualia in tempore olim futura euenient, non ſua intelligentia efficit, vt hæc neceſſario contingant, ſed omnia ſinit ſuis legibus fieri, nec vllius naturæ ſtatum perturbat. Sed audiamus D. Auguſtinum cum Euodio *in lib. 3. de libero arbitrio* hunc in modum hac de re loquentem. Vnde tibi videtur aduerſum eſſe liberum arbitrium noſtrum præſcientiæ Dei? quia præſcientia eſt? an quia Dei præſcientia eſt? Euod. Quia Dei potius. Aug. Quid ergo ſi tu præſciens peccaturum eſſe aliquem, nõ eſſet neceſſe, vt peccaret? Euod. Immo neceſſe eſſet, vt peccaret: Non enim aliter eſſet præſcientia mea, niſi certa præſcirem. Aug. Non igitur quia Dei præſcientia eſt, neceſſe eſt fieri, quę præſcierit, ſed tantummodo, quia præſcientia eſt, qua ſi non certa prænoſcit, nulla vtique eſt. Euod. Conſentio, ſed quorſum iſta? Aug. Quia niſi fallor, non continuò tu peccare cogeres, quem peccaturum eſſe præſcires, neque iſta præſcientia tua peccare eum cogeret, quamuis ſine dubio peccaturus eſſet: Non enim aliter id futurum eſſe præſcires. Sicut itaque non ſibi aduerſantur hæc duo, vt tu præſcientia tua noueris, quod alius ſua voluntate facturus eſt, ita Deus neminem ad peccatum cogens præuidet tamen eos, qui propria voluntate peccabunt. Hæc, & alia D. Auguſtinus, ex quibus non eſt arduum intellectu, qua ratione rerum contingentia, liberaque hominum voluntas cum prægrediente Dei intelligentia optimè cohæreant. Quod ſi aliquis vrgeat nos dicens, quod euenturum Deus intelligit, id non euenire non poſſe, quod autem eſt huius modi, id ex neceſſitate contingere, ergo quæcunque cadunt in anticipatam Dei cognitionem, ea fieri neceſsario; hic admonendus erit neceſſitatem non eſse vnius modi, ſed de ſententia Boethij *in lib. 5. de conſol. phil. proſa 6.* aliam eſse ſimplicem, atque abſolutam, & aliam ex cõditione: Simplex neceſſitas

Damaſc.

D. Augu.

ceſſitas eſt, veluti cum dicimus omnes homines neceſse eſt mori; ex *Neceſſitas ex conditione.* conditione vero, ut cum aliquem neceſsario incedere affirmamus, ſi eum incedere intueámur; quod enim verè aſpicitur, id nequit eſse aliter, atque aſpiciatur. Prior neceſſitas ſequitur propriam naturam rei, cui attribuitur: poſterior conditionis adiectionem, nulla enim neceſſitas cogit progredi ſpontè ambulantem, quamuis hunc, ſi ambulare cernatur, progredi ſit neceſse. Ergo cum duplex ſit neceſſitatis diuerſitas, ſanè quicquid euenturum Deus intuetur, id neceſsum eſt fieri, verum neceſſitate, non ſimplici, ſed conditionis, quæ neceſſitas cum non fluat ex intima rei natura, ſed extrinſecus accedat, optimè cohæret cum natura mutabili, & contingente. *Quicquid euenit, cū poſſit aliter accidere, id neceſſario, & contingenter accidit* Itaque quod euenit in mundo, id ſi poſſit aliter accidere, & neceſsario, & contingenter oriri, poſsumus aſseuerare, neceſsario ſi cum diuina intelligentia coniūgatur, quæ ſemper eſt vera, nec vlli mutationi obnoxia: cōtingenter autem, ſi eius natura ſpectetur. Neque id cuique faciat admirationem, nam quod fieri oculis aſpicimus, id ſi ea ex parte, qua in aſpectum cadit, intelligatur, ſic fit, vt ſecus fieri nō poſſit, ſi verò abſolutè, & iuxta ſuam naturam, neceſſitatis nexibus abſolutum iudicabitur, ſi fuerit huius modi, vt ſua natura poſſit aliter fieri. Quod ſi *Scrupulus. Euulſio.* ſcrupulus adhuc ſe ingerat, quia ſi homini integrum eſt mutare conſilium, inanis erit Dei præſcientia, quoniam quod hac intelligitur, id fortè mutabitur, hic ex animo euelletur, ſi cogitemus eam eſſe diuinæ mentis præſtantiam, vt quamuis in hominis poteſtate poſitum ſit mutare conſilium, nihilo minus illam optimè perſpicere, an id homo ſit facturus, & quo ſe conuerſurus; atque idcirco ipſam nunquam rapi in errorem, ſed ea ſemper fieri, quæ futura eſſe prænoſcit atque illo prorſus modo, quo hæc futura eſſe antè cognouit. Etenim Deus non ſolum certa cognitione habet omnia percepta, ſed omnes quoque modos habet exploratos, quibus in ſuis officiis verſantur: Quocirca cum Dei prouidentia ſit conſtitutū res ſic ſua munera exequi, vt harum aliæ contingenter, quædam liberè, & nonnullæ neceſſario ſua munera ex ſe fundant, ſic ſingulæ Dei cognitioni ſunt expoſitæ, vt Deus intelligat ipſas eo modo ſuis muneribus fungi, quo verſari in his ſunt aptè natæ, vt cū a Deo prǽuiſum ſit me literis hæc mandaturum eſſe, ſic is habuit huius cognitionem anticipatam, vt me liberè hæc conſcripturum cognouerit, & quoniam id liberè feci id quoque a me liberè factum iri fuit ab eo antè cognitum. Quapropter tantum abeſt, vt Dei notitia ſit in cauſſa, vt faciam hoc neceſſariè, vt contra quia huius principium in me poſitum eſt, id me liberè acturum eſſe Deus cognouerit. Atque in hanc ſententiam Origenes *Origenes.* in epiſt. ad Romanos ſcribit non propterea aliquid futurū eſſe, quia id ſcit Deus futurum, ſed quia futurum eſt, ſciri à Deo. Idem in lib.

contra

contra Celſum reprehendit hunc virum ſtatuentem, quòd aliquis prædixit, ideo fieri, quia prædictum eſt, aſſeuerans non prędictorem eſſe cauſſam futuri, ſed futurum, quod erat omnino euenturum etiā nemine prædicente præcognitori cauſſam prædicendi dediſſe. Et in com. in Gen. dum illud interpretatur: In ſigna facta ſunt luminaria: proponit conſiderandum, quo pacto cū a ſeculo futura omnia Deus „ præſciat, libero nos fruamur arbitrio, atque id his explicat: Primum „ aggrediamur, quod Gentilium ſapientes in magnos intruſit erro- „ res. Cum enim vniuerſa Deum præſcire non negarent, neceſſario „ nos agere, quicquid agimus, crediderunt. Nam ſi ab æterno inquiūt „ iniuſtum aliquem futurum Deus præuidit, nec ſcientia diuina falli „ poteſt, erit omnino ille in uſtus, nec fieri poteſt iniuſtum eum nō fo- „ re, cum non poſſit aliter agere, quam Deus præſciat: Ex quo ad ſe- „ quentia etiam nonnulli deſcendentes fruſtra culpari iniuſtos conten „ dunt, ſimiliterque de cæteris delictis, & de virtutibus opinantur: vn „ de ſequitur liberam nō eſſe hominis voluntatem, ſi Deus futura præ- „ ſciat. Aduerſus quos dicendum eſt, quod omnia Deus ab æterno vi- „ deat antecedentia, ſequentia, cauſſas rerum, atque effectus, nec ta- „ men omnium ipſe eſt cauſſa: Nam quemadmodum ſi quis temeritatem alicuius hominibus perſpexerit, & quia ignorantem eum cognouit, propter temeritatem eius non dubitet periculoſa eum, ac lubrica aggreſſurum itinera in quibus lapſus miſerè iacebit, non efficit hunc ipſe temerariū illi homini lapſum, ſic Deus cū vniuſcuiuſq; volūtatē præuideat, hunc perperam, illum rectè acturum non ignorat. Non ergo præcognitio futurorum eſt cauſſa, nec etiam vllo pacto ad peccandum Deus quemquam impellit, aut mouet ſed cōtra (dicam enim etiam ſi abſurdum multis forſitan videatur) id, quod futurum eſt, cauſſa eſt, vt Deus illud euenturum præuideat. Nō ergo ideo fit, quia præſcitur ſed quia futurum erat, præſcitur. Hæc & alia Origenes, quæ Euſebius *in lib. 6. de præparat. euangel. cap. 9.* longa ſatis oratione perſequitur. In his autem id cautè eſt accipiendum, quo affirmatur, quod futurum eſt cauſſam eſſe diuinæ prænotionis, quoniam id non ſimpliciter eſt intelligendum, nam ſi id ſimpliciter, ac verè diceretur, ſcientia Dei æterna ex his rebus caducis penderet, neque Deus ex ſe, & in ſe, ſed ex ijs, quæ ſunt, addiſceret, quod eſt turpiſſimū tribuere Deo, qui, vt inquit D. Aug. *in lib. 15 de Trinit. c. 13.* non ob id intelligit vniuerſas creaturas corporeas, & magnitudine carentes, quod hæ ſint in rerum vniuerſitate, ſed cōtra hæ ſunt, quia cadunt in diuinam intelligentiam. Cautè igitur oportet id intelligere, quod non ſolum eſt Origenis, verum etiam Iuſtini *in quæſt. ad Orthodoxos quæſt. 58.* Hieronymi *in cap. 26. Hieremiæ.* Chryſoſtomi *in hom. 66. in Matthæum,* Cyrilli *in lib. 9. in Ioannem cap. 11.* & aliorum

Euſebius

Cautio

D. Augu.

Iuſtinus.
Hieron.
Chryſoſt.
Cyrillus.

noſtræ

Digitized by Google

noſtræ religionis clariſſimorum virorum,& in quo explicando multum operæ poſitum fuit a Magiſtro ſententiarum *in lib.* 1. *diſt.* 38. & ab alijs Theologiæ magiſtris. Ex his apertum eſt, quamuis omnia certa, & immutabili Dei cognitione antecedente percipiantur, hanc tamen antecedentem Dei cognitionem non eſſe cauſam, vt cuncta fiant neceſsario,atque ineuitabili eueniant neceſſitate,ſed, vt inquit Boethius *in lib.* 5. *de conſol. phil. proſa* 4. ſignũ duntaxat hæc neceſſario eſſe euentura,atque eo modo,quo apta,& nata ſunt eueni re. Quapropter tantum abeſt, vt ex certa Dei cognitione concludatur effectum non eſſe futurum contingenter, vt cõtra ratione veriori ſit concludendum illud prorſus euenturum eſſe contingenter, ſi hoc modo fieri aptè fuerit natum,quia cum Dei notitia ſit certa, necullam neceſſitatem admittat,neceſſe eſt effectũ eo fieri modo, quo antè fuit diuina mente conceptum, eo autem modo futurum eſſe diuina mẽs præuidit,quo fieri ſua natura eſt aptè natum. Sed de huius argumenti Stoicorum ſolutione ſatis ſupreque diximus, nunc ad inſtitutam diſputationem regrediamur.

Boethius.

Fatum quam varie a Poetis,Chaldeis,Stoicis, & alijs fuerit explicatum. Cap. XLII.

Fatũ eſſe conſenſus eſt omniũ.

RESTAT,vt de fato diſquiramus,finemque his diſputationibus tandem faciamus. Fatum eſſe aliquid omnium hominum conſenſus eſt argumento. Hinc illæ voces apud hiſtoriarum ſcriptores;
" Fato hoc tale accidit. Regna, & imperia fatis aut euerſa, aut ſtabili-
" ta, & apud poëtas, deſine fata Deum flecti operare precando: fatis
" agimur,cedite fatis: Fata regunt homines. Quò fata trahunt, retrahuntque ſequamur. Quapropter de Anaxagora non iniuria quiſpiã admirabitur,qui fatum eſſe nomen vanum, & commentitium affirmans hanc omnium conſenſu aſſertam, atque defenſam opinionem fuit calumniatus. Porrò etſi omnes philoſophi præter Anaxagorã, & omnes poetæ in huius viæ capite,quæ ducit ad fatum cõuenerint, non eadem tamen ſemita omnes ſunt progreſſi. Poetæ fatum, quod a fando nomen accepit, vt ab edicendo edictum,a decernedo decretum,nihil eſſe voluerunt,quam totius concilij Dearum dictum,& iuſſum,quod nulla ratione,nullaque hominis prudentia poteſt vitari, hoc vero dixerunt exequi Parcas, noctis, ſiue neceſſitatis filias, quæ,quod nemini parcant, fuerunt hoc nomine nuncupatæ: Hinc Apollo in oraculis apud Theodoretum *in lib.* 10. *de curat. græc. affect.*

Anaxagoras fatum eſſe nomen vanũ exiſtimauit.

Fatũ quid Poetis.

Parcæ.

Apollinis oraculum.

Parcarum conſulta feras,quæ vertere non eſt,
His etenim certus promiſit Iuppiter auctor,

Quod

Quod fuſis voluant, inconcuſſum fore ſemper.
Euripides in Ione, **Euripides**
Hæc ſunt ferenda, conuenit confidere,
Decreta fato præterire quis queat?
& Homerus in lib. 6. Iliadis, **Homerus**
Non potuit parcam quiſquam vitare virorum
Fortis, uel timidus, cum viſit hominis auras.
Voluerunt preterea fatum omnia habere ſubiecta, *Fato ſubiecta omnia*
Fata regunt orbem, certa ſtant omnia lege.

cecinit Manilius in lib. 4. aſtrolog. atque etiam Diis ipſis dominari: Hinc apud Moſchionem auctore Stobæo *in lib. 1. eclog. cap. 8.* Parca ſola Diis, mortalibuſque imperat, & apud Homerum Thetis non poteſt fata Achillis impedire, & Iuppiter dolore cruciatur, quod longiore vita non potuerit contra fata donare Sarpedonem Hos ſequutus Herodotus ſcripſit in Clione Deum quidem poſſe fatum effugere, & in eorundem ſententiam accipiendum, eſt illud Platonis *in lib. 2. de legibus.* Neceſſitati ne Dii quidem ipſi poſſunt obſiſtere, & audiendus eſt Seneca *in lib. de prouidentia.* cum inquit. Eadem neceſſitas & Deos alligat, irreuocabilis humana, ac diuina pariter curſus vehit. Ille ipſe omnium conditor, ac rector ſcripſit quidem fata, ſed ſequitur, ſemper paret, ſemel iuſſit. Martianus *in lib. 1. Philologiæ* ſtatuit fata eſſe Iouis ſentētias, atque has excipi à tribus Parcis, quæ ſunt veluti ſuperum ſcribæ, ac librariæ, archiuique cuſtodes. Phornutus *in lib. de natura Deorum* etſi Parcas tribuat Ioui, alia tamē ratione has introducit, nempe vt trinam temporis proprietatem denotent, harumque primam putat Clothon appellari, quod omnia, quæ fiunt filorum ductioni ſimilia ſint alijs ſuccedentibus aliis: alteram Lacheſim, quod omnia, quæ cuilibet in natiuitatis primordio attributa ſunt, quaſi ſorte quadam obueniāt, tertiam Atropon, quod nullo modo ea peruerti poſſint, quæ ab ipſa fuerunt diſpoſita, & decreta. Eandem ſubiungit Adraſtiam vocari, vel quia nullo poſſit modo euitari, vel παρὰ ἀεὶ τὸ δρᾶν id eſt, quod ſine fine operetur, ſuoque fungatur officio, quaſi ſemper in opere exiſtens. Fulgentius in lib. 1. Mythologiarum non Ioui, ſed Plutoni fata, parcaſque tribuit: Tria, inquit, ipſi Plutoni fata deſtinant, quarum prima Clotho, ſecunda Lacheſis, tertia Atropos: κλωθὼ enim græcè euocatio dicitur, λάχεσις vero ſors nuncupatur, ἄτροπος quoque ſine ordine dicitur, hoc videlicet ſentire volentes, quod prima ſit natiuitatis euocatio, ſecunda vitæ ſors, quemadmodum quis viuere poſſit: tertia mortis conditio, quæ ſine lege venit: Sed hæc Poetarum ſunt. Plerique veterum philoſophorum ad ipſum vniuerſi principium aſcendentes ab ipſo tanquam à perenni fonte cuncta fluere prediderunt atque

Manilius
Fatū Diis dominatur.
Moſchio.
Homerus.
Herodot.
Plato
Seneca
Martianus.
Phornutus
Fulgētius
De fato veterum philoſophorū opinio.

Zz illud

rò ordinem ſequi, id eſt temporis diſpoſitionem, qua res perficiuntur. Et paucis interiectis hæc ſubiungit: Fatum, neceſſitas, ordo uel maximè Dei nutu ſunt effecta, qui mundum gubernat ſua lege, & ratione diuina. Ab his ergo omne velle, & nolle diuinitus eſt auerſũ; nec enim ira commouentur, nec gratia flectuntur, ſed ſeruiũt neceſſitati rationis æternæ, quæ æternitas eſt inauerſibilis, immobilis, & inſolubilis. Fatum itaque eſt, quod veluti iacto ſemine futurorũ omnium ſuſcipit prolem, ſequitur neceſſitas, qua ad effectum omnia vi compelluntur, tertius eſt ordo ſeruans textum earum rerum, quas fatum, neceſſitaſque diſponit. Huic Mercurii decreto proximum eſt Stoicorum dogma. Hi fatum, quod Proclo authore *in com. in Heſiodi opera & dies* dixerunt eſſe Iouis mentem, tanti fecerunt, vt voluerint ipsũ rebus cunctis afferre neceſſitatem, & eſſe penitus ineuitabile: Quamobrem in ore ſemper habebant hos Cleanthis Stoici verſus, quos fecit latinos Seneca *ſub exitum lib. 18. epiſt.* & D. Auguſtinus *in l. 5. de Ciuit. Dei cap. 7.* dignos putauit, qui ab ipſo recitarentur.

Stoicorũ opinio de fato.

Seneca
D. *Augu.*

Duc me parens, celſique domitor poli,
Quocunque placuit, nulla parendi mora eſt.
Aſſum impiger, fac nolle, comitabor gemens;
Maluſque patiar, quod pati licuit bono.
Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

Cleanthis carmina

Huius verò uim, & naturam vt aperirent, varias ipſius diffinitiones excogitarunt. Zeno Citieus Stoicorum princeps authore Theodoreto *in lib. 6. de curat. Græc. affect.* ſenſit fatum eſſe vim ſecundum eadem eodem modo materiæ motricem, quam nihil interſit prouidentiam etiam, aut naturam dixiſſe. Alij ſcripſerunt fatum eſſe feriem, & ordinem cauſſarum à prima ad vltimam neceſſario procedentẽ, per quem quæ ſunt, exiſtunt, & quæ facta ſunt, ortum habuerunt, & quæ faciunda, originem ſunt habitura. Itaque hi fatũ, quod græcè dicitur εἱμαρμένη, ἀπὸ τοῦ εἱρμοῦ hoc eſt à ſerie nomen accepiſſe tradiderunt. Seneca *in quæſt. nat.* fatum finiuit rerum omnium, actio nũque neceſſitatem, quam nulla vis rumpere poteſt: Idem *in lib. 4. de beneficiis cap. 4.* ſtatuit fatum eſſe Deum, Iouemque Optimum, Maximum, nam cum fatum nihil aliud, ſit quam ſeries implexa cauſſarum, ille eſt prima omnium cauſſa, ex qua cæteræ pendent. Eiuſdem opinionis, quod ſcilicet fatum ſit Deus, fuit Panętius, apud Stobæum *in lib. 1. eclog. cap. 9.* quod dogma Poſſidonius eius auditor non eſt amplexatus, qui referente Plutarcho *in lib. 1. de placitis Philoſophorum cap. 28.* primum locum Ioui, ſecundum naturæ, tertium fato conceſſit. Chryſippus in fato definiendo varius fuit, eiuſq; tres fati definitiones recenſentur à Plutarcho in loco proximè recitato: Vna eſt: fatum eſt vis ſpiritalis ordine vniuerſum gubernans.

Zeno Citieus

Seneca

Panætius

Poſidon.

Chryſipp.

 Altera,

Digitized by Google

Altera, Fatum eſt mundi, aut eorum, quæ ſunt in mundo, ac prouidentia adminiſtrantur, lex: Tertia, fatum eſt ratio, ſecundum quam & quæ fuerunt, facta ſunt: & fiunt, quæ fiunt, & fient ea, quæ erunt. Idem, ſi credendum eſt A. Gellio *in lib. 6. Noct. Att. cap. 2.* Fatum eſt inquit, *in lib. 4. de prouidentiâ* ſempiterna, & indeclinabilis cauſſarũ ſeries, & cathena, voluens ſemetipſa ſeſe, & implicans per æternos cõſequentiæ ordines, ex quibus apta, connexaque eſt. Horum opinio cum illa veterum philoſophorum ſententia à nobis ſecundo loco memorata conuenit, quod ab vno principio cunctis infuſo ſingula per rationes ſeminales ponit proficiſci, id quod & Stratoni placuit, diſſidet vero, quia totam efficientiam nõ tribuit huic principio, ſed multas prætera cauſſas efficientes inducit, quæ non ſecus agunt, ac moueantur a primo principio, quæque deinceps ſeſe conſequuntur, atque ita connectuntur, vt a prioribus deducantur poſteriores, & quicquid agunt, neceſſario efficiant, atque ideo ad omnem vbique euentum cunctæ ſimul complicatæ, quamuis aliter alibi conſpirẽt.

Strato.

Porrò fieri omnia neceſſitate quadam ineuitabili Chryſippus ſummus fati patrocinator vt perſuaderet, *in lib. 1. de fatis* (teſtatur Euſebius Ceſarienſis *in lib. 6. de præparat. euangel. cap. 7.* ac prætera Theodoretus *in lib. 6. de curat. græcarum affect.*) multa, & varia adhibuit Homeri teſtimonia, & illud maximè.

Non eſt, qui fixas Parcarum auertere leges,
Effugere aut poſſit.

atque vſus fuit expoſitione, & notatione nominum; Itaque ſcripſit fatum græcè appellari πεπρωμένην, quaſi πεπερασμένην, hoc eſt perfectã, definitamq; rerum gubernationem, & εἱμαρμένην, quaſi εἰρομένην, hoc eſt complicatam eandem, conſeruatamque ſiue ex diuina voluntate, ſiue ex quacunque alia cauſſa: Parcas τὰς μοίρας fuiſſe dictas, quod particulatim ſingulis diuiſæ, ac diſtributæ ſint. Numero Parcarum ternario tria nobis tempora ſignificari præteritũ, inſtans, & futurum, quibus omnia reuoluuntur, & conſummantur: Lacheſim a verbo λαγχάνω nomen accepiſſe, quia ſorte vnuſquiſque ſibi diſtributum habet, quod ſemel eſt fato decretum: Atropon eſſe ſtabilitatem ſortis illius, quæ inuerti, & commutari non poteſt: Clothon nominatam eſſe a verbo eiuſdem vocis κλώθω, vt hinc intelligatur modo eorum, quæ nentur, omnia fato circunuolui, & complicata connecti, vnamque eſſe Parcarum diſpoſitamque ſententiam; Totam hanc ſeriem prouidentiam nominari, eo quod ſingula ad vtilitatem, commodaque diſpenſet, eandemque dici Adraſtiam a verbo διδράσκω, quia nihil videlicet eam effugiat. Atque hoc modo putauit Chryſippus ſe ſatis ſuperque ineuitabilem rerum omnium neceſſitatem confirmaſſe: Verum enim vero cum intelligeret noſtram voluntatem

Parcæ quid ſignificẽt.

luntatem eſſe liberam,ſuique dominam,*in lib.2. eiuſdem operis* multa tenuiter, arguteque diſſeruit, vt explicaret quonam pacto omnia fato fiant, & aliquid ſit in nobis,quorum ſenſus huiuſmodi eſt; Quãquam ratione quadam principali omnia cogantur, & fato ſint connexa,mentium tamen noſtrarum naturæ perinde fato ſunt obnoxiæ vt ipſarum eſt proprietas. Enimuero ſi a natura ſalubriter, utiliterque fuerint conformatæ,& bonarum diſciplinarum præſidiis munitæ, omnem illam vim, quæ de fato extrinſecus ingruit, abſque vlla offenſione tranſmittunt: Sin verò ſunt inſcitæ,& rudes,nulliſque bonarum artium adminiculis fultæ,etſi paruo,uel nullo fatalis incommodi conflictu vrgeantur,ſua tamen vi,& uoluntario impetu in aſſidua delicta, & errores præcipitantur, idque ipſum, vt ea ratione fiat, in cauſſa eſt neceſſaria rerum conſequentia, quæ fatum vocatur. Eſt enim quaſi fatale, & conſequens,vt mala ingenia peccatis, & erroribus non vacent: Id vel hoc vno exemplo poteſt declarari: Si lapidem globoſum per ſpacia terræ prona, & dirupta iacias, cauſſam quidem, & initium præcipitantiæ ei dederis, mox tamen ille præceps voluetur, non quia tu id iam facis, ſed quoniam ſic figuræ ipſius uolubilitas eſt conſtituta. Eodem modo ratio,ordo, neceſſitaſque fati principia cauſarum mouet, impertus verò conſiliorum,mẽtiũq; noſtrarũ, actioneſq; ipſas uolũtas cuiuſq; propria, & animorũ ingenia moderantur: Qua de re præclarè dictũ fuit a Pythagoricis homines ſpontaneas haurire calamitates,quaſi, detrimenta, ſinguli ſibi ipſi faciant, ſuoque impetu delinquant, atque in incommoda ruãt ſua ex electione,ac intentione. Non igitur audiendi ſunt homines nocentes, qui in culpa, & maleficio deprehenſi confugiunt ad fati neceſſitatem,tanquam ad aliquem fani aſylum: & quæ peſſimè fecerunt, ea non ſuæ temeritati, ſed fato tribuenda eſſe affirmant.

Chryſippus vt declarauerit noſtrã voluntatem eſſe liberã quãuis omnia fato fiant.

Hæc eſt ſumma eorum,quæ a Chryſippo fuerunt tradita, aduerſus quem egregiè diſputarunt Alexander *in lib. de fato,* Euſebius *in lib. 6. de preparat. euangel.* Theodoretus *in lib. 6. de curat. græ. affect.* & his atteſtantibus Oenomaus, & Diogenianus, quorum hic docuit Chryſippum non probè tenuiſse Homeri ſententiam, quando quidem Homerus,nequaquam velit omnia fatò fieri, ſed quædam duntaxat,idque patet ex ijs,quibus Iuppiter *in lib. 1. Odyſſeæ* Deos alloquitur,quibuſque ipſe quoque Chryſippus eſt vſus, vt multa eſse in noſtra poteſtate oſtenderet.

Chryſippus confutatus.
Alexand.
Euſebius.
Theodor.
Oenomau.
Diogenia.

Incuſant, cauſſaſque ſibi fontemque malorum.
Et nobis pendere putant, atque aſpera rerum
Quæ veniunt, ſua cum pareant ob facta ſceleſti,
Ac præter fatum cumulent ſibi corde dolores,
Atque infanda ſua malefacta libidine tentent.

His

nos antroſum, retrorſunque reuocare, ſicutque ipſi contrarii ſibi sũt, ita & nos trahere in contrarias functiones, vbi iam decreta ſit ſedes vitii, ac virtutis. Dictat enim ratio vnum eſſe tractationum huius modi principatum, quem ſi quis ita conſectatur, vt ab eo nunquam deficiat, planè perſentiet modicas omnino eſſe vires affectionũ, quæ in contrarias partes ſeſe trahere conentur, hanc verò ductũ, ac principatum rationis eſſe aſſerimus. His Plato declarat homines nulla cogi neceſſitate, vt vitia amplectantur, & affectionibus perturbentur, ſed eſſe animæ cum ſe ipſa certamen, adeſſeque illi victoriæ facultatem, ſi modo ad virtutem conſtituat inclinare. Hominem itaque ducit cupiditas ad ſeipſam, ex aduerſo idem trahitur ab iracũdia, ipſe autem ſui iuris eſt, liberamque parendi, & repugnãdi habet poteſtatem, quod illius ſunt partes, vt aurigam ſe præbeat, agatque affectus, non vt agatur ipſe, trahaturque ab affectibus. Idem *lib.* 10. *de legibus* habet hæc: Cauſſas autem qualitatis cuiuſpiam pẽdere Deus dimiſit a noſtris ſingulorum voluntatibus, qua enim præditus cupiditate fuerit, qualiterque animo affectus, eo ferè ſemper modo, taliſque vnuſquiſque noſtrum plerumque fieri conſueuit. Maior igitur eſt anima, & potentior, quam ſit virtus, & vitium, quando quidem & ſua ipſius voluntate, & valida conſuetudine immutatur. Etenim cum diuinæ virtuti commiſcetur, egregiè tranſit in egregiam illam virtutem, ſanctique cuiuſdam loci fit particeps, tota nimirum tranſlata in locum alium potiorem: cum verò contraria virtuti elegerit, ad contrarias quoque ſedes vitam ſuam traducit, atque conſtituit. His Plato nos monet penes animæ poteſtatem eſſe meliorum rerum peiorũque opinionem, hancque efficere, vt nos vel huc, vel illuc inclinemus, atque virtutem diligamus, & vitia perſequamur. In eãdem ſententiam Maximus Tyrius *in ſerm.* 25. Deus, inquit, animum terreſtri corpori tanquam aurigam impoſuit currui, cuius & habenarũ ſuſtinendarum, & incitandi vim eſſet habiturus. Huic enim aurigæ ſimul aurigandi artem, vireſque tradidit, ſimul etiam liberam abutendæ artis voluntatem dedit, qui poſtquam inſcenderit currum, & habenas acceperit, ſiquidem felix, beatuſque animus ſit, memoriamque habeat ſe iuſſu Dei ſublatum eſſe in currum, validequè aurigationem regere debere, nimirum habenas moderatur, regitque currum, & equorum temeritatem contundit. At equi diuerſum appetunt curſum, temereque huc, atque illuc rapiunt currum, hic ad petulantiam, ingluuem, ac contumeliam, ille ad temeritatem, atque ferociam, alius verò tarditatem, mollitiem, ſeruitutem, atque humilitatẽ ſectatur. Cuius modi ſeditionibus currus diſtractus aurigam conturbat, & ſi vnius equorum vis potens vincat, fertur currus pro libidine equi victoris. Quo fit, vt victrice interdum petulantia vna

Maximus Tyrius

curtus,

currus, & auriga rapiatur ad cõtumelias, conuicia, impuritates, atq; alias nefarias, minimeque ſynceras voluptates, interdum verò dominante iracundia in multas, uariaſque calamitates vterque feratur in præceps. His alia poſſent adiungi, ſed inane eſt id pluribus confirmare, de quo nulla vnquam fuit inter probatiores Platonis ſectatores diſſenſio. Porrò quamuis hi non probè tenuerint Platonis ſententiam, non vno tamen, eodemque modo a reliquis ſententiæ Platonicæ explicatoribus diſputatum eſt de fato. Iamblichus *in epiſt. ad Macedonium* hæc de fato ſcripta reliquit a Stobæo *in lib. 1. eglog. cap. 9.* memorata. Quæcunque ſunt, per vnum ſunt, ſiquidem quod primum eſt, ab vno proficiſcitur; multo vero magis, integræ cauſſæ per vnum vim efficiendi naniſcuntur, eodemque euentu vel componuntur, vel diſſoluuntur. Eodem ſanè pacto cum naturales cauſſæ variorum ſint generum, ac à pluribus principiis dependeant; & ab vna integra cauſſa tota dependet multitudo, & vna copula inter ſe cuncta colligantur, adque ſummam cauſſam plures aliæ referuntur. Hoc igitur vnum eſt vinculum de multitudine collectum, quod nec coniunctionem per copulam efficiat, nec per ſingula diffluat, ſed ſecundum precedentem cauſſarum copulam cuncta perficiat, in ſe colligat, ad ſe referat. Quocirca ordinem vnam omnes in ſe ordines cõplectentem fatum definire liceat. Hæc Iamblichus. Proclus numen quoddam ſublunare cogitauit, quod rerum mortalium generationibus, ac mutationibus præfecit, cuiuſque leges dixit eſſe fatales. Alcinous *in inſtitutione ad Platonis doctrinam* ſcribit de fato talia quædam Platoni placere. Omnia in fato eſſe, non omnia tamen fato eſſe definita. Fatum enim inſtar legis nequaquam dicere hic illa faciet, ille verò hæc patietur, ſed quod ſi quis animus vitam huius modi delegerit, atque talia fecerit, hæc illum conſequentur: Liberum ergo animum eſſe, atque in eius poteſtate ſitum illa agere, vel non agere, nec ad ea vlla neceſſitate cogi, quod autem in illo ordine ſequitur, id fato perfici, veluti Paridem Helenam rapere hoc liberum fuiſse; Græcos autem pro Helena aduerſus Troianos bellum ſuſcipere, quod cõſequens fuit, fato definitum fuiſse. Apuleius *in lib. de Platonis dogmate* fatum definit legem diuinam, per quam inenitabiles Dei cogitationes, atque incæpta compleantur: vultque quicquid prouidentia definitur, fato expleri, & quicquid fato terminatur, prouidentia ſuſcipi. Plutarchus *in lib. 1. de placitis philoſophorum* tradit Platonem fatum definiuiſse rationem ſempiternam, legemque æternam vniuerſalis naturæ. Idem *in lib. de fato* ſcribit fatum dupliciter intelligi, vel cum ſubſtantiam eius animo intuemur, vel cũ ex ijs, quæ agit, & eſse id, & cuius modi vim habeat recognoſcimus: Si poſteriore modo intelligatur, fatum deſcribitur, quod ſit diuina oratio, quam

Iāblichus. *Proclus.* *Alcinous* *Apuleius* *Plutarch.* *Fatum bifariam intelligitur.*

tranſiri

tranſiri ſit nefas, & quæ à cauſſa pendeat nulli impedimento obnoxia. Iſtud fatum Plato multis in locis ſignificauit, nam ipſum appellauit in Phædro legem Adraſtiæ, hoc eſt legem ineuitabilem, & minimè mutabilem: In lib. 10. de Rep. Lacheſis orationem, id eſt legem diuinam, qua præteritis, & præſentibus connectuntur futura: Et in Timæo leges, quas de vniuerſi natura Deus dixit animabus, hoc eſt leges, quæ mundi naturam ſequuntur, & quibus omnia mundana reguntur. Sin autem modo priore fatum accipiatur, eſt anima mundi in tres partes quaſi diſtributa, ſcilicet in portionem inerrantem, in eam quæ vagari putatur, & in tertiam ſublunarem, quarum ſuprema dicta eſt Atropos, proxima Clotho, infima Lacheſis: Atropos, quod prima ſphæra in nulla ſit deflexione: Clotho propter uariè perplexam, tortuoſamque vertiginem, qua proueniunt ea, quæ diuerſæ naturæ de vius motus importat: Lacheſis vero, quaſi ſortita id muneris, vt omnia prędictarum opera, effectuſque ſuſcipiat. Hęc omnia Chalcidius digna putauit, quæ de græcis conuerſa in ſua Timæi explanatione adſcriberet. Eadem eſt fati Platonici explicatio apud Nemeſium *in lib. de natura hominis*, & Gregorium Nyſſenum *in lib. 6. philoſophiæ cap. 4*. Plato, inquit hic, bifariam nominat fatũ, hoc quidem ſecundum ſubſtantiam, aliud vero ſecundum actum; Secundum ſubſtantiam ſanè animam vniuerſi, ſecundum actionem autem diuinam legem imprævaricabilem propter cauſſam ineffugibilem, quam etiam conſtitutionem vocat ineuitabilem. Hanc autem legem ad cunctorum decorẽ a primo, & ſupremo Deo animæ vniuerſi datam eſſe, per quam producit ea, quæ fiunt. Hoc autem, quod eſt ſecundum actionem, fatum etiam ſecundum prouidentiam dicit. A prouidentia enim contineri fatum: nam omne, quod ſecundum fatum eſt, etiam ſecundum prouidentiam fieri, non tamen omne, quod ſecundum prouidentiam eſt, etiam ſecundum fatum eſſe. Hos ſequitur Sebaſtianus Toxius *in Timæi commentariis*. Inquiunt alii rerum omnium ſeriẽ, & ornatum in mente, in anima mundi, & in rerum natura reperiri: Cum vero quicquid in rę aliqua continetur, in ea inſit, vt eius vis, & natura patitur, hinc fieri, vt hæc rerum diſpoſitio non vbique eandem habeat nomen clationem eandemque dignitatem, nam in mente legem Saturni nominari, eſſeque multo illuſtriorem, latiuſque patentem, quam in reliquis, in anima mundi legem Iouis, atque hanc ſuperiori quidem cedere dignitate, & amplitudine, verum proximè ſequentem longè excellere, quæ lex fatalis dicta cæteriſque minus elegans, minuſque ampla rerum naturæ fuit cõceſſa: Quoniam vero hæc rerum ſeries non poteſt conuelli, immota, & vbique ac ſemper ſibi conſtans, eam legis Adraſtiæ nomine ſignificari. Sunt denique nec ſanè pauci, neque obſcuri nominis, qui

Chalcid.

Nemeſi.

Sebaſtianus Toxi.

Aliorum opinio.

Lex Sat.

Lex Iou.

Lex fatalis.

Lex Adraſtiæ.

Alia opinio de ſententia Platonis.

arbitrantur Platonem voluiſse fatum eſse animæ mundi diſpoſitionem, qua cuncta per cælorum conuerſiones ordine ſuo, ſuoque loco, & tempore digeruntur, explicantur, atque adminiſtrantur; Hinc illud definiunt immutabilem in anima mundi rerum omnium diſpoſitionem, ſtatuuntque huius inſtrumentum eſſe cælum, cæliqué motum, materiam vero quatuor elementa, & corpora ex his compoſita. Id ſcribunt Platonem *in lib. 10. de Rep.* ſignificaſſe, quo in loco finxit fuſum adamantinum intra Deę neceſſitatis genua conuerti, huiuſq; Deæ tres eſſe filias Lacheſim, Clothon, & Atropon, quę æquali inter ſe interuallo in throno ſedentes veſtibus albis, & capite coronato ad Syrenum harmoniam canunt, Lacheſis quidem præterita, Clotho præſentia, & Atropos futura; atque vna cum matre fuſum non abſque aliqua temporis intermiſſione manibus circunagunt. Horũ hanc afferunt explicationem: Dea neceſſitatis eſt anima mundi, quę hoc nomine vocatur, quoniam ſingula eo ordine, quo ſunt a ſummo rerum opifice diſpoſita, cõſeruat, nec quicquã ſinit illius leges adeo transgredi, quin mox in leges regrediatur. Fuſum adamantinum ſignificat cælos, qui ſunt animæ mundi inſtrumenta in hanc inducã vniuerſitatem ſuas vires effundentis, hos autem ipſa mundi anima genibus, hoc eſt infima ſui parte motrice, qua cuncta caduca diſpenſat, & adminiſtrat, adeo facilè, & expedite in orbem conuertit, vt interim ſuprema parte intellectuali ſuauiſſimo cõtẽplationis gaudio perfruatur. Tres parcæ vel tria tempora nobis indicant præteritum, præſens, & futurum, quibus omnia reuoluuntur, oriuntur, & occidunt, quæcunque fato ſubiiciunt, vel oſtendunt tria munera animę mundi ad res fatales pertinentia: Lacheſis illud, quo ſortes, formæque viuendi animabus inſeruntur in hæc corpora deſcenſuris, Clotho id, quo in actum viuendi inſitæ vitæ ſortes certo ordine traducuntur, atque actu explicãtur, & Atropos illud, quo vitæ iam in actũ traductæ quodam progreſſu indeclinabili ad ineuitabilem vſque terminum conſeruantur, atque cuſtodiuntur. Ex his poteſt intelligi, quid ſibi Proclus voluerit, cum ſcripſit *ſub exitum de Theologia Platonica* Lacheſim in animas agere ante delectum, hoc eſt antequam deligant in hæc corpora ingredi, nam, vt inquit Plato *in Timæo, & in lib. 10. de Rep.* Deus animis caduca corpora ingredi appetentibus leges fatales narrat, vt ipſe extra culpam exiſtat, & ne ex harum ignoratione illæ contra peccata, & vitia quærant excuſationem Clothó poſt delectum torquere, & congruum ſingulis fætum diſtribuere: Atropon poſt has fatalium regularum, deſcendentiſque ab vniuerſo ad nos ordinis finem concludere, & animis reuolutis immutabilitatem, ac terminum indere. Parcæ finguntur in ſolio ſedentes paribus interuallis inter ſe diſtare, quoniam iuſta eſt inter fata, & per fata diſtributio.

Fatum quid.

Neceſſitatis Dea anima mundi.

Fuſum adamantinum.

Tres parcæ.

Proclus.

ſtributio. Eædem cãdida veſte ſunt amictæ, & capite coronatæ, quia ipſarum natura eſt integra, inuiolata, & ſummo cum imperio. Syrenes ſunt octo cæleſtium ſphærarum ſoni. atque ex ſonis exoriens harmonia. Cantare eſt ſtatutis temporibus ſingula cum in modum digerere, quo diuina Mens digerenda eſſe proſpexit; Atque hinc fit, vt Parcæ temporanea duntaxat cantibus proſequantur. Poſtremo cum inquit Plato Parcas fuſum, hoc eſt cælum intermiſſione quadã temporis circunagere, id ita exponendum eſt, non vt fata in ijs, quæ cæli amplexu coercentur, gubernandis vllam faciant proprii officij intermiſſionem, & modo regant, modo non regant, ſed vt fata partim res tractent, partim non tractent: Enimuerò anima mundi quãuis in ſua puritate conſiſtens mortalia ſic adminiſtret, vt eis nequaquam admiſceatur, cuncta tamen ſuo imperio nõ habet ſubiecta, ſed ſola naturalia, nam quæ ſupra naturam ſunt, & ſola intelligẽtia percipiuntur, fugiunt fati poteſtatem, & ad mentis prouidentiam fato ſuperiorem reuocantur. Hinc in Politico ſcriptum eſt, quæ ſunt in mundo, alias in prouidentiam cadere, & alias in fatum, nõ quod certis temporum curriculis viciſſim fiat inter fatum, & prouidentiam in his adminiſtrandis commutatio, ſed quoniam eorum, quæ ſunt in mundo, alia fato, & alia prouidentiæ ſubiiciuntur. Sunt etiam quædam, quæ quandoque ſunt ſub fato, & quandoque ſub prouidentia, nimirum animæ rationis compotes, quæ cum ab hoc corpore diſiũctæ vitam viuunt deditam contemplationi, ſunt a fato liberæ, & ſoli prouidentiæ ſubiiciuntur, cum verò poſthabita contemplatione inclinant ad imaginationem, & propenſio ad corpus inualeſcit, ad fatum iam accedunt, & a libertate recedunt. Animas eatenus fatum ſubire, quatenus in hæc corpora ſeſe induunt, Timæus ſignificauit, cũ dixit animas tunc primum leges fatales didiciſſe, cum fuerunt vehiculis adiunctæ, ex quibus fati exordia trahuntur. Eadem corpori cõiũctæ tametſi corporis fæto ſint obnoxiæ, minuſque habeant priſtinæ libertatis, non omnino tamen fato ſunt ſubiectæ, ſed partim ſupra fatum, partim in fato, partim ſub fato. Enimuerò cum anima noſtra duabus viribus ſit donata, quarũ vna, quæ animæ caput, vt mens nuncupatur, in rebus æternis contemplandis verſatur; altera regit corpus, quam Platonici nuncupant animæ rationalis idolum, & ſimulachrum, in eaque locant ſemina motionum, & qualitatum omnium, quæ ab anima in corpore explicantur, per vim priorem anima hominis eſt ſupra fatum, & ſoli ſubiicitur prouidentiæ, quippe quæ per hanc facultatem eſt in mentium ſerie, & cum prima, ſupremaque mente fato ſuperiore coniuncta, nam hæc prima, diuinaque mens, quæ eſt caput mentium, & mundus intelligibilis, Bonique proles nominatur, radium ſuum, in quo rationes omnium, quæ ſunt

Syrenes

Fato non omnia ſubiecta.

Animæ rationis compotes quãdo ſub fato, & quãdo liberæ a fato.

Anima noſtra vt ſupra fatum ita fato, et ſub fato.

Anima caput.

Animæ idolum.

Mens diuina.

Aaa 2 pro-

producenda, continentur, in reliquas omnes mentes ex ipſa pendentes demittens has gradatim ornat, ſic vt in ſingulis exprimat totius mundi imaginem, atque ſe reliquis mentibus, & has inter ſe, atque ſibi ita coniungat, vt mentium omnium fiat mutua connexio, & in vnum conſpiratio, cui nomen eſt prouidẽtia, at vero per facultatem poſteriorem anima noſtra non eſt quidem ſupra fatum, verum nec etiam ſub fato, ſed in fato, ſiquidem per hanc virtutem conſpirat cũ reliquis virtutibus, quibus anima mundi, & reliquæ animæ ſuperiores ſua corpora mouent, & regunt, quarum omnium conſpiratio fatum nominatur: Verum enim vero quoniam anima humana vtitur corpore, cui tribuit vim quandam vitalem vna cum corpore diuiduam, quam Platonici inquiunt eſſe ipſius corporis naturam, vocãtque veſtigium ſiue vmbram animæ in corpore, & vitam corporis ab animæ vita perfluentem, quæque fati legibus eſt adſtricta, hac ratione fit, vt leges fati ſentiat, ſitque ſub fato poſita, quod ſi corporis voluptatibus indulgeat, & in corporis affectibus penitus confirmetur fato obruitur, omnique libertate ſpoliatur. Præclare in hanc ſententiam ſcribit Simplicius *in Epitectum cap. 3.* animum rationis compotem, cum ſe ipſe corpori dederit, irrationalibus, & corporalibus motibus trahi, ac impelli, neque amplius liberos in ſua poteſtate motus habere, cum uero iuxta ſuam naturam, & actionem agit, tunc liberè, ſuoque arbitratu intus a ſe ipſum cieri, atque in eo liberam eſſe agendi facultatem, & Boethius *in lib. 5. de conſol. phil. proſa. 2* ſtatuit hominum animas, cum ſe in diuinæ mentis ſpeculatione conſeruãt, maximè liberas eſſe, minus cum ad corpora dilabuntur, minuſque etiam, cum terrenis artubus colligantur, in extrema vero ſeruitute eſſe, cũ vitijs deditæ rationis propriæ poſſeſſione ceciderunt, nam vbi oculos a ſummæ veritatis luce deiecerint ad tenebroſa, & inferiora, mox inſcitiæ nube caligant, pernitioſiſque turbantur affectibus, quibus accedendo, conſentiendoque adiuuant, quam ſibi inuexerunt, ſeruitutẽ & quodammodo ſunt propria libertate captiuæ. Nec minus præclarè Iamblichus *in lib. de myſt. Aegyptiorum* reſpondet Porphyrio affirmanti Aegyptios omnia & ipſam noſtram voluntatem ſtellarum conuerſionibus ſubieciſſe, duas in homine animas reperiri, vt Mercurij monumenta teſtantur, vnam à primo intelligibili prouenientem, ſuique creatoris virtutem participantem, alteram a cæleſtium reuolutionibus impertitam, & ad vſum corporeorum inſtrumẽtorũ accommodatam: Hanc eſſe animam ſenſualem, quæ a cælo data cæleſtium circuitus, & momenta ſequitur: illam eſſe animam intellectualem, quæ ab intelligibili proficiſcens, omniſque naturæ excellens appellationem ineſt intelligibiliter, eiuſque beneficio ſoluimur a fato, & ad Deos intelligibiles aſcendimus: Non igitur putandum

Animæ ueſtigium et vmbra.

Simplic.

Iãblichus

Anima dua in homine.

eſt

eſt vinculo neceſſitatis inexplicabili, quod fatum appellant, omnia conſtringi, quod anima proprio quodam principio ſit donata, quo ad intelligibile eſſe extollit, & ab ijs, quæ oriuntur, & occidunt, ſeſe expediēs cum eo, quod ſummè eſt, ſummamque habet diuinitatem, coniungitur. Et paucis interiectis ſubiungit non omnia in natura fati eſſe poſita, ſed vnum principium animæ datum eſſe, quod naturam excellit, & omnem hominis intelligentiam ſuperat, per quod poſſumus & Diis coniungi, & ordinem, diſpoſitionemque mundi ſuperare, ac vitam æternam, Deorumque ſupercæleſtium gratiā nobis cōciliare. Hoc eodem principio poſſumus nos à fato liberare, nā pars, quæ in nobis eſt princeps, cum ſuas functiones edit, anima noſtra reuocatur ad præſtantiora, & ab ijs vinculis, quibus erat in generatione alligata, ſoluitur, ſoluta verò hinc libera ad ſtatum honeſtiorem progreditur, uitāque multo meliorem pro hac commutat, & felix ad alterum cultum primo derelicto traducitur. Hæc, & alia Iamblichus, quibus docet, quo modo anima noſtra ſit fato ſoluta, & huic obnoxia. Cum igitur fatum in ijs non habeat imperium, quæ pertinent ad intelligibilia, atque in eius ditione ſola ea poſita ſint, quæ naſcuntur, & occidunt, atque cælorum conuerſionibus aguntur, cōſtat quæcunque fato adminiſtrantur, prouidentia quoque gubernari, & quæ prouidentia reguntur, nō omnia vim fati experiri. Id pleriq; Academici vt ſignificarent, dixerunt non aliter fatum ex prouidētia pendere, quam calor pendeat ex lumine, nam quæ facit calor, facit & lumen, non tamen retro commeat, vt quæ ex lumine exiſtūt, a calore pariantur, quoniam lumen eſt amplioris virtutis, maioriſque dignitatis. Quamobrem hi non audiunt Cleanthē, qui voluit, quæ fiunt à prouidentia, ea quoque fato fieri, nec tamen quæ fataliter eueniunt, omnia exiſtere ex prouidentia, nec præterea Chryſippum & Apuleium, qui ſenſerunt, prouidētiam, & fatum eſſe æqualis ambitus, nec quippiam fato miniſtrari, quod fugiat prouidentiam, & nihil cadere in prouidentiam, quod fato non expleatur. Porrò hi Platonici tametſi affirment fatum eſſe generalem quandam diſpoſitionem a cauſſa immutabili procedentem, nihilominus cum videāt ea, quæ fato ſubiiciuntur, variè mutari, cauſſaſque ſecundas nō eſſe perpetuas, fatum poſſe mutari aſſeuerant, vt ſæpè quod eſſet futurū, nō efficiatur, vel homines conſilio, atq; induſtria, vel aliqua naturæ cauſſa efficaciore: Scribunt namque in fato duo ſpectari, diuinam voluntatem ad hunc effectum determinatam, & ordinem cauſſarum intermediarum, quæ in agendo ſunt vel contingentes, vel liberæ, vel neceſſariæ: primum fatentur eſſe omnino neceſſarium, & immutabile alterum contingens, & poſſe mutari. Iſtud inquiunt fuiſſe ſignificatum a Boethio, qui *in lib. 4. de conſol. phil. proſa 6.* finiēs fatum inhærentem

Fato quæ fiunt, prouidētiam adminiſtrantur, & quæ reguntur prouidentiā, nō omnia fato ſubiiciuntur.

Fatum poteſt mutari.

Boethius.

rentem rebus mobilibus diſpoſitionem, ſecundum quã diuina prouidentia ſuis quæque nectit ordinibus, ſignificat fatalem rerum diſpoſitionem non modo ab immutabilibus prouidentiæ initiis effluere, & propterea eſſe immutabilem, uerum etiam rebus mobilibus hærere, quarũ ratione fit, vt poſſit impediri, contingentis, naturam aſſumat. Eiuſdem opinionis ſunt Plutarchus, & Syneſius, quorum ille *in lib. de fato* ſtatuit omnia contineri à fato, nec ſingula tamẽ neceſſariò contingere, ſed vnumquodque vt ſuæ poſtulat naturæ conditio: hic vero tradidit *in orat. Aegypt. ſiue de prouidentia* regem Aegyptiorum ſummum prophetam, & rerum diuinarum peritiſſimum Oſiridem filium, vt Typhoni fratri vitam eriperet, hiſce admonuiſſe; „ Fratrem, ſi ſapis, prohibe, ne tuum, & Aegyptiorum fatum ipſe peruertat, licet enim, ac fieri poteſt, nam ſi indulſeris, & emollitus fueris, ſerò Deos expecta. Quinetiã Plato inquit in Gorgia effæminati, ignauæque mulierculæ eſſe non ſibi perſuadere fatum poſſe vitari. Fatalem vero fortem, poſſe frange, & impediri per ſapientiã Cabaliſticã exiſtimant Cabaliſtæ, per preces ad Deũ, vel ad ſydera effuſas Aegyptii, & Chaldæi: Iamblichus per efficacem Deorum ſuper cæleſtiũ cultum, & Porphyrius per magicam doctrinã, idque *in lib. de oraculis* Euſebio referente *in lib. 6. de præparat. euangel.* confirmauit Apollinis teſtimonio, qui a quodam interrogatus, cur ineptus ad rem quãpiam gerendam fuiſset ab ipſo iudicatus, reſpondit eum fatorum vi impediri, quam artibus magicis poterat effugere. Sed de fato ad Platonis, & Platonicorum ſententiã hæc percurriſſe ſufficiat, deinceps quid de fato ſenſerit Ariſtoteles, eſt diſquirendum.

Plutarch. *Syneſius.* *Plato* *Fatũ quibus impediatur.* *Cabaliſta Aegyptii. Chaldæi. Iãblichus* *Porphyr.*

De fato quid Ariſtoteles ſenſerit. Cap. XLIV.

Author li. de mundo ad Alexãdrum quæ ſcripſerit de fato.

SVb exitum lib. de mundo ad Alexandrum hæc habentur, quæ ad vim & naturam fati explicandam magnopere pertinẽt: Equidẽ neceſſitatem ipſam etiam nihil aliud, quam Deum dici cẽſuerim, & intelligi, cui ἀνάγκη ex eo nomen eſt, quod natura quædam eſt immobilis, eundemque εἱμαρμένην, id eſt fatum, dictum à ſerie rerum conſerta, inoffenſoque tenore procedente, & alio nomine πεπρωμένην ideo appellauerũt, quod ab eo omnia terminata ſunt, ac nihil in rerũ natura infinitum eſt. Quin eſt μοῖραν. id eſt ſortem appellatũ eundem ꝙ e ſũma partitione rerum dixerim, & νέμεσιν quaſi poteſtatem diuinam eius, quod cuiq; ſuũ eſt, diſtributricem ἀδράστειαν etiã, quaſi cauſſam quandam natura comparatam, quam fallere nemo queat, aut vitare, αἶσαν denique dictum quaſi ſemper exiſtẽtem: Iam quod de Parcis, & de fuſo proditum eſt earum, eodem id etiam quodãmodo pertinet: ſiquidem tres Parcas tria in tempora partiti ſunt, filũq;

fuſi

fuſi partim iam peractum, partim futurum, partim iam intorqueri dixerunt: earum vnam ſtatuẽtes in eo, quod iam profligatum eſt, quã Atropon ideo nuncuparunt, quoniam ea, quæ præterieré, retrorſus agi nequeunt, at Lacheſis functio futuris deſtinata eſt, omniũ enim, quæ ſecundum naturam fiunt, ſors ſua quodque manet præſentibus autem rebus, aut inſtantibus Clothus opera attributa eſt, quæ nere vnicuique conficit, quod ſuum eſt. Hocque fabulamentum rectè, atque ordine compoſitum eſt, proinde hæc omnia non aliud quicquã, quam Deus (vt eſt vetuſto verbo proditum) principium, & finem, & media rerum omnium tenens, rectaque linea incedens operatur ille quidem ſecundum naturam, è veſtigio comitem habens iuſtitiæ præſidem, quam *δίκην* nominauerunt diuinæ legis vindicem, ſimul vt quicquam ſanctionũ eius prætermiſſum eſt, cuius vt ſit particeps numinis iam inde oportet ab initio, qui ad vitam beatam euaſurus eſt, atque felicem. Hæc hoc in loco, quæ ſi ab Ariſtotele ſcripta fuiſſent, vt cenſet Iuſtinus, qui *in admonit. ad Gentes* hunc librũ vocat ſynopſim totius Ariſtotelis philoſophiæ, planè quid de fato Ariſtoteles ſentiat, non eſſet arduum intelligere, verum enim vero quoniam grauiſſimi Peripatetici exiſtimant hujus libri auctorẽ non fuiſſe Ariſtotelem, quod multa in eo reperiantur, quæ non cohærent in decretis Ariſtoteleis (hunc librum quiſpiam fortaſſe non iniuria exiſtimabit a Poſſidonio Stoicæ fuiſſe conſcriptum, quod mũdi definitio initio cap. 2. poſita a Laertio in Zenonis vita affertur tanquam Poſſidonij in meteorologicis) illo poſt habito aliunde eruenda eſt a nobis Ariſtotelis ſententiam, ad id autem ita aggrediamur: Fatum eſſe aliquid maximi quique philoſophi conſentiunt, a quibus ne rudes quidem, imperitique homines diſſentiunt, in quibus autem vis fati poſita ſit, non caret dubitatione: Planè non eſt, vt rebus cunctis fatũ tribuatur, nam cum fatum communi omnium conſenſu in cauſſis efficientibus numeretur, liquet nõ eſſe vllam fati poteſtatem in ijs, quorum non eſt cauſſa efficiens, veluti ſunt cæleſtia corpora ingenita, & ab omni æternitate cõſtantia. Nec verò etiam in omnibus, quæ cauſſam habent effectricem poteſt fatum ius ſuum exercere, quoniã quæcunque in ordinatam, certamque generationem incurrũt, atq; vno, eodemque modo ſemper oriuntur, veluti ſunt Lunæ, ſoliſque defectus, poſita ſunt extra fati authoritatem, illud eſt in cauſſa, quia fatũ huius videtur eſſe naturæ, vt quæ in diuerſas, contrariaſque partes poſſunt euenire, in altera cohibeat ſecundum quandam ordinis conſequutionem, at Sol, & Luna cum deficiunt, ſic patiuntur defectum, vt non poſſint vel alio modo ipſum perpeti, vel in ipſum non incurrere. Iam verò quæ ex accidenti, & rarò eueniunt, cum fortunæ, & caſui ſubiiciantur, liquidò conſtat fatum non agnoſcere; Quare ſupereſt

Iuſtinus.

Poſſidonius author li. de mundo ad Alexandrum.

Fatũ eſſe maximi quiq; philoſophi conſentiunt.

Fatum nõ eſt eorum, quorũ non eſt cauſſa efficiens.

Fatũ non eſt eorum quorũ eſt certa, ordinataque generatio.

Fatũ non eſt in iis, quæ ex accidenti, & rarò eueniunt.

perest

pereſt in ijs fatum eſſe poſitũ, quæ aliqua finis deſtinatione, ſiue grãtia alicuius finis ſuſcipiuntur, quæque vt plurimũ eodem modo eueniunt. Horum autem quoniam alia ratione efficiuntur, quædam

Fatũ non eſt in iis, quæ ratione geruntur.

ſunt naturæ opera, in iis, quæ a ratione proficiſcuntur, fatum nullius eſt auctoritatis, huius ea eſt ratio, quoniam quæ fato fiunt, ea nequit fieri, vt non fiant, & artifices quæ ex arte, & ratione moliuntur, ea ſic efficiunt, vt quoque non efficere in ipſis poſitum ſit. Abſurdum præterea eſt, quæ in noſtra voluntate conſiſtunt, ea ſubiici fato, quia noſtræ voluntates liberæ ſunt, ab omnique neceſſitatis, aut maioris imperij vinculo ſolutæ, & omnia, quæ ratione conficiuntur, in hominũ voluntate ſunt ſita, de hiſque homines conſultant, decernũtque ſint

Fatum in quibus ſit poſitum.

nec ne illa aggreſſuri. Reſtat igitur ea ſola parere fato, quæ natura generantur, & in contrarias partes poſſunt accidere. Hoc autẽ ſi ita eſt, ratione concluditur fatum, & naturam, ſiue agens naturale vnũ, & idem eſſe, atque id, quod fato dicitur fieri, naturale eſſe, & quod

Fatũ quid.

naturæ inſtitutionem, atque ordinem ſequitur, fato diſponi. Fatum igitur eſt ſeries, & connexio cauſſarũ ſecundum naturam agentiũ, a quibus, niſi impediantur, omnia, quæ natura generantur, certo ordine, certaque lege, ac ſuis ſtatutis temporibus ad certos fines ducun-

Fatum idẽ quod natura.

tur. Ariſtotelem putaſſe fatum idem eſſe, quod naturam, & agens naturale tum inde poteſt intelligi, quod *in lib. 5. phyſ. 57.* generationes violentæ, & non a cauſſis ſecundum conſuetum naturæ ordinẽ agẽtibus effectæ fato non definitæ appellentur, hiſque eæ, quæ ſunt ſecundum naturam, & ab agentibus naturalibus, opponantur; tum &

Alexãder.

ſummorum Peripateticorum auctoritas confirmat, nam Alexãder *in lib. de fato* hãc putauit eſſe Ariſtotelis ſententiam, eamque *ad finẽ lib. 2. de anima* probatam fuiſſe Theophraſto memoriæ prodidit, &

Theophr.

Simplicius *in lib. 5. phyſ. com. 44.* teſtatur ex eo, quod Ariſtoteles ge-

Simplic.

Veteres Peripatetici.

nerationes, quæ non fiunt ſecundum naturæ ſeriem, vocat non fatales, veteres Peripateticos poſuiſſe fatum in iis, quæ ſunt ſecundum naturam. Huic opinioni Latinus poeta videtur aſſentiri, dũ canit.

Nam quia nec fato debita nec morte peribat.

Virgilius.

His enim ſignificat hunc interitum nec cauſſam habuiſſe a natura, nec fuiſſe ſecundum naturæ ordinem, atque inſtitutionem. Id autem vt intelligatur, nõ eſt ignorandum omnem mortalium animã, qualiſcunque ſit, vt materiam compleat, atque inhæreat, certam, ac definitam poſtulare primarum qualitatũ temperationem, quæ eſt veluti apparatus, & cultura materiæ ad illam excipiendam, & exceptã conſeruandam. Hæc temperatio, quia conſtat ex qualitatibus contrarijs caſtigatis vna iunctis, & quia non caret contrario, progrediente tempore ſenſim diſſoluitur, atque a natura definitum tempus ſortita eſt, vltra quod nequit permanere; hac vero diſſoluta nec vel tẽ-

poris

Digitized by Google

poris puncto anima poteſt corpus animare: Quapropter is interitus, qui vſque ad huius temporis finem protrahitur, fato dicitur, & ſecundum naturæ ordinem contingere, quia temperatio, cum qua eſt anima connexa, vltra hoc tempus ſecundum naturæ leges non eſt duratura, & is, qui eſt impedimento, ne vita vſque ad hunc terminũ proferatur, violentus, & non fatalis nominatur, quod non ſit ſecundum naturæ inſtitutionem, quodque vita in multos quoque dies poſſet produci. Id videtur ab Ariſtotele fuiſſe ſignificatum & in lib. 2. de gen. & int. 57. vbi tempus, & vita cuiuſque rei numero continetur, atque definitur, omneque tempus, ac vita certa quadam periodo circunſcribitur, quamquam non eadem omnia, ſed aliis longior, aliis breuior data eſt, & ſub exitum lib. 4. de gen. animal. vbi natura ſibi vult, vt certis periodis omnes generationes, omneſque obitus numeret, ſed id non poteſt exquiſitè facere propter materiæ indefinitionem, & quod multa principia incidant, quæ generationes, & corruptiones ſecundum naturam deſtinatas impediunt, & in cauſſa sũt earum, quæ fiunt præter naturam. Idem poteſt videri fuiſſe Platonicis probatum, qui ſentiunt certam, conſtitutamque numerorum rationem animas cum corporibus iungere, qui numeri quamdiu ſuperſunt, tandiu corpus ab anima regi, & cum deficiunt, protinus vim illam arcanam ſolui, cuius ope ſocietas conſtabat: animam vero nõ deficere, aut laſſari corpus animando, ſed impletis numeris corpus fatiſcere, & cum vlterius non poſſit animari, atque animæ opitulari ad vitę munia obeunda, recedere animam in alias regiones migraturam. Quin & Aegyptii idem ſenſerunt mortis cauſſam ſtatuentes corporis diſſolutionem labore defeſſi, & numeri expletionem, qui membra corporis in vnã machinam aſtricta tenentur ad vſus vitales perficiendos, & in eandem ſententiam Macrobius *in lib. 1. de ſomnio Scipionis*, quem ſequitur Cælius *in lib. 22. cap. 6.* accepit illud Poetæ Latini: Explebo numerum, reddarque tenebris. Sed mehercule parum ſyncerè, nam cum hæc dicantur a Deiphobo iam mortuo fieri nequit, vt illud excipiat hanc interpretationem, quod viuo homini, & non mortuo datum ſit, vt expletione numerorum animi cum corpore ſocietas diſſoluatur. Nonnulli id ita expoſuerunt: Diſcedam, in tenebraſque abibo, vt ibi annorum numerum ad eluendas culpas meas mihi deſtinatum expleam. Qua in re adnotant Platonẽ ad purgandas animas, culpaſque delendas vti triplici numero dennario, centennario, & millenario, quippe qui exiſtimet triplici gradu qualemcunque animarum culpam elui, purgarique poſſe, atque ſummã ſupplicii animarum longitudinem, abſolutamque delictorum purgationem millium annorum ſpatio finiri, quæ cum fuerint purgatæ, tunc maximè videntur aptæ, quæ rurſus in humana corpora trãſmigrent.

Mors fatalis.

Mors violẽta, & nõ fatalis.

Platonici.

Aegyptii.

Macrobius & Cælius caſtigati.

Platonis numeri ad purgãdas animas.

grent. Hinc de quibuſdam animabus, ad quas purgandas centũ opus erat annis, dictum eſt ab eodem poeta Centum errant annos, & de quibuſdam aliis, qui abſoluto annorum ſpatio indigebant.

Has omnes vbi mille rotam voluere per annos,
Letheum ad fluuium Deus euocat agmine magno,
Scilicet immemores ſupera vt conuexa reuiſant,
Rurſus & incipiant in corpora velle reuerti.

Opinio propria de fato Ariſtotelico.

Sed mittamus hæc, quæ ſunt Grammatici, poetarumque interpretis. Hæc opinio de fato equidem non eſt contemnenda, attamen nõ erit abſque probabilitate, neque ab Ariſtotelis doctrina abhorrebit, ſi ſtatuatur vim, & naturam fati ſitam eſſe in materia, atque in eo, quod patitur, & non in ſerie agentium naturalium: Sanè quod fato dicitur fieri, non efficitur abſque miniſterio agentium naturalium, verum quod fit, & dicatur fatale, ex materia exiſtit, atque ex eo, quod patitur, cui innatus eſt impetus ad hoc accipiendum, quod in fato ponitur. Quocirca fatum nihil aliud eſſe crediderim, quam impetũ,

Fatũ quid

inclinationemque inſitam in materia, naturaque patiente, qua hæc inclinat, propendetque ad accipiendum illud, quod accipit, & quicquid fit ſecundum hunc impetum, & hanc inclinationem, quæ vel exiſtit ex primarum qualitatum temperatione, uel patientis formã

Fatale quod.

comitatur, id fato euenire. Confirmat hanc opinionem tum priſcorum philoſophorum authoritas, qui materiam ſtatuerũt fontem, &

Materia fons, et origo neceſſitatis.

originem neceſſitatis ſub exitum lib. 2. phyſ. tum illud, quod fato fieri idem eſt, quod naturale, & natura fieri, & motus fatalis idem eſt, quod motus naturalis, *lib. 5. phyſ.* 5 7. atqui quoniam motus dicitur

Fataliſmotus qui.

naturalis, quia id, quod mouetur, inſitam habet propenſionem ad motum accipiendum, conſentaneum eſt & motum illum eſſe fatalẽ, in quo id, quod mouetur, ac patitur, innatam habet inclinationem,

Motus cur naturalis.

vt motu cicatur, & id fato fieri, quod ſic fit, vt in materia ſit inſita propenſio ad illud conſtituendum, vel accipiendum. Atque hac ratione, quæ fiunt arte, ea non dicuntur fato fieri, quoniam in horum

Arte quæ fiunt, cur fato non fiant.

materia nõ eſt innata propenſio, vt ex ea id, quod arte fit, efficiatur. Cæterum etſi vt quippiam dicatur fato accidere, ſat ſit propenſio materiæ, atque patientis, attamen ſi quoque accedat agẽtis naturalis propenſio, ita vt non ſolum materia ſit procliuis ad conficiendũ, vel accipiendum id, quod oritur, ſed præterea cauſſa efficiens inſitã habeat propenſionem illius efficiendi, hoc multo magis erit in fato ponendum. Quapropter monſtruorum generatio, quæ fit vitio materiæ, non eſt ita fatalis, vt generatio eorum, quæ plerumque eodem modo eueniunt, nam in hac propenſio materiæ comitẽ habet cauſſæ efficientis propenſionem, & illa ſolam continet materiæ inclinationem. Cum igitur quæ parent fato, ſint naturæ ſubiecta, & ab

agentibus

Digitized by Google

agẽtibus naturalibus procreentur, conficitur, quæ fato Ariſtotelico fiunt, non fieri neceſſariò, ſed impediri poſſe, quando quidem quæ natura generantur, ſic fiant, vt eorum ortus poſſit intercipi. Hæc cũ ita ſint, quiſpiam fortaſſe ſibi poterit perſuadere id, quod a Theodoreto poſitum eſt in Ariſtotelis opinione in lib. 6. de curat. græc. affect. videlicet omnia, quæ Lunæ ambitu cohibentur, ſubiici fatorũ poteſtati, id penitus non abeſſe a vero, nam hæc ſita ſunt in poteſtate materiæ, & in agentium naturalium imperio, in quibus poſitũ eſt Ariſtotelis fatum: Quinetiam exiſtimabit ab eodem non immerito ſcriptum fuiſſe Ariſtotelem ſenſiſſe diuitias, inopiam, proſperam, & aduerſam valetudinem, virtutem, & vitia a fato tribui hominibus, quoniam ex his plurimi naturæ ductu feruntur, naturaleſque ſequũtur propenſiones, ex quo efficitur, vt maxima ex parte in ipſis corporis morbi, animi mores, vitæue ſtatus, & mutationes comitẽtur eas, quas corpori natura dedit, conſtitutiones & temperationes. Id confirmat Ariſtoteles *initio lib. phyſiognomicorum* aſſeuerans a corporis paſſionibus animam mutari, atque hanc, & illud ſic eſse connaturalia, ut ſibi mutuo proprias communicent affectiones. Non igitur ab re dictum fuit ab Heraclito hominum morem eſse Deum, hoc eſt naturã, nec inſcitè Poſſidonius dicere ſolebat in nobis inteſtina quędam virtutum, & vitiorum ſemina, & tanquam igniculos deliteſcere. Verum hi igniculi, hæ propenſiones (quæ hominis eſt naturæ præſtantia) ita ſunt in hominibus ingeneratæ, vt educatione, & conſuetudine poſſint refrigerari, & obtundi, atque magis etiam accendi, & confirmari: Quapropter benè, vel vitioſè agendo boni, vel improbi efficimur, & oblatas voluptates perſequendo, vel repudiãdo temperantes, vel intemperantes euadimus, & vt compendio dicam, quales ſunt actiones, tales virtutum, & vitiorum habitus nobis comparamus. Neque id cuipiam afferat admirationem, nam legitur Stilponem Megarenſem naturæ inſtinctu, & propenſione ad ebrietatem, & libidinem fuiſſe proclicem: cæterum in ipſo eã fuiſse doctrinę vim, vt nunquam inciderit in ebrietatem, nec vllum vnquam in eo apparuerit libidinis veſtigium. & Socratem naturali propenſione fuiſse deditũ vitiis, ſed philoſophiæ ſtudio naturam vitioſam ſic edomuiſse, & compreſiſse, ut ab hoc vitæ genere longiſſimè abeſset.

Fato quæ fiunt, non fiunt neceſſario.

Fato ſubiecta omnia quæ Lunæ ambitu cohibentur.

Ariſtotel.

Heraclit.
Poſſidon.

Virtutum et vitiorũ ſemina nobis inſita.

Stilpo.

Socrates

Fatum quomodo eiectum, & admiſſum a noſtris Theologis. Cap. XLV.

PRimi noſtræ Theologiæ proceres fati nomen veluti religioni, hominumque naturæ pernicioſum, ſemper ſunt aſpernati, & ab

Primi noſtræ Theo

logia proces fatum cur damnauerint.
Cha.dei Genethli. Stoici.

ab hoc ſemper abhorruerunt; nam cum illis temporibus fatum trita, & ab omnibus recepta notione ſignificaret ineuitabilem rerum omnium, actionumque neceſſitatem, quam alii ad ſiderum vim, ac poſituram referebant, vt Chaldæi, & Genethliaci, & alii ad ſempiternam cauſſarum ſeriem ex prima cauſſa pendentem, vt Stoici, atque intelligerent hinc tolli liberam hominum voluntatem, ac præterea, ſi Chaldaicum fatum amplexetur, Deo adimi, & ſtellis tribui totius mundi curationem, vel ſi Stoicum adametur, Deû induci neceſſitate naturali in ſuis officijs verſantem, cauſſamque ſcelerum, quæ ab hominibus committuntur, optima ratione a fati nomine tanquam a peſte immaniſſima abhorruerunt: Quapropter in concilio Bracharēſi

Cōcilium Brachar.
Priſcillia.
Leo Pont.

Priſcillianus fuit damnatus, quod animas, corporaque humana fatalibus ſtellis adſtrinxerit: Leoque Pontifex *in epiſt. 91. ad Turibium Aſturicenſem Epiſcopum* ſtatuit eſſe blaſphemiā dicere fatalibus ſtellis animas hominum, & corpora aſtringi, nam per hanc amentiam neceſſum eſſe, vt homines Gentilium erroribus implicati & fauentia ſibi, vt putant, ſidera colere, & aduerſantia ſtudeant mitigare, atque

Gre. Mag.

Gregorius Magnus *in hom. 10. in Euangel.* nos monuit, vt caueremus ne fatum eſſe aliquid diceremus. At vero poſteriores peruerſi illis ſectis iam extinctis, & ex hominum animis euulſis conſiderantes fatū

Fatū unde dictum

dici a fando, fatiq; nomine poſſe intelligi dictum, iuſſumque diuinū, ſiue æternum prouidentiæ decretum, quod tolli non magis è rebus poteſt, quam Deus, & prouidentia ipſa fati nomen nō ita horruerūt,

D. Auguſt.

quamquam a D. Auguſtino *in lib. 5. de Ciuit. Dei cap. 1.* eſſent admoniti, ſi quę prouidentia diuina conſtituuntur, conſtitutaq; ſunt, fato tribuantur, quia ipſa Dei voluntas, uel poteſtas fati nomine appelletur, ſententiam eſſe tenendam, & linguam corrigendam, quod homines, cum id audiunt, vſitata loquendi conſuetudine nō intelligūt

Theologi, poſteriores & fatū explicauerit.

niſi vim poſituræ ſiderum. Hi igitur in explicatione fati primū inquiunt Deum ab omni æternitate ante mundi fabricationē cuncta diſpoſuiſſe, ſinguliſque legem impoſuiſſe, ſecundum quam efficerētur, ad proprioſque fines mouerentur, atq; hanc rerum diſpoſitionē in ſuoſque fines ordinationem in mente ſummi Opificis poſitā vocari

Prouidentia.

prouidentiam, deinde ſubiungunt huius diuinæ prouidētiæ expletionem, qua miniſterio cauſſarum ſecundarum, quæcunque his ſubiecta ſunt, certis ſtatutiſque temporibus in actum traducuntur, ſuis quæq; nectuntur ordinibus, & in fines ſibi conſtitutos diriguntur, fa-

Fatum Fatalibus viculisqua olligata.

tum nominari, tum ex his concludunt ea ſola fatalibus vinculis eſſe colligata, quæ longè abſunt a Deo, cauſſiſque ſecundis ſubiiciuntur, ſiquidem fatum eſt illa effectio, & ad actum deductio, qua quicquid in æternitate Dei prouidentia fuit ſancitum, cauſſæ ſecundæ in tempore exequūtur, poſtremò has cauſſas, quibus hęc expletio eſt demādata,

Sr. . .

data, ſtatuunt eſſe angelos, cælū, & ſidera veluti prima diuinæ prouidentiæ inſtrumenta, deinde dæmones, atque homines, hincq; colligunt hominis voluntatem a legibus fati ſolutam, ac liberā proprio conſilio regi, quippe quæ Deo proximè ſubiiciatur, nullamque agnoſcat cauſarum ſecundarum effectionem. Porrò fatum quidam finiūt pendentem a diuino conſilio ſeriem, ordinemque cauſsarū, alii æterni prouidentiæ decreti per cauſsas ſecundas expletionem, Boethius *in lib. 4. de conſol. phil. proſa 6.* id finiuit inhærentem rebus mobilibus diſpoſitionem, per quam prouidentia ſuis quæque nectit ordinibus, protinuſque ſubiunxit hæc, quorum magnum eſt momentum ad vim, naturamque fati percipiendam: Prouidentia namque cūcta pariter, quamuis diuerſa, quamuis infinita complectitur, fatū vero ſingula digerit in motū locis, formis, ac temporibus diſtributa: vt hæc temporalis ordinis explicatio in diuinæ mentis adunata proſpectu prouidentia ſit, eadem vero adunatio digeſta, atque explicata temporibus fatum vocetur. Quæ licet diuerſa ſint, alterum tamen pēdet ex altero; ordo namque fatalis ex prouidentię ſimplicitate procedit. Sicut enim artifex faciendæ rei formam mente præcipiēs mouet operis effectum, & quod ſimpliciter, præſentarieque proſpexerat, per tēporales ordines ducit, ita Deus prouidentia quidem ſingulariter, ſtabiliterque faciēda diſponit, fato verò hæc ipſa, quæ diſponit, multipliciter, ac temporaliter adminiſtrat. Siue igitur famulantibus quibuſdam prouidentiæ diuinis ſpiritibus fatum exercetur, ſeu anima, ſeu tota ſeruiente natura, ſeu cæleſtibus ſiderum motibus, ſeu angelica virtute, ſeu dæmonum varia ſolertia, ſeu aliquibus horum, ſeu omnibus fatalis ſeries texitur, illud certè manifeſtum eſt immobile, ſimplicemque gerendarum formam rerum eſſe prouidentiam, fatum verò eorum, quę diuina ſimplicitas gerenda eſſe diſpoſuit, mobilem nexum, atque ordinem temporalem. Quo fit, vt omnia, quæ fato ſubſunt, prouidentiæ quoque ſubiecta ſint, cui ipſum etiam ſubiacet fatum: Quædam verò, quæ ſub prouidentia locata ſunt, fati ſeriē ſuperant, ea verò ſunt, quæ primæ propinquæ diuinitati ſtabiliter fixa fatalis ordinem mobilitatis excedunt: Nam vt orbium circa eundem cardinem ſeſe vertentium, qui eſt intimus, ad ſimplicitatem medietatis accedit, cæterorumque extra locatorum veluti cardo quidam, circa quem verſentur, exiſtit; extimus verò maiore ambitu rotatus quanto a puncti media indiuiduitate diſcedit, tanto amplioribus ſpatiis explicatur, ſi quid verò illi remedio cōnectat, & ſociet, in ſimplicitatem cogitur, diffunditque, ac diffluere ceſſat; ſimili ratione, quod longius à prima mente diſcedit, maioribus fati nexibus implicatur, ac tanto aliquid fato liberum eſt, quanto illum rerum cardinem vicinius petit, quod ſi ſupernæ mentis hæſerit firmitate motu carens,

Hominis volūtas à fati legibus libera.

Fatum vt definitum.

Boethius

Fatum ex prouidētia pendet.

Fato quæ ſubſūt, prouidentia ſubiecta.

fati

fati quoque ſupergraditur neceſſitatem. Igitur vti eſt ad intellectũ ratiocinatio, ad id, quod eſt, id, quod gignitur; ad æternitatem tẽpus; ad punctum medium circulus, ita eſt fati ſeries mobilis ad prouidentiæ ſtabilem ſimplicitatem. Hæc Boethius, in quibus ſunt, qui putẽt eum potius fatum Stoicum, quam verum, & theologicum explicare: Hi autem mouentur, quod Boethius in his videatur illorum adſtipulator, qui tuentur indiſſolubilem cauſſarum nexum, & ineuitabilem rerum omniũ neceſſitatem, id quod videntur teſtari, quæ proximè memorata ſequuntur, & ſunt: Ea ſeries cælum, ac ſidera mouet elementa in ſe inuicem temperat, & alterna commutatione transformat. Eadem naſcentiam, occidentiaque omnia per ſimiles fœtuum, ſeminumque renouat progreſsus. Hæc actus etiam, fortunaſque hominum indiſſolubili cauſſarum connexione conſtringit, & quę cum ab immobili prouidentiæ proficiſcantur exordiis, ipſas quoque immutabiles neceſſe eſt eſſe: Ita enim res optimè geruntur, ſi manens in diuina mẽte ſimplicitas indeclinabilem cauſſarum ordinem promat: hic vero ordo res mutabiles, & alioquin temere fluituras propria incommutabiliter coerceat: Quo fit, vt tametſi vobis hunc ordinem minimè conſiderare valentibus confuſa omnia perturbataq; videantur, nihilominus tamen ſuus modus ad bonum dirigens cuncta diſponat. Cæterum hæc nequaquam ſunt huius modi, vt D. Thomam potuerint deterrere, quo minus *in p.p. quæſt. 116. ar. 3. & in lib. 3. contra Gent. cap. 93.* hanc Boethianam fati diffinitionem ita fuerit interpretatus, vt non diſcordet a theologico dogmate. Hic clariſſimus, doctiſſimuſque vir, cui hac in re, & in aliis plurimis magnam fidem habeo, exponens in locis adductis hanc diffinitionem ſtatuit diſpoſitionem hic ſignificare non qualitatis ſpeciem, ſed cauſſarum ſeriem, & ordinem, atque hanc poni rebus mobilibus inhærentem, vt intelligemus & fatum a prouidentia differre, nam hæc diſpoſitio in diuina mente ſita dicitur prouidentia, & in rebus explicata fatum vocatur, & præterea rebus, non eripere contingentiam, & mobilitatem: Etenim licet fatum in eo, quod diuinæ prouidentiæ ſubiicitur, ſibi immobilitatem aſſerat, attamen in eo, quod in cauſſis ſecundis eſt ſitum, quarum natura eſt contingens, & mutabilis, adiunctã habet contingentiam, & mutabilitatem. Viri quidam clari nominis Boethium imitati fatum finiuerunt inhærens rebus mobilibus immobile prouidentiæ decretum, quod ſingula ſuo ordine, loco, tempore firmiter reddit. Dixerunt prouidentiæ decretum, quoniam aliud eſt prouidentia, & aliud fatum, illa eſt in Deo vis, & poteſtas omnia videndi, ſciendi, gubernandi, hoc in rebus ſingulis ſpectatur, & eſt digeſtio, & explicatio prouidentiæ diſtinctè, & per partes: Statuerunt hoc decretum inhærens, vt oſtenderent ſpectari. Fatum in ijs,

ad

Boethii fatum nunquid Stoicorũ fatũ.

D. Thom.

Boethii diffinitio fati explicata.

Fati diffinitio a quibuſdã allata, et explicata.

Aliud prouidentia, aliud fatum.

Digitized by Google

ad quæ peruenit, non in eo, a quo venit. Addiderunt rebus mobilibus, vt ſignificarent fatum ipſum etſi immobile, motum tamen inſitum, & naturam non tollere a rebus, ſed leniter, & ſine vi agere, vt quodque natum eſt facere, aut pati. Poſtremò adiunxerunt ordine, loco, tempore, quoniam prouidentia rerum omnium iunctim eſt, fatum per diſtributionem, & partitè ſingularum: Et in ordine ſeriem nexumque cauſſarum intellexerunt, quas fatum definit, in loco, & tempore miram illam, & nunquam explicandam vim, qua omnia euenta & certis locorum ſedibus, & temporum momentis ſunt adſtricta. Ne vero quiſpiam arbitraretur hac diffinitione Stoicorum fatum confirmari, ab hoc verum fatum quatuor finibus ſeiunxerunt. Primum illi Deum ſubiiciūt fato, at ipſi fatum Deo qui liberrimus rerum omnium auctor, & actor tranſcendit, & diſrumpit implexa illa agmina, & volumina fati. Præterea illi ab æterno fluentem ſeriē cauſſarum naturalium conſtituunt, ipſi nec naturalium cauſſarum operam ſemper poſtulant, quod Deus prodigij, aut miraculi cauſsa ſæpè citra imo contra naturam egerit, nec earum ſeriem ſtatuūt ab æterno, quia ſecundæ cauſſæ non æternæ. Amplius illi videntur è rebus contingentiam ſuſtuliſse, ipſi hanc reddunt, & quoties ſecundæ cauſſæ contingentes ſunt, contingens fortuitumque admittunt in euentis. Poſtremò voluntati vim illi intulerunt, abeſt hoc ab ipſis, qui fatum ita ponunt, vt in gratiam reducant cum arbitrij libertate: Deus enim rerum omnium creator rebus vtitur ſine corruptione rerum, & ſicut ſupremum cælum inferiores omnes orbes ita ſecum ducit, vt proprium eorum motum non abrumpat, aut ſiſtat, ſic Deus fati impetu caduca omnia trahit, ſed peculiarem cuiuſque vim, aut motionem non tollit. Quapropter voluit homines deliberare, & eligere, verum ſine vlla vi, & per voluntatem. Et tamē hoc ipſum, quod electuri fuerunt, vidit ipſe ab æterno: ſed vidit, non coegit; ſciuit, nō ſanxit: prædixit, non præſcripſit. Atque hæc de fato, iiſque omnibus, quæ ad plenam de ſtellarum efficientia conſiderationem pertinere videbantur.

Fatum verum vt differat a fato Stoicorum.

Deus vtitur rebus abſque corruptione rerum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

30